S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS III

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXL

IN PRAEPARATIONE:

QUADRAGESIMALE TERTIUM S. LAURENTII
A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM

OPERUM OMNIUM VOLUMEN VI

Pretium praesentis voluminis lib. it. 90

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Inc. Anonyma

In Arch. Conv. Cap. Antuerpiae

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS III

PATAVII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII
MCMXL

Fr. DONATUS a WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 19 Martii 1940

Fr. Donatus a Welle
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen quintum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Quadragesimale Secundum, pars tertia ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum, die 15 Martii 1940

† Fr. Hilarinus Felder O. M. Cap.
Episc. Tit. Ger.

Fr. Crispinus ab Appenzell O. M. Cap.
Lect. Theol. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 24 Martii 1940

Can.ous Doct. Olivus Luisetto
Cens. Ecc.

Imprimatur
Patavii, die 25 Martii 1940

† Carolus Agostini - Episcopus

PIO XII

SUMMO SACRORUM ANTISTITI

OPERA OMNIA

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAP.

EADEM DEVOTIONE · PIETATE · AMORE

QUIBUS SANCTUS AUCTOR

IN APOSTOLICAM SEDEM EXAESTUABAT

PATRES EDITORES PROVINCIAE VENETAE

AD SACROS PEDES PROVOLUTI

HUMILLIME DEDICANT

A. $\overline{\mathrm{M}}\,\overline{\mathrm{CM}}\,\overline{\mathrm{XL}}$

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 16 Febbraio 1940

N. 10725

REV.MO PADRE,

Con delicato e squisito pensiero Ella, a nome anche dell'inclito Ordine dei Frati Minori Cappuccini, ha umiliato al Santo Padre una devota istanza con la quale chiedeva di poter dedicare alla Sua augusta Persona gli ultimi quattro volumi dell'Opera Omnia di S. Lorenzo da Brindisi.

Ho il piacere di comunicarLe che il Vicario di Cristo si è benignamente degnato di accordare il Suo Sovrano assenso e che esprime i vivi sentimenti della Sua paterna riconoscenza per tale attestato di affetto filiale.

La Santità Sua è ben lieta poi di impartire a Lei e all'intero Ordine l'implorata Apostolica Benedizione, propiziatrice dell'abbondanza delle celesti grazie.

Profitto della circostanza per confermarmi con sensi di sincera stima.

della P. V. Rev.ma aff.mo nel Signore

L. Card. MAGLIONE

BEATISSIMO PADRE,

Prostrati umilmente ai Vostri Piedi veniamo ad esprimere alla Santità Vostra i più ossequiosi e filiali ringraziamenti per la grazia che si è degnata concederci di poter dedicare alla Vostra augusta Persona i rimanenti volumi dell' Opera Omnia di S. Lorenzo da Brindisi.

Altre volte, come Segretario di Stato della s. m. di Pio XI, che pure benignamente aveva concesso che la nostra edizione fosse dedicata al Suo Nome, la Santità Vostra ebbe per la nostra opera parole di alta approvazione e di incoraggiamento; ed ora questo atto di sovrana bontà ne è la corona. Come esso è per noi il più grande onore e la più ambita ricompensa, così sarà anche un incitamento ad impegnare tutte le forze perchè il nostro lavoro riesca meno indegno del Vostro Nome.

Il cuore di S. Lorenzo da' Brindisi fu tutto una fiamma di amore verso il Vicario di Gesù Cristo, la sua vita fu una dedizione generosa, fino alla morte, alla causa della Santa Sede, i suoi scritti sono una difesa ed una bella illustrazione della fede della Chiesa Cattolica.

Beatissimo Padre, col medesimo cuore del nostro Santo, con lo stesso attaccamento e nella medesima fede Vi umiliamo il nostro modesto lavoro, e, pregando la Santità Vostra di accettarlo come devoto omaggio dei Vostri figli, imploriamo sopra di noi l' Apostolica Benedizione.

I PADRI EDITORI

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR [1]

ABEN EZRA RABBINUS ABRAHAM * In *Biblia Rabbinica Masoretica: Decalogus Praeceptorum Divinorum* cum eleganti commentariolo Rabbi Aben Ezra et latina versione Sebastiani Munsteri, Basileae, apud Io. Frob. anno MDXXII.

ALEXANDER AB ALEXANDRO *Geniales Dies*, Io. Mazochius Romae 1522.

ALIGHIERI DANTE *La Divina Commedia.*

ARISTOTELES STAGIRITA * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

AUGUSTINUS S. * Opera, Parisiis, apud Gulielmum Merlin et Sebastianum Nivellium 1571.

BALDI D. *Enchiridion Locorum Sanctorum*, Ierusalem 1935.

BELLARMINUS ROB. S. *Controversiae Christianae Fidei*, Venetiis 1721, apud Malachinum.

BENEDICENTI ALB. *Malati, Medici e Farmacisti*, Milano, Ulrico Hoepli 1924-1925.

BERNARDINUS SENENSIS S. *Quadragesimale*, Venetiis, ex aedibus And. Poletti 1745.

BEYERLINCK LAUR. *Theatrum Vitae Humanae*, Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arnoldi Hieratorum 1631.

Biblia Rabbinica Masoretica, Venetiis 1568, cura Io. De Gara.

Biblia Sacra Universitatis Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

BONAVENTURA S. Opera Omnia, Editio Vaticana Romae 1596; apud Aquas Claras, ex Typographia Collegii S. Bonaventurae 1898.

BOYVIN IO. GABR. *Philosophia Scoti*, Parisiis, apud Edmundum Conterot 1681.

Breviarium Romanum.

BUXTORFIUS IO. *De Conviviis Veterum Hebraeorum*, apud Ugolinum Blas.

CAELIUS LUD. *Lectionum Antiquarum*, Francofurti et Lipsiae, Dan. Fievetti 1666.

CALEPINUS AMBROSIUS *Septem Linguarum* hoc est *Lexicon Latinum*, Patavii, ex Typographia Seminarii 1718.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CALMET AUG. *Commentarium Litterale in Omnes et Singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Sebast. Colletti 1730 sqq.; *Dictionarium Historicum Sacrae Scripturae*, Lucae 1725, Typis Sebast. Dom. Cappuri.

CANUS MELCHIOR *Locorum Theologicorum* libri Duodecim, Venetiis, apud Bart. Rubinum 1567.

Catechismus Romanus, Typis Seminarii Patavii 1930.

CATO vide Dionysius.

CICERO M. TULLIUS * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.

CLAUDIANUS * *De Quarto Consulatu Honorii Augusti ; De Raptu Proserpinae*, Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.

Concilium Tridentinum, Canones et Decreta, Venetiis 1564.

CONIMBRICENSES *Commentarii Collegii Conimbricensis in Libros Aristotelis*, Venetiis, Iac. Vincentium et Ricciardum Amadiscum 1602.

CORNELIUS a LAPIDE *Comentaria*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

CORNELIUS NEPOS *Vitae*, Lipsiae, Cor. Tauhnitii 1828.

CORNELY – MERCK *Introductio in S. Scripturae Libros Compendium*, Parisiis, P. Lethielleux 1927.

CURTIUS QUINTUS RUFUS *De Rebus Alexandri Regis Macedonum*, Venetiis, in aedibus Aldi 1520.

DAMASCENUS Io. S. * Opera, Iac. Billio interprete, Parisiis 1603.

DAVID KIMKI RABBINUS *Liber Radicum*, cura Sam. Archivolti, Venetiis 1579; *Comment. in Librum Iosue et Regum*, in *Biblia Rabinica Masoretica*.

Decretales D. Gregorii Papae IX, Venetiis, apud Iunctas 1595.

Decretum Gratiani, Venetiis, apud Iunctas 1595.

DE LA HAYE Io. *Biblia Maxima Versionum*, Lutetiae Parisiorum 1660.

DENZINGER – BANWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

Dictionarium Historicum, Geographicum, Poeticum, Lugduni, apud Io. Pillehotte 1603.

Digesta, Lugduni, apud Ant. Vincentium 1540.

DIOGENES LAERTIUS * *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christofori Plantini 1566.

DIOGENIANUS apud P. Mannuccium.

DIONYSIUS CATO * *Carnem de Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. de Montegatiis 1506.

DU GANGE G. DUFRESNE *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, Parisiis, Firmin-Didot 1846.

EURIPIDES * Quae extant Omnia, opera et studio Iosue Barnes, Cantabrigae, ex officina Io. Hayes 1644.

Fabulae Aesopianae, apud Hervieux.

FAERNUS GABRIEL *Fabulae Centum*, Romae, Vinc. Luchinus excudebat 1563.

FANENSIS FORT. *Sacra Biblia, Vulgata Editione, Translat. ex Hebraico* Sanctis Pagnini, *Translat. Romana ex Septuaginta, et Chaldaica, Paraphrasis Translat.*, congesta Fratris Fortunati Fanensis studio, Venetiis, apud Ant. Pinellum 1609.

FANFANI PIETRO *Vocabolario Italiano della Lingua Parlata*, Firenze, Successori Le Monnier 1892.

Ferrari Ios. *Summa Institutionum Canonicarum*, Ianuae, ex Typographia Archiepiscopali 1877.

Ferraris Lucius *Prompta Bibliotheca*, excudebatur apud I. – P. Migne. In Via D' Ambroise, prope Portam Lutetiae Parisiorum 1852.

Flavius Iosephus Opera Graece et Latine, ex versione Io. Hudson, Oxonii 1720.

Forcellini Aeg. *Lexicon Totius Latinitatis*, Ed. IV. Patavina.

Gellius Aulus *Noctes Atticae*, opera Io. Soteris, Coloniae 1533.

Gherardini Giov. *Vocabolario della Lingua Italiana*, Milano, presso la Casa Editrice M. Guigoni 1878.

Hergenröther Card. Ios. *Storia della Chiesa Universale*, Firenze, Libreria Edit. Fiorentina 1905.

Hermogenianus, apud Laur. Pignorium.

Hervieux Leopold *Les Fabulistes Latins depuis le siecle d' Auguste*, Paris, Librairie De Firmin - Didot 1894.

Hesiodus *Theogonia* sive *De Generatione Deorum*, Patavii, typis Seminarii 1747.

Homerus *Poemata*, cum interpretatione Henrici Stephani, sine loco, 1588.

Horatius, * *Carmina*, Bassani, typis Remondini 1844.

Hurter H. S. I. *Theologiae Dogmaticae Compendium*, Oeniponte, Libraria Academica Wagneriana 1903.

Hyginus C. I. *Fabulae ; De Signorum Coelestium Historiis*, Basileae, per Io. Hervagium 1549.

Iamblicus * *De Mysteriis Aegyptiorum*, Romae, apud Ant. Bladium 1556.

In Psalmos ; Hymni Ecclesiastici, apud Gryphium, Lugduni 1543.

Iuvenalis * *Satyrae*, cum annotationibus Th. Farnabi, Patavii, typis Seminarii 1705.

Labbeus Phil. *Sacrosancta Concilia*, Lutetiae Parisiorum 1671-1672.

Laurentius S. a Brundusio Opera Omnia, Patavii, typis Seminarii 1928 sqq.

Leopold E. F. *Lexicon Hebraicum - Chaldaicum* in usum scolarum, M. Bretschneider Roma 1905.

Lohner Tob. S. T. *Bibliotheca Manualis Concionatoria*, Venetiis 1708, sumptibus Mich. Hertz.

Lucanus M. N. * *Pharsalia* sive *De Bello Civili*, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1658.

Lyranus Nicolaus *Biblia Sacra cum Glossis Interlineari et Ordinaria*, Venetiis 1588.

Macer Aemilius *De Publicis Iudiciis*, apud Laur. Pignorium.

Macrobius *Somnium Scipionis ; Saturnalia*, Patavii, Io. Cominus 1736.

Magnum Bullarium Romanum, Luxemburgi 1742-1754.

Maimonides Moyses Rabbinus באר מוסי, *Porta Mosis*, Pocockius, Oxonii 1654; — *Doctor Perplexorum*, latine versus a Io. Buxtorfio filio, Basileae, Lud. König 1629.

Mannuccius Paulus *Adagia*, Venetiis 1591.

Matthiolo M. Piet. And. Sanese Medico *Di Pedacio Dioscoride Anarbeo libri 5 Della historia et materia medicinale*, tradotti in lingua italiana, Venetia, per Nicolò de Bascarini da Pavone di Brescia 1543.

MENANDER * *Fragmenta Graece et Latine,* Parisiis, Firmin - Didot 1838.
MENOCHIUS IO. STEPH. *Commentarii Totius S. Scripturae,* Venetiis, apud Io. Bat. Recurti 1722.
MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Asclepius,* Lugduni, Io. Tornaesius 1577.
MICHAEL TIMOTHEUS ARIMINENSIS *In Hymnos Ecclesiasticos Brevis Elucidatio,* ex Typographia Guil. Facciotti, Romae 1602.
Missale Romanum Pii V Pont. Max. Iussu editum, Parisiis, apud Iac. Kerner 1584.
— Clementis VIII auctoritate recognitum, Venetiis 1604.
— Urbani VIII auctoritate recognitum, Patavii, ex Typographia Seminarii 1697.
NATALIS COMES *Mythologiae* sive *Explicationes Fabularum,* Gabriel Carterius 1596, sine loco.
NESTLE EBER. *Novum Testamentum Graece et Latine,* Stuttgart 1907.
ODO DE CERITONA *Fabulae,* apud Hervieux.
OVIDIUS * Opera Omnia, Lipsiae, C. Tauchnitii 1828.
PAGNINI SANCTES *Lexicon Hebraicum,* auctore Sancte Pagnini Lucensi Ordinis Praedicatorum, Lugduni, apud Ant. Gryphium MDLXXVII.
PASTOR LOD. *Storia dei Papi,* Traduzione Italiana del Sac. Clem. Benetti e Mons. Pio Cenci, Trento, Tip. Ed. Artigianelli 1890; Roma, Desclée e Cp. Editori Pontifici 1908 sqq.
PEDACIO DIOSCORIDE ANARBEO, apud Matthiolo.
PERERIUS BEN. Valent. *Commentariorum in Genesim,* Lugduni, apud Iunctam 1594.
PERIN IOS. *Onomasticon Totius Latinitatis,* Patavii, typis Seminarii 1913. 1920.
PETAVIUS D. Opera Omnia, Venetiis, Bartol. Baronchelli 1757.
PETRONIUS *Satyron Romanorum Scriptorum Corpus Italicum,* curante Hectore Romagnoli, sine loco et data.
PHILO IUDAEUS Opera, Lugduni, Ant. Vincentius 1561.
PHURNUTUS *De Natura Deorum,* apud Hyginum.
PICUS MIRANDULANUS * *Heptaplus,* Venetiis, per Guglielmum de Fontaneto de Monteserra.
PIERIUS VALERIANUS *Hieroglyphica* seu *De Sacris Aegyptiorum,* Venetiis, apud Io. Ant. et Iac. De Franciscis 1604.
PIGNORIUS LAUR. *De Servis,* Venetiis, Io. Ant. Rampazettus 1605.
PLATO * Opera Omnia, excudebat Henricus Stephanus 1578, Lugduni, Ant. Vincentius 1557.
PLAUTUS M. ACCIUS *Comoediae,* Lutetiae, apud Io. Macaeum 1577.
PLINIUS C. SECUNDUS * *Historia Naturalis,* Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.
PLINIUS IUNIOR *Epistolae,* Lipsiae 1800.
PLUTARCHUS CHAERONEUS * *Graecorum Romanorumque Illustrium Vitae,* Venetiis 1538; *Ethica* sive *Moralia* Opera, Basileae, apud Th. Guarinum 1573.
POHL ALFREDUS *Historia Populi Israel,* Romae, apud Pontif. Institut. Biblicum 1933.
PUBLIUS MIMUS *Sententiae,* apud Senecam.
REEB GEORGIUS *Thesaurus Philosophorum,* Brixinae, Typis Wagnerianis 1871.
RICHTER AEM. LUD. *Decretalia,* Lipsiae, Tauchnitz 1839.

Rituale Romanum, Romae, typis Polyglottis 1925.

ROHRBACHER *Storia Universale della Chiesa*, Torino, Giac. Marietti 1869.

SABELLICUS COCCIUS M. *Rapsodiae Historicae Enneadum*, Basileae, ex officina Hervagiana 1538.

SALLUSTIUS C. CRISPUS * *De Bello Iugurtino*, per Ignazio Rossi Gio. Batt. Paravia 1904.

SALOMON RABBINUS IARCHI * in *Biblia Rabbinica Masoretica*.

SCALIGERUS IOS. *De Emendatione Temporum*, Coloniae Agrippinae 1629.

SCAVINI P. *Theologia Moralis Universa*, Mediolani, apud Ernestum Oliva 1869.

SCOTUS IO. DUNS *In Quattuor Libros Sententiarum*, apud. Io. Bapt. et Io. Bern. Sessam, Venetiis 1597.

SENECA L. A. *Naturalium Quaestionum*, Parisiis, apud Perier 1613.

SENECA L. A. et PUBLIUS MIMUS *Sententiae*, studio Iani Gruferii, Lugduni Batavorum, apud Io. Du Vivier 1708.

SIMÓN HADRIANUS *Praelectiones Biblicae*, ad usum Scolarum, Taurini, Marietti 1930.

SIXTUS SENENSIS *Bibliothecae Sanctae Libri*, ex Typographia Mutiana, Neapoli 1742.

SUAREZ FRANC. *De Angelis; De Incarnatione*, Lugduni, sumptibus Iac. Cardon 1620.

SUIDAS *Historica*, Basileae, ex officina Hervagiana per Eusebium Episcopum 1581.

SYNODUS TRULLENSIS, apud Phil. Labbeum.

SVETONIUS TRANQUILLUS *Duodecim Caesares*, cum Philippi Beroaldi annotationibus, Lugduni, apud Io. Frellonium 1548.

Talmud Babylonense, *Sanhedrin*.

Talmud Ierosolymitanum, *Sanhedrin*.

TERENTIUS * *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

Thesaurus Linguae Latinae seu *Forum Romanum*, Basileae 1576.

THOMAS AQUINAS S. * Opera Omnia, Ios. Bettinelli Venetiis 1748.

TOSTATUS ALPH. *Commentaria*, Venetiis, Io. Sessa 1596.

UGOLINUS BLAS. *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1745-1767.

VALERIUS MAXIMUS * *Exemplorum Memorabilium* libri, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1651; *Dictorum Factorumque* libri, Venetiis 1645.

VAN ESS LUD. *Vetus Testamentum Graecum iuxta Septuaginta Interpretes*, cura et studio Leandri Van Ess, Lipsiae, Ern. Bredti.

VANNUCCI ATTO *Proverbi Latini*, Milano, Tipografia Editrice Lombarda 1880.


VARRO M. * *De Re Rustica*, 1573, excudebat Henr. Stephanus, sine loco.

Viaggi di Pitagora, traduzione dal Francese, Venezia, Tipografia Andreola 1829.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS O. P. *Speculum Naturale*, Argentorati, Io. Mentelin 1469-1476.

VIRGILIUS MARO * Opera Omnia, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

QUADRAGESIMALE
SECUNDUM



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DOMINICA PASSIONIS

I. Stulta insanaque mulier sordidum, deformem turpemque ac monstro similem vultum habens, saepe accidit ut se pulcherrimam tenens, si in claro immaculatoque speculo ex crystallo purissimo seipsam contempletur, in ipsum speculum culpam reiciat quod illam turpem ac deformem ostendat, unde in speculum ira et indignatione commota insaniens, speculum velit lapide iacto confringere. Sic mihi videtur hodie esse Iudaeorum impia synagoga. Habebat faciem conscientiae turpissimam ac sordidissimam, infernalibus monstris simillimam ob impietatem et turpissima scelera, seipsam tamen pulcherrimam atque sanctissimam iudicabat. At quia Christus hodie tanquam speculum clarissimum et perfectissimum, constans ex crystallo divinitatis et plumbo humanitatis, speculum purissimum et nitidissimum, absque omni macula peccati: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* [1] speculum veracissimum, ostendens uniuscuiusque vultum qualis vere est: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* [2] praedicans ostendebat turpitudinem vitiorum ac peccatorum ipsius, insaniens ipsa reicit culpam in speculum: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [3] et tandem ira et indignatione in Christum commota vult ipsum lapidibus confringere in nihilumque redigere: *Tulerunt . . . lapides ut iacerent in eum.* [4] Sic innocenter Christus passus est, cum esset innocentissimus agnus, homo sanctissimus, innocentia et sanctitate Deo aequalis tanquam verus Deus: *Ante . . . Abraham . . . ego sum.* [5]

Sicut mulier deformis odit speculum deformitatem eius ostendens,

sic Iudaei Christum innocentissimum oderunt pessimam eorum conscientiam revelantem,

1) Io 8, 46. 2) Ibid. 3) Ibid. vr. 48. 4) Ibid. vr. 59. 5) Ibid. vr. 58.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba, etc.[6]

Impossibile est in Christo reperire peccatum,

II. Sicut[7] impossibile est in sole tenebras et in igne invenire frigus, ita et multo magis impossibile est in Christo reperire peccatum. Christus enim sol est quarto die a Deo creatus,[8] posita prima luce in coelesti vase – Verbum lux est: *Erat lux vera*,[9] caro autem vas: *Verbum caro factum est;*[10] *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae;*[11] *Resplenduit facies sicut sol;*[12] *Facies eius sicut sol in virtute sua lucet*,[13] – et ignis ille est, in quo Deus apparuit Moysi in rubo ardenti.[14] Christus enim ipse est rubus ardens, duplex natura, in unum ignis coelestis et rubus terrenus, ubi Deus ipsi Moysi nomen suum revelavit dicens: *Ego sum qui sum.*[15] Et Christus hodie ad mysterium illud alludens ait: *Antequam Abraham fieret ego sum*, veram divinitatem suam ostendens. Deus autem absque omni peccato est, cui Seraphim trisagium canunt dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.*[16]

quia Deus verus est

qui iam Isaiae et Patriarchis apparuit in humana forma.

Et Ioannes quidem hic Christum Isaiae visum dicit: *Haec*, inquit, *dixit Isaias cum vidit gloriam eius, et locutus est de eo;*[17] apparuit enim Deus Vati in humana forma. Sic Ambrosius libro 3 *De Spiritu Sancto*,[18] et Cyrillus libro 8 *in Ioannem*,[19] et libro 12 *Thesauri*,[20] tenent hic Filium apparuisse Isaiae. Augustinus etiam libro 2 *De Trinitate*,[21] Ambrosius *Super Lucam* de apparitione Angeli,[22] Tertullianus libro *Adversus Praxeam*[23] et Clemens libro 5 *Constitutionum*[24] semper apparuisse

6) Pericope huius diei Io 8, 46 sqq. 7) In margine haec adiecta fuerunt: « Apparuit Deus Danieli indutus candido vestimento et sedens super igneum solium: *Vestimentum*, inquit, *eius candidum sicut nix et capilli capitis eius sicut lana alba, thronus eius flammae ignis*. Candor autem niveus symbolum est innocentiae et ignis apud Aegyptios hieroglyphicum erat puritatis. Hinc Deus natura cum sit purissimus et innocentissimus, Moysi in igne apparuit cum ei nomen suum manifestavit dicens: *Ego sum qui sum*. Ad quod Christus hodie alludit cum ait: *Antequam Abraham fieret ego sum*. Illud autem: *Sum qui sum* hebraice interpretari potest: *Ero qui ero*, quoniam Deus vere futurus erat homo. Hinc Christus ait: Ego sum praesens et iam factus homo ». 8) Cf. Gn 1, 14-19. 9) Io 1, 9. 10) Ibid. vr. 14. 11) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc. 12) Mt 17, 2. 13) Apc 1, 16. Vulg.: *Lucet in virtute sua*. 14) Cf. Ex 3, 1-2. 15) Ibid. vr. 14. 16) Is 6, 3. 17) 12, 41. Vulg.: *Quando vidit*, etc. 18) Cp. 22, (P. L. 16, 814). 19) P. G. 74, 98. 20) Ibid. 75, 195. 21) Cp. 10 sqq., (P. L. 42, 855-866). 22) Lib. 1, ibid. 15, 1543-1544. 23) Cp. 14, ibid. 2, 170-172. 24) Cp. 20, (P. G. 1, 895-899).

Filium cum legimus Deum Patriarchis et Prophetis apparuisse; quamvis Irenaeus libro 4,[25] Athanasius *De Communi Essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti,*[26] et Basilius libro 5 *Contra Eunomium*[27] teneant Patrem etiam aliquando apparuisse. Quamvis autem probabile sit Patrem nonnunquam apparuisse, uti cum legem dedit e coelo,[28] Christumque prophetam maximum repromisit,[29] quando tamen in humana specie apparuit, ad insinuandum divinae incarnationis Verbi mysterium, Filius procul dubio apparuit, sicut Ioannes ait: *Haec dixit Isaias quando vidit gloriam eius.* Christo igitur Seraphim trisagium canunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus... exercituum.*

Seraphim trisagium canentes Patrem et Spiritum Sanctum figurabant.

Quod si Christus unigenitus Filius Dei est, Deus in humana figura visus, profecto duo Seraphim, qui ei trisagium canunt, Pater et Spiritus Sanctus sunt. Abrahae enim in tribus Angelis Trinitas apparuit[30] et Daniel etiam tres Angelos vidit, unum in medio fluminis, alios vero duos alterum ex hac et alterum ex illa fluminis parte.[31] In Evangelio autem ter Christus, voce de coelo delapsa, sanctificatus a Deo est: primo in baptismo,[32] secundo in transfiguratione: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,*[33] et tertio in die palmarum, quando venit vox de coelo dicens: *Et clarificavi et iterum clarificabo,* cum Christus orasset dicens: *Pater, clarifica nomen tuum, clarifica me ex hac hora.*[34] Sanctificavit etiam Christum Spiritus Sanctus, quando in die baptismi descendit super Christum *corporali specie* mansitque super eum tanquam columba,[35] et cum in die Pentecostes in linguis igneis descendit super Apostolos et discipulos Christi.[36] Sanctificaverunt Christum et Angeli in nativitate eius canentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis;*[37] et in deserto quando, superata omni tentatione, *accesserunt Angeli et ministrabant ei;*[38] in die etiam resurrectionis[39] et ascensionis.[40]

Christus enim sanctificatus fuit a Patre, a Spiritu Sancto et ab ipsis Angelis;

Hinc Christus hodie vere dicere potest: *Quis ex vobis arguet me*

25) *Contra Haereses,* cp. 20, ibid. 7, 1036-1041. 26) Ibid. 28, 42-43. 27) Ibid. 29, 722-723. 28) Cf. Ex 20, 1 sqq. 29) Cf. Dt 18, 18. 30) Cf. Gn 18, 2. 31) Cf. Dn 12, 1 sqq. 32) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 33) Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35. 34) Io 12, 27-28. Vulg.: *Salvifica me ex hac hora.* 35) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 9-10; Lc 3, 21-22. 36) Cf. Act 2, 1-4. 37) Lc 2, 14. Vulg.: *Gloria in altissimis,* etc. 38) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 39) Cf. ibid. 28, 1-7; Mc 16, 1-7; Lc 24-1-7; Io 20, 1-13. 40) Cf. Act 1, 9-11.

ideo absolute super omnes creaturas sanctissimus est, quia nullo modo peccare potest,

de peccato? quoniam ipse est ter sanctus: sanctus corpore, sanctus anima, sanctus divinitate; sanctus natura, sanctus gratia, sanctus gloria; sanctus sine peccato originali, sanctus sine peccato actuali, sanctus sine peccato potentiali, cum peccare nullo modo possit, quod solius Dei proprium est. Omnes enim Angeli suapte natura peccare possunt sicut Lucifer, [41] et omnes homines sicut Adam; [42] Christus vero Deus est: *Antequam Abraham fieret ego sum*, ideo sanctus supra omnes homines, [43] sanctus supra omnes Angelos, sanctus uti Deus ipse.

quia verus Deus est

Quis ex vobis arguet me de peccato? Primum hominem Deus innocentem absque omni peccato creavit *ad imaginem et similitudinem suam;* [44] sed illius innocentia comparata Christo nulla est: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* [45] Condidit Deus Angelos innocentes, sed Christum multum innocentiorem, sicut solem astris lucidiorem creavit. [46] Hinc sicut sol vere eclipsari non potest, sic nec Christus peccare ratione divinitatis, sicut docet Athanasius libro *De Incarnatione Christi et corporeo eius adventu;* [47] Cyrillus libro 10 *in Ioannem,* [48] Damascenus libro 3 *De Fide,* [49] et Anselmus libro *Cur Deus Homo.* [50]

et quia est homo beatus.

Nec solum quia Deus homoque divinitati unitus peccare Christus non potuit, sed etiam quia homo beatus. Beati enim, qui Dei visione fruuntur, peccare non possunt, ut docet Augustinus libro 22 *De Civitate Dei,* [51] Christus autem ab instanti conceptionis beatus fuit, ut idem docet Augustinus libro 4 *De Consensu Evangeliorum.* [52]

Christus peccare non potest quia infinita potentia,

III. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Omne peccatum oritur vel ex fragilitate vel ex ignorantia vel ex malitia. In Christo autem infinita est potentia, sapientia et bonitas: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [53] Ipse agnus est in spiritu a Ioanne

41) Cf. Is 14, 12; Ez 28, 12-17; Lc 10, 18; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 42) Cf. Gn 3, 1 sqq. 43) Ms.: *Omnes* bis ponitur, loco: *Homines*. 44) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 45) 1 Cor 15, 47. 46) Cf. Gn 1, 16-18. 47) Lib. 1, (P. G. 26, 1122-1123); lib. 2, ibid. col. 1147. 48) Cp. 1, ibid. 74, 330. 49) Cp. 20, ibid. 94, 1082-1083. 50) Cp. 16, (P. L. 158, 416-417). 51) Cp. 30, ibid. 41, 801-802. 52) Cp. 10, ibid. 34, 1227. 53) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat*, etc.

visus, habens oculos septem et totidem cornua;[54] *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,*[55] omni praeditus potentia et sapientia: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Omne peccatum oritur ex aliquo vitio, ex defectu alicuius virtutis. In Christo autem [est] omnis perfecta virtus et gratia Spiritus Sancti: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini;*[56] *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.*[57] In Christo penitus nullum fuit vitium. Hinc praefigurabatur in agno paschali, quem oportebat immaculatum esse,[58] et in summo sacerdote, in quo nullum naturale vitium aut defectus in aliqua parte corporis debebat reperiri.[59] Et omnis in eo virtus [fuit], quae in vestimentis summi pontificis divinitus praefigurabantur: innocentia quidem in veste byssina; coelestis conversatio in veste hyacinthina; ornamentum omnium virtutum moralium in superhumerali, quod ex diversis coloribus erat contextum; thesaurus omnium scientiarum virtutumque heroicarum exemplarium et divinarum in *Rationali* iudicii, ubi erant duodecim lapides pretiosi; omnis virtus tum activae tum contemplativae vitae in duobus lapidibus onychinis, et tandem cultus divini honoris et reverentiae super omnia in aurea lamina, quam in mitra supra caput portabat,[60] de qua hodie Christus: *Ego,* inquit, *honorifico Patrem meum.*[61] Ita omnis in Christo virtus et nullum penitus vitium extitit.

sapientia et bonitate praeditus est.

ideo ab omni vitio absolute immunis et gratia Spiritus Sancti plenus

omnibusque virtutibus ornatus.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Arguet, inquit, idest ratione argumentisque convincet de peccato aliquo, quamvis minimo. Praefiguratus fuit Christus in arca foederis Domini, quae posita fuit in suprema parte divini tabernaculi templique, qui locus *sancta sanctorum* dicebatur,[62] ad designandam Christi divinam infinitamque sanctitatem; sicut enim tum tabernaculum tum templum Dei Ecclesiam adumbrabant, ita utriusque suprema pars Christum, qui est caput et princeps Ecclesiae;[63] hinc apud Danielem Christus dicitur *Sanctus Sanctorum: Donec ungatur Sanctus Sanctorum.*[64] In arca autem virga Dei,[65] tabulae legis[66] et vas mannae[67] designabant

Sanctitas Christi praefigurata fuit in arca foederis et in propitiatorio divini tabernaculi.

54) Cf. Apc 5, 6. 55) Io 1, 29. Vulg.: *Pecccatum mundi. Peccata* lec. cod.
56) Is 11, 2-3. 57) Io 1, 14. 58) Cf. Ex 12, 5. 59) Cf. Lv 21, 17-21.
60) Cf. Ex 28, 1 sqq.; 39, 1 sqq. 61) Io 8, 49. 62) Cf. Ex 26, 33-34; 40, 16-19; Hebr 9, 3-4. 63) Cf. Eph 1, 22; 4, 15; 5, 23; Col 1, 18; 2, 10; 1 Petr 5, 4; Apc 1, 5.
64) 9, 24. 65) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 66) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 67) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

Christum peccare non posse vel per impotentiam, vel per ignorantiam, vel per malitiam; propitiatorium autem supra arcam designabat unionem divinitatis cum humanitate, unde peccare Christus non potest; et cherubim respicientes divinum propitiatorium designabant beatificam Christi visionem, quae altera causa est cur peccare non potest: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ostendit Christus hodie se verum prophetam esse a Deo promissum, sanctissimum vita, veracissimum doctrina et miraculis gloriosissimum.

IV. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Tenebantur Iudaei credere Prophetis a Deo missis, iuxta praeceptum Domini: *Prophetam suscitabit tibi Dominus... de medio fratrum tuorum similem mei, ipsum audies,* [68] modo essent similes Moysi, idest vita, moribus sancti et immaculati et doctrina veraces. Christus autem hodie utranque hanc veri prophetae notam de se ostendit: primam quidem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* alteram vero: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* maxime cum innumera signa a me videritis edita? et hodie Christus magno miraculo *abscondit se* hominibus invisibilem reddens, *et exivit de templo,* [69] ac statim postea caecum a nativitate illuminavit.

Talem Deus fecit Moysen, ut populum a servitute liberaret,

Sicut enim Deus volens mittere Moysen ad praedicandum Hebraeis in Aegypto eosque ex illa servitute educendos, primo sanctificavit illum dicens: *Ne appropies... huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est* [70] – hinc in igne apparuit, [71] qui purgat, illuminat et perficit, calculoque ignito purgatus fuit Isaias antequam mitteretur ad praedicandum, [72] – deinde contulit Moysi thesaurum divinae sapientiae: *Ego ero tecum et docebo te quid loquaris,* [73] ac tertio potestatem dedit faciendi miracula ad conciliandam sibi fidem: *Virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa;* [74] sic volens mittere Christum ad liberandum homines de servitute diaboli et peccati – *Qui facit peccatum servus est peccati;* [75] *Si veritas vos liberaverit, vere liberi eritis,* [76] – primo illum sanctificavit: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum;* [77] deinde divinae sapientiae thesauros omnes ipsi contulit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [78] Dei; *Sicut docuit me Pater,*

et talem oportuit Christum esse, ut homines in ipsum credentes de servitute diaboli liberaret.

68) Dt 18, 15. Vulg.: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi,* etc. 69) Io 8, 59. 70) Ex 3, 5. 71) Cf. ibid. vr. 2. 72) Cf. Is 6, 6-7. 73) Ex 4, 12. Vulg.: *Doceboque,* etc. 74) Ibid. vr. 17. 75) Io 8, 34. 76) Ibid. vr. 36. Vulg.: *Si ergo vos Filius liberaverit,* etc. 77) Ibid. 10, 36. 78) Col 2, 3.

sic loquor[79] in mundo; et tertio virtutem ac potestatem operandi miracula: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*[80] Et tria haec de seipso Christus hodie demonstrat; priora quidem duo verbis, tertium vero factis et opere.

V. Sed sicut Moysi accidit quod, post veritatis praedicationem ac post multa edita miracula, tandem ob aquae defectum voluerunt illum Hebraei lapidare,[81] sed ingressus in tabernaculum Domini protectus fuit a gloria Domini,[82] sic hodie accidit Christo; post praedicationem enim veritatis et post innumera edita miracula, hodie Iudaei tanquam blasphemum magna cum iniuria Christum lapidare voluerunt: *Tulerunt ... lapides ut iacerent in eum, ipse vero,* divinitate protegente, *abscondit se et exivit de templo.*[83] Voluit hodie impia synagoga lapidare Christum, sicut impia Iezabel lapidavit Naboth tanquam blasphemum ex iniustissimis iniquissimisque calumniis;[84] et sicut viri Siceleg voluerunt lapidare David absque ulla causa ob solam animi amaritudinem,[85] sic hodie Iudaei Christum. Et sicut universus populus Israel lapidavit Aduram, qui erat super tributa regis Roboam, ex solo odio quod in regem conceperant,[86] sic Iudaei hodie ex odio veritatis magno lapidum imbre Christum voluerunt obruere et sicut sanctissimus vates Ieremias multas gravissimasque a Iudaeis passus persecutiones fuit propter praedicationem veritatis, sic Christus hodie.

Et tamen Iudaei illum iniquissime persequuntur et tanquam blasphemum lapidare volunt,

ex solo odio veritatis.

Hinc forte in matutinis lectionibus Ecclesia Ieremiam legit,[87] ut ostendat Christum[88] veluti alterum Ieremiam fuisse, qui in matris utero a Deo sanctificatus fuit: *Antequam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te ... Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes:*[89] ecce sanctitas vitae et veritas doctrinae. Cui etiam revelata sunt secreta coelestia; vidit enim in coelo virgam vigilantem ollamque igne succensam et ferventem;[90] attamen propter

Singularis figura Christi Ieremias fuit qui a Deo sanctificatus et ad praedicandum missus

79) Io 8, 28. Vulg.: *Haec loquor.* 80) Mt 28, 18. 81) Cf. Ex 17, 2-4. 82) Cf. Nm 20, 2-6. 83) Io 8, 59. Vulg.: *Iesus autem abscondit se,* etc. 84) Cfr. 3 Rg 21, 1-14. 85) Cf. 1 Rg 30, 6. 86) Cf. 3 Rg 12, 12-18; 2 Par 10, 12-18. 87) Cf. Breviarium Rom. hac Dominica. 88) Ms.: *Christus.* 89) Ier 1, 5-10. Vulg.: *Priusquam te formarem,* etc. 90) Cf. ibid. vrr. 11-13.

gravissimas persecutiones passus est a falsis prophetis et ab impiis Iudaeis.

veritatis praedicationem gravissimas passus fuit a falsis prophetis, impiissimis Iudaeis, persecutiones, percussus et in vincula in lacumque coniectus ac si falsus propheta fuisset. [91] Sic Christus a Deo sanctificatus in matris utero a primo instanti conceptionis suae missusque in mundum ad veritatem praedicandam: *Ego ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati,* [92] hodie tamen propter veritatis praedicationem passus fuit mortalem persecutionem et tanquam falsus propheta impiusque blasphemus lapidibus impetitus, quoniam dicebat se Messiam esse verumque Filium Dei ac verum Deum: *Antequam Abraham fieret ego sum. Propterea,* inquit Ioannes, *magis quaerebant eum Iudaei interficere, non solum quia sabbatum solvebat, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* [93] Dicebant autem Christum solvisse sabbatum, quoniam languidum in piscina triginta et octo annorum infirmum die sabbati divina virtute mirabiliter sanaverat. [94]

Hodiernum Evangelium ex multis ostendit infinitam Christi innocentiam,

VI. Sacrosanctum igitur hodiernum Evangelium ostendit Christum absque ulla iusta causa, sed iniustissime a Iudaeis passum esse persecutiones, primo quidem, ratione innocentiae: *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* secundo, ratione doctrinae verae: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ?* tertio, ratione pietatis in Deum: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum . . . non quaero gloriam meam ;* [95] quarto, quia ipse auctor largitorque est vitae aeternae: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum ;* [96] quinto, ratione divinae tum cognitionis tum amoris: *Scio eum et mandata eius servo ;* [97] sexto, quia a Deo tanquam Filius honorabatur: *Est Pater meus qui glorificat me ;* [98] septimo, quia ipse est benedictum semen Abrahae, in quo benedicendae erant omnes gentes: [99] *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est ;* [100] vidit autem vel in spiritu, ex divina revelatione et apparitione, unde cognovit incarnationis mysterium, vel in limbo sanctorum Patrum cognovit Christum incarnatum esse venisseque in mundum pro humani generis salute; octavo, quoniam

et iniustitiam Iudaeorum illum persequentium.

91) Cf. ibid. 26, 1-15; 37, 1-38, 1 sqq. 92) Io 18, 37. Vulg.: *Ego in hoc natus sum,* etc. 93) Ibid. 5, 18. Vulg.: *Quia non solum,* etc. 94) Cf. ibid. vrr. 1-9. 95) Ibid. 8, 49-50. 96) Ibid. vr. 51. 97) Ibid. vr. 55. Vulg.: *Sermones eius servo.* 98) Ibid. vr. 54. 99) Cf. Gn 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; Act 3, 25. 100) Io 8, 56.

verus est Deus: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Si igitur Christus verus erat Filius Dei et filius Abrahae, verus Deus ut Pater, verus homo ut Abraham, verusque propheta et Dei cultor, homo innocentissimus atque sanctissimus ut Abraham, imo multo magis quam Abraham, nulla profecto in ipso erat iustae mortis aut persecutionis causa.

Causae huius iniustae persecutionis fuerunt Iudaeorum incredulitas et malitia, ignorantia et falsus zelus religionis.

Sed causae propter quas Iudaei Christum persecuti sunt fuerunt incredulitas atque perfidia: *Quare non creditis mihi ?* Fuit eorum malitia: *Qui ex Deo est verba Dei audit ; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ;* [101] *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere;* [102] fuit eorum ignorantia: *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum;* [103] fuit falsus zelus legis et honoris Dei: *Aemulationem* quidem *Dei habent, sed non secundum scientiam;* [104] hinc persequebantur Christum quoniam *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo,* et quia sabbatum contra legem solvere videbatur. Et ob id hodie tulerunt lapides ut iacerent in eum, quia Deum se esse dixit, unde cum iterum voluerunt lapidare Christum, dixerunt: *De bono opere non lapidamus te, sed . . . quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* [105] Sic falsus divinae pietatis zelus movit Iudaeos in odium Christi, ut eum occidere quaererent.

Omnia Christus voluntarie passus est,

VII. Nec tamen invitus Christus passus fuit a Iudaeis persecutiones et tandem mortem crucis, sed: *Oblatus quia ipse voluit et peccata nostra ipse portavit.* [106] Hinc P a u l u s in hodierna Epistola loquitur de pontificatu Christi, quo carnis suae hostiam Deo obtulit: *Christus,* inquit, *assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest non huius formationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit . . . in sancta, aeterna redemptione inventa.* [107] Sed 4 capite ait: *Habemus. . . pontificem magnum qui penetravit coelos, Iesum Filium Dei.* [108] Et capite 7: *Talis . . . decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.* [109] Hic talis tantusque pontifex introivit in sancta

cum esset pontifex noster,

101) Ibid. vr. 47. 102) Ibid. vr. 44. 103) Ibid. vrr. 54-55. 104) Rom 10, 2.
105) Io 10, 33. 106) Is 53, 4-7. Vulg.: *Dolores nostros ipse portavit.* Ordine inverso affert hos vrr. ex Breviario Rom. Feria Quinta in Coena Domini, antiph. 5 ad *Laudes.*
107) Hebr 9, 11-12. Vulg.: *Non huius creationis,* etc. Cf. Missale Rom. hac Dominica.
108) Ibid. vr. 14. 109) Ibid. vr. 26.

qui seipsum obtulit pro peccatis nostris,

sanctorum non manufacta, sicut idem ait capite 9: *Non enim in manufacta sancta Iesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* [110] Neque offerens carnem et sanguinem hircorum aut vitulorum, sed *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo ad emundandas conscientias nostras ab operibus mortuis;* [111] neque intravit per tabernaculum manufactum, sicut pontifex per sancta intrabat in sancta sanctorum et per tabernaculum exterius ac visibile in interius ac invisibile, [112] sed per visibile coelum ingressus est in invisibile empyreum, ubi est paradisus gloriae.

ut passionibus et morte sua nobis mereretur gratiam et gloriam.

Ad merendam igitur nobis Christus tum gratiam tum gloriam paradisi pati voluit a Iudaeis gravissimas persecutiones ac tandem mortem. Hinc post hanc persecutionem Ioannes duo illustrissima Christi miracula enarrat: illuminationem caeci nati [113] et Lazari resurrectionem; [114] et in primo quidem designatur gratia, in altero vero vita aeterna.

Christus innocentiam suam evidentissime ostendit, ut ab inimicorum accusationibus se defendat.

VIII. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Licet homini sapienti seipsum aliquando laudare virtutemque et innocentiam suam ostendere, sicut fecit Samuel cum Hebraeis, [115] David cum Saule. [116] Militi forti magnique valoris, cui licet ensem, pugionem omnisque generis arma deferre, non licet frustra vires suas ostentare disciplinamque militarem verberando aerem per plateas et vias, nam insanus haberetur; sed cum se offert occasio et iusta causa ab inimicis impetitus vel iniuria lacessitus, nam « vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatae tutelae ». [117] Sic agit Christus hodie, seipsum ab inimicis gladio linguae veluti defendit: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, ut iusta de causa existimari possim a vobis pseudopropheta indignus fide?

Duas ob causas Christum occidere voluerunt:

Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum, Iesus autem abscondit se et exivit de templo. Duas ob causas Iudaei hodie Christum lapidibus obruere voluerunt; una est, quia se faciebat prophetam maiorem Abrahamo omnibusque Prophetis; altera, quia se Deum faciebat. Quoad

110) Ibid. vr. 24. 111) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Emundabit conscientiam nostram*, etc. 112) Cf. Ex 36, 8 sqq.; S. Thomas *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 102, a. 4. 113) Cf. 9, 1-8. 114) Cf. 11, 1-44. 115) Cf. 1 Rg 12, 1-5. 116) Cf. ibid. 24, 1 sqq. 117) Axioma iuridicum, de quo cf. part. 1 huius *Quadrag.*, pag. 174.

primam, Christus quidem hodie prophetam Dei se esse demonstrat, cui ex divino mandato credendum est. Ait enim *Deuteronomio* 18: *Prophetam de medio tui ex fratribus tuis suscitabit tibi Dominus similem mei, ipsum audies.* Sed a propheta ibi duo requiruntur: sanctitas vitae et veritas doctrinae. Christus autem hodie quoad sanctitatem vitae ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quoniam Christus est *Sol iustitiae*, absque vel minima macula peccati; et quoad veritatem doctrinae ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? . . . Qui ex Deo est verba Dei audit;* et: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Ex his autem verbis Iudaei cognoverunt quod Christus maiorem Prophetis se faceret; hinc aiunt: *Abraham mortuus est et Prophetae* mortui sunt, *et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum? Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis?* [118] Christus autem respondit se prophetis maiorem esse, quia Messias erat: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est* – voluisset procul dubio Abraham videre Messiam in mundo; vidit autem in spiritu et gavisus est, certior factus a Deo quod Messias venturus erat in mundum, – Messiam autem Deum esse: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Ideo, inquit, Abrahamo et ceteris Prophetis maior sum, quia illi quidem homines fuerunt meri; ego vero et Deus sum.

quia se maximum prophetam faciebat et verum Deum.

Sed Christus hodie probat se verum esse prophetam et quidem maiorem omnibus Prophetis,

cum sit Messias Deus,

IX. Iudaei vero in Christum, quatenus prophetam se dicebat, crimina duo obiectant: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [119] Contra sanctitatem vitae dicunt eum samaritanum et contra veritatem doctrinae dicunt eum daemoniacum; quatenus vero Deum se dicit, eum tanquam blasphemum pessimum lapidibus obruere volunt: *Quia,* inquiunt, *tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* At vero adhuc Christus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc est: Quis vestrum vere potest aliquod crimen mihi obicere meque de aliquo peccato convincere? Dicitis me samaratanum moribus esse, doctrina vero daemoniacum; sed, agite, probate, ostendite horum criminum veritatem; in iudicio enim probanda est

Iudaei Christum accusabant de impietate, de mendacio et de blasphemia,

118) Io 8, 52-53. Vulg.: *Non gustabit mortem,* etc. 119) Ibid. vr. 48.

sed ab omnibus accusationibus Christus se purgat provocans inimicos ad calumnias probandas

accusatoribus criminum veritas coram iudice, ut reus accusatus atque convictus damnari possit ad dandas meritas poenas. Respondet tamen Christus ad Iudaeorum obiecta purgatque seipsum a falsis criminibus dicens: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum*. Qui, inquit, diabolico spiritu plenus est, non quaerit gloriam Dei, sed gloriam suam in mundo hoc vano; *sed*, inquit, *ego honorifico Patrem meum*, ergo daemonium non habeo. Mea doctrina non est a daemonio, sed a Deo vivo et vero. Deinde, si, ut dicitis, samaritanus moribus essem, idest peccator et vir malae fidei, quaererem gloriam meam vindicaremque iniurias contra honorem meum illatas. Homo enim, cum suapte natura honoris et gloriae [120] sit appetentissimus, non potest aequo animo ferre iniurias, quae militant contra honorem, ut eas non quaerat vindicare, si possit, sed Deo vindictam relinquat. At, inquit, cum vos inhonoretis me, *ego non quaero gloriam meam*, sed *est qui quaerat et iudicet*, [121] Deus. Hoc est: Deo vindictam relinquo iniuriarum mearum, ergo non sum samaritanus; homo enim peccator, qui nonnisi gloriam propriam quaerit, non potest ferre iniurias contra suum honorem illatas.

et ostendens innocentiam suam quia Dei gloriam, non propriam quaerebat.

Cum autem Christus a Iudaeis maximas passus sit iniurias, ut hodie patet et multo magis in passione et cruce, vindicare se minime voluit cum posset, sed omnia patienter tulit. Deus vero Christi iniurias postmodum vindicavit ultorque acerrimus extitit in hunc usque diem, ut videmus in miserabili Iudaeorum captivitate. Ait enim: Si quis prophetam *audire noluerit, ego* adversus eum *ultor existam*. [122] Hoc est quod ait: *Est qui quaerat et iudicet ;* et item: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum. Et si dixero quia nescio eum ero similis vobis mendax : Sed scio eum et sermonem eius servo*. [123] Haec duo sunt quae faciunt prophetam numeris omnibus absolutum: scientia divina ob doctrinae veritatem: *Scio eum* et non sum mendax; deinde, ob vitae sanctitatem divinae legis observantia: *Sermonem eius servo*.

Miserabilis Iudaeorum captivitas, qua Deus nunc quoque eos punit, ostendit Christum fuisse verum prophetam

Quod vero Iudaei tanquam blasphemum lapidare hodie Christum volunt, quoniam dixit se Deum esse: *Antequam Abraham fieret ego sum*, ostendant, quaeso, blasphemiam esse dicere quod Messias Deus futurus esset, Deus humanatus et homo deificatus. Si nequaquam

et verum Messiam,

120) Ms.: *Cum* hic repetitur. 121) Io 8, 50. 122) Dt 18, 19. 123) Io 8, 54-55.

dicere poterunt, ut vere minime dicere possunt, hoc esse contra divinam legem, non dicant esse blasphemiam dicere quod Christus sit Deus, cum saepissime in Divinis Scripturis Christus appellatus sit Deus: *Vocabitur . . . Deus, fortis ;* [124] *Hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus iustus noster ;* [125] cum tamen nullibi Divina Scriptura dicat Messiam non vere Deum fore, sed tantum nominetenus sic appellandum; hoc enim figmentum est Iudaeorum, non divinae legis documentum nec fidei dogma.

qui in Scripturis praedictus fuerat verus Deus.

II. ALIA HOMILIA

I. Est ignorantia malorum omnium causa, non enim nisi quae cognoscimus et diligimus bona et odio habemus mala. Ambulans in tenebris homo ignorans in mille impingit scandala et praecipitia ruit. Ignorans in convivio inimici sub amici larva sumit venenum in epulis, mordet saepe sub viridi herba anguis. Tenetur filius diligere et honorare patrem et servus dominum suum, sed, nisi agnoscat, iniuria etiam afficiet. Canis, animalium fidelissimum, ad custodiam domus positus, si forte ipsemet dominus sub alieno habitu et larva domum adeat, latrabit, in eum irruet, insiliet, mordebit, ignorans dominum suum esse. Sic malorum omnium causa ignorantia est. Causa passionis Christi, qua a Iudaeis crudelissime fuit occisus, ignorantia fuit: *Si enim cognovissent, Dominum gloriae nunquam crucifixissent.* [1] Et hodie non cognoscentes Christi divinitatem lapidare eum volunt iniuria affectum. *Iesus autem abscondit se et exivit de templo,* [2] in signum quod ipse est *Deus absconditus,* [3] Deus ignotus. [4] Ex qua ignorantia nascuntur omnia mala mundi, scelera omnia et peccata in ipsummet Deum.

Ignorantia causa est omnium malorum,

sicut causa quoque fuit passionis et mortis Christi.

Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est verba, etc. [5]

II. Erat Dominus noster Iesus Christus vere Deus infinitae maiestatis et gloriae, sed absconditus sub velo mortalis humanitatis,

124) Is 9, 6. 125) Ibid. 23, 6.

1) 1 Cor 2, 8. Vulg.: *Nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* 2) Io 8, 59.
3) Is 45, 15. 4) Cf. Act 17, 23. 5) Io 8, 46-47.

Iudaei Christum persequebantur quia eius divinitatem sub humanitate absconditam non agnoscebant;

Verbum carne velatum; unde Isaias ait: *Tantum in te est Deus et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* [6] Hinc, quia in humilitate humanitatis abscondita erat gloria divinitatis, audent hodie Iudaei non tantum contumeliis afficere: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [7] sed etiam lapidibus audent impetere: *Tulerunt . . . lapides ut iacerent in eum.* [8] Si enim Christi divinitatem agnovissent, profecto talis tantaeque impietatis facinus nunquam commisissent. Sic Paulus ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* [9] Et alibi idem Paulus ait quod *qui . . . habitabant Ierusalem et principes eius* ignorantes Christum occiderunt. [10] Petrus item: *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis* vos *et principes vestri.* [11]

et haec ignorantia causa fuit ut illum tanquam blasphemum lapidare vellent.

Ignorantia igitur divinitatis Christi praecipua causa fuit qua eum Iudaei occidere voluerunt, quoniam Christus Filium Dei se dicebat, *aequalem se faciens Deo.* [12] Hinc hodie ut audiverunt Christum dicentem: *Antequam Abraham fieret ego sum, tulerunt . . . lapides ut iacerent in eum,* [13] existimantes eum blasphemum esse. Unde alias volentes iterum lapidare Christum dixerunt: *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* [14] Non cognoscebant nec credebant Christi divinitatem, quoniam in humanitate latebat: *Vere tu es Deus absconditus.*

Deus ubique latet absconditus; habitat in mundo, in Ecclesia, in Sacramentis, sed non videtur;

III. Mirum profecto est quod Deus fecit hominem, ut ipsummet Deum cognosceret et intelligeret, ut diligere et frui posset; et tamen abscondit se ab oculis eius: *Vere tu es Deus absconditus.* Abscondit se Deus in creaturis mundi, in Sacramentis Ecclesiae, in figuris Divinarum Scripturarum et in nominibus etiam divinitatis suae. Propitiatorium, quod erat divinae essentiae hieroglyphicum, voluit, ut maneret semper absconditum in sancta sanctorum sub velo, ut videri nullo modo posset. [15] Cum venit ipse ad dandam legem, venit abs-

6) 45, 14-15. 7) Io 8, 48. 8) Ibid. vr. 59. 9) 1 Cor 2, 7-8. 10) Act 13, 27-28. 11) Ibid. 3, 17. Vulg.: *Fratres, scio,* etc. 12) Io 5, 18. 13) Ibid. 8, 58-59. 14) Ibid. 10, 33. 15) Cf. Ex 25, 17-22; 30, 6.

conditus in caligine:[16] *Posuit tenebras latibulum suum.*[17] Et Salomon, aedificato templo, ait: *Dominus dixit ut habitaret in nebula;*[18] *Pollicitus est ut habitaret in caligine.*[19]

Mundus hic templum Domini est; habitat ubique Deus per potentiam, praesentiam et essentiam, infinita magnitudine naturae suae omnia implens; sed habitat in caligine. Ecclesia templum Dei est, in quo habitat per fidem, spem, caritatem et gratiam; sed habitat in caligine: *Posuit tenebras latibulum suum.* Habitat in Sacramentis Deus, maxime vero in supersanctissimo Sacramento altaris, sed absconditus in seipso, quoniam *lucem habitat inaccessibilem.*[20] In mundo, quia ubique est et non videtur; in Ecclesia in qua habitat latens. In Divinis Scripturis manet absconditus sub figuris arcanorum mysteriorum. Dicitur enim Deus in Divinis Scripturis *coelum,*[21] *sol,*[22] *lux,*[23] *ignis,*[24] *fons aquae vivae,*[25] *terra optima*[26], *lignum vitae,*[27] *leo,*[28] *aquila,*[29] *paterfamilias,*[30] *rex,*[31] *sponsus*[32] et alia huiuscemodi. Apparuit sanctis Patriarchis atque Prophetis in diversis formis atque figuris; Abrahamo in lampade sive face accensa,[33] Iacob innixus in summo scalae coelestis,[34] Moysi in flamma ignis,[35] universo populo in igne et caligine,[36] Eliae in sibilo aurae suavis,[37] Isaiae sedens tanquam rex super solium altum et elevatum,[38] Ieremiae in virga vigilanti,[39] Michaeae sedens in medio omnium coelestium exercituum,[40] Ezechieli tanquam homo igneus sedens in firmamento super capita animalium et rotarum,[41] Danieli tanquam iudex sedens super thronum igneum,[42] Amos stans super murum, tenens manu perpendiculum caementarii;[43] universo populo Israel in dedicatione templi appa-

In Scripturis manet absconditus sub velamine figurarum;

saepissime etiam apparuit sub diversis formis,

quae eius essentiam adumbrabant.

16) Cf. ibid. 19, 16-18; 22, 15 sqq. 17) Ps 17, 12. 18) 3 Rg 8, 12. 19) 2 Par 6, 1. 20) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat*, etc. 21) Cf. Dt 4, 26; 30, 19; 31, 28; Idt 7, 17; 1 Mach 2, 37; 4, 10; 9, 46; 2 Mach 7, 11; Lc 18, 21. 22) Cf. Ps 83 (hebr. 84), 12; Eccli 42, 16; Mal 4, 2. 23) Cf. Is 60, 19-20; Apc 21,23; 22, 5. 24) Cf. Dt 4, 24; 9, 3; Hebr 12, 29. 25) Cf. Ps 35, 10; Is 12, 3; 49, 10; 58, 11; Ier 2, 13; 17, 13; Apc 7, 17; 21, 6. 26) Cf. Ps 24, 13; 26, 13; 36, 9. 11-22. 29; Is 4, 2; Ier 9, 19; Ez 26, 20; Mt 5, 4. 27) Cf. Prv 3, 18; Apc 2, 7; 22, 2. 14. 28) Cf. Is 5, 29; 38, 13; Os 13, 8; Am 3, 8; Apc 5, 5. 29) Cf. Dt 32,11. 30) Cf. Sap 14, 3; Eccli 23, 1. 4; 51, 14; Is 63, 16; 64, 8; Ier 3, 4. 19; Mal 1, 6; Mt 13, 24-30; 20, 1-16; 21, 33-40; Lc 13, 25-27; 14, 16-24. 31) Cf. Ps 5, 3; 23, 7-10; 28, 10; 43, 5; 46, 3. 7-8; 73, 12; 83, 4; 94, 3; 144, 1; Mt 22, 2-13; 25, 34-40; 1 Tim 6, 15; Apc 15, 3; 17, 14; 19, 16. 32) Cf. Ps 18, 6; Sap 8, 2; Is 61, 10; 62, 5; Os 2, 19-20; Mt 9, 15; 25, 1-12; Apc 21, 9. 33) Cf. Gn 15, 17. 34) Cf. ibid. 28, 13. 35) Cf. Ex 3, 2. 36) Cf. ibid. 24, 15-16. 37) Cf. 3 Rg 19, 12. 38) Cf. Is 6, 1. 39) Cf. Ier 1, 11. 40) Cf. 2 Rg 22, 19. 41) Cf. Ez 1, 15-21; 10, 2-9. 42) Cf. Dn 7, 9. 43) Cf. Am 7, 7.

ruit in nebula, quae templum implevit, [44] et saepissime in deserto in nube apparuit populo suo, in nube, inquam, quae super tabernaculum Domini incubabat, [45] et mille aliis modis apparuit Deus Moysi et Aaron aliisque sanctis Prophetis; quae quidem omnia mysteria sunt adumbrantia divinam essentiam, quae sub illis latebat.

Abscondit etiam se sub nominibus, quibus saepe appellatur in Divinis Litteris.

Abscondit se etiam Deus sub nominibus, quibus saepe in Divinis Scripturis appellatur. Sunt autem praecipua Dei nomina in Sacris Litteris decem. Dicitur enim nunc אֶהְיֶה, [46] quod est s u m ; nunc יָהּ, [47] quod est e n s ; nunc יְהֹוָה, [48] quod est e x i s t e n s ; nunc אֵל, [49] quod est p o t e n s ; nunc אֱלוֹהַּ, [50] D e u s ; nunc אֱלֹהִים, [51] D i i ; nunc אֲדֹנָי, [52] D o m i n u s ; nunc שַׁדַּי, [53] s u f f i c i e n s ; nunc עֶלְיוֹן, [54] e x c e l s u s ; nunc יְהֹוָה צְבָאוֹת, [55] D e u s e x e r c i t u u m . Sic Deus miris modis abscondit se tanquam thesaurum infinitum, sicut anima nostra, quae divina imago est, abscondita manet in corpore isto nostro, et pretiosiora quaeque abscondit Deus ab hominum obtutibus.

Deus abscondit seipsum ad probandam fidem nostram,

IV. Abscondit autem seipsum Deus a nobis primo quidem, ad probandum fidem nostram. Non enim magnum est ut uxor viro fidem servet nec admittat amasium in oculis viri, sed magnum est si, multis temporibus absente viro et a multis tentata, id agat. Sic magnum non esset si non peccaremus videntes praesentem Deum; Angeli enim, qui Deum praesentem vident, peccare non possunt.

ad augendum meritum huius fidei,

Secundo, ut fidei nostrae meritum multo maius multoque excellentius esset; eorum enim quae oculis videntur, non est fides, sed sensilis experientia: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* [56] Sic ad maius meritum spei abscondit ab oculis nostris gloriam paradisi. Ad maius etiam meritum caritatis et observantiae divinorum mandatorum;

44) Cf. 3 Rg 8, 10-11. 45) Cf. Ex 40, 36; Nm 9, 15-16. 46) Ex 3, 14. Ms.: אהיה. 47) Ex 15, 2. Ms.: יה. 48) Gn 2, 4 sqq. Ms.: יהוה. 49) Gn 14, 18-22; Dt 10, 17. Ms.: אל. 50) Dt 32, 15; Ps 17 (hebr. 18), 32; 49 (hebr. 50), 22; Iob 3, 4. 23; Prv 30, 5; Is 44, 8; Dn 11, 37. Ms.: אלוה. 51) Gn 1, 1 sqq. Ms.: אלהים. 52) Gn 15, 2. 8. Ms.: אדני. 53) Iob 8, 3. 5; 21, 15. 20; 22, 17. 23-26; 27, 2. 11. 13. Ms.: שדי. 54) Gn 14, 10-22. Ms.: אליון. 55) Is 5, 7-24; 10, 16-33. Ms.: יחוה צבאות. 56) Io 20, 29.

observare enim quae rex praesens suo ore mandat, magnum non est, aut visam diligere pulcritudinem; Dei autem summa maiestas et summa pulcritudo est.

ad excitandam mentem nostram et desiderium, ut eum semper et ubique quaeramus.

Tertio, ut summa cum diligentia absconditum thesaurum divinae cognitionis quaereremus, ne otio torpentes, segni quadam ignavia mente hebetes obtusique facti, nullo mentali exercitio uteremur; non enim quaerit homo nec desiderat id quod iam habet. Hoc est quod de sanctis Patriarchis legimus, quod ubique fodiebant ad inveniendam aquam vivam, [57] Deus enim est vena *aquarum viventium.*[58] Ad exercitandam igitur mentem nostram et ad magis magisque excitandum desiderium nostrum abscondit Deus infinitum thesaurum divinitatis suae, ut eum iugiter quaereremus. Ob id praecipue abscondit se in Divinis Scripturis, ut quaereremus quidnam figurae illae significent: quid ignis, quid nubes, quid caligo, quid ventus, quid virga, quid humana species in eo; sic quid significent divina nomina אֶהְיֶה. יָהּ. יְהוָה. אֵל. אֱלוֹהַּ. אֱלֹהִים. עֶלְיוֹן. שַׁדַּי. אֲדֹנָי. יְהוָה צְבָאוֹת, [59] et sic perscrutaremur mysteria omnia tum mysticae tum symbolicae theologiae: [60] *Iesus autem abscondit se; Posuit tenebras latibulum suum,* ubi non videtur et videt omnia: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* [61]

Sed absconsio haec occasio fuit omnium malorum;

V. Sed heu, heu! absconsio ista infelici mundo occasio fuit omnium malorum. Adam, post peccatum, audiens *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem,* timuit et *abscondit se.* [62] Si Deum praesentem vidisset, profecto minime peccasset. Ex ignorantia Dei, quae regnat in mundo, nascuntur omnia mala. Sic Dominus hodie ait: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* [63] Ignorat mundus divinam innocentiam et sanctitatem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

si enim mundus cognosceret veritatem

O si agnosceret mundus quanto Deus odio prosequatur peccatum, non tam venena quaevis et mortem fugeret quam peccatum

57) Cf. Gn 21, 30; 26, 15. 18-19. 21-22. 32. 58) Ier 17, 13. 59) *Ehieh, Iah, Iehovah, El, Eloah, Elohim, Helion, Scadai, Adonai, Iehovah zebaoth.* 60) De theologia mystica et symbolica quid intelligat S. Auctor, cf. part. 1 huius *Quadrag.*, pag. 140. 149. 61) Ct 2, 9. 62) Gn 3, 8. 63) Io 8, 54-55.

et virtutem aeternaque praemia et supplicia

quodvis. Ignorat divinam veritatem: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ignorat divinam iustitiam, qua unicuique dat secundum opera sua: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* [64] O si mundus aeterna praemia virtutis aeternaque vitiorum supplicia agnosceret! Ignorat divinam maiestatem: non credebant hodie Iudaei Christum Abrahamo maiorem esse et Prophetis; homines magis reveretur plurisque mundus quam Deum facit. Ignorat tandem divinam essentiam ubique praesentem, infinitamque eius aeternitatem; hinc tollit mundus lapides ut iaciat contra Deum. O si cognosceremus quidnam sit: *Ego sum,* quod primum est nominum Dei! *Sum qui sum,* [65] ens primum, independens, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, optimum, maximum, infinitum, unicum, unde principium est totius esse universorum entium. Nec tantum principium, sed etiam corona, summum in entibus locum tenens; hinc visus est in summitate scalae istius universi, in quo superiora entia semper sunt maiora, nobiliora, clariora, potentiora, spiritualiora, in quibus omnibus Deus summum tenet supremumque locum. Spiritum necesse est igitur eum esse infinitae potentiae infinitaeque perfectionis. Si autem spiritus est, intellectu praeditus est, intellectus autem perfectio sapientia est, infiniti intellectus infinita sapientia et intelligentia. Intellectus autem natura liber est, infinitae voluntatis perfectio, infinita bonitas et benignitas perfectio est. Et sic de singulis. Hoc est: *Ego sum qui sum; Antequam Abraham fieret ego sum.*

et divinam maiestatem et essentiam, profecto minime peccaret.

Sed non cognoscit haec mundus: *Vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* Miraculum magnum accidit in Aegypto, quod sol Hebraeis lucidus erat diemque clarissimam efficiebat, videbatur ab omnibus, Aegyptiis vero erat eclipsatus, efficiebat obscurissimam noctem, a nemine videbatur. [66] Sic Deus iustis et probis viris cognitus est: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* [67] Sed impii Deum minime cognoscunt; hinc Athenis ara erat in qua scriptum erat: *Ignoto Deo.* [68] Multi cum insipiente dicunt: *Non est Deus;* [69] cum Pharaone: *Quis est Deus ut obediam voci eius?* [70] Multi *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* [71]

Sed haec mundus non cognoscit, quia iniqui Deum cognoscere nequeunt.

64) Ibid. vr. 51. 65) Ex 3, 14. 66) Cf. ibid. 10, 22-23. 67) Ps 75, 2. 68) Act 17, 23. 69) Ps 52, 1. 70) Ex 5, 2. Vulg.: *Quis est Dominus ut audiam vocem eius?* 71) Tit 1, 16.

III. ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? Qui ex Deo est, etc. [1]

Christus inimicis calumniantibus hodie ostendit innocentiam suam

I. Sicut Samuel correpturus populum de peccatis ipsius, prius innocentiam suam ostendit, [2] ita hodie Christus, qui est verus Samuel postulatus a Deo [3] et nomen eius Deus, ostendit hodie innocentiam suam coram inimicis suis Iudaeis. Sunt autem inimicorum oculi acutissimi, quare hinc elucet quam immaculatissima fuerit Salvatoris vita, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: *Si veritatem dico vobis,* etc. Vos, inquit, cum Deus legem vobis e coelo dedit, maiestate eius exterriti petistis ne amplius loqueretur vobis Deus, sed Moyses [4] aut quis alius Prophetarum Moysi similis, homo sanctae vitae et verae coelestisque doctrinae. Deus autem assensit vobis promittens se missurum prophetam Moysi similem vosque astrinxit, ut crederetis prophetae loquenti ex parte Dei tanquam ipsi Deo, modo propheta vitae esset illibatae et veritatem Dei praedicaret.[5] Nunc videte si quid in me horum deest: Si vitae sanctitas: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* si doctrinae veritas: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* maxime quia *si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* [6] Si terra seminata fructum non affert, necesse est hoc provenire vel ex seminatoris incuria et inertia, quia terram non coluit, non irrigavit; vel ex parte seminis, quia non, ut videbatur, bonum , sed corruptum erat; vel ex parte ipsius terrae, quae suapte natura mala sit nec nisi spinas et tribulos germinet. [7] Sed quod spectat ad seminatorem: *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* Quod spectat ad semen: *Si veritatem dico vobis.* Defectus igitur ex parte ipsius terrae est, nam: *Qui ex Deo est verba Dei audit.* [8] Haec est terra bona quae affert bonam messem, fructum centuplum: *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.* [9] Sed *propterea vos non auditis, quia ex Deo non*

eloquentissimis argumentis eorum accusationes confutando,

imo eas in ipsos retorquendo.

1) Io 8, 46-47. 2) Cf. 1 Rg 12, 1 sqq. 3) Cf. ibid. 1, 20. 4) Cf. Ex 20, 18-19. 5) Cf. Dt 18, 15 sqq. 6) Io 8, 51. 7) Cf. Gn 3, 18. 8) Io 8, 47. 9) Lc 8, 15.

estis; [10] non estis terra benedicta, sed maledicta, cibus antiqui serpentis; [10a] non estis filii Dei, sed filii diaboli: *Vos ex patre diabolo estis;* [11] non ducimini Sancto Spiritu Dei, sed pessimo spiritu carnis, mundi et diaboli. [12]

Dat simul signa quibus cognoscantur qui ex Deo et qui ex diabolo sint.

Dat nobis hodie Christus evidentissimum signum, quo possimus cognoscere an ex Deo an vero ex diabolo simus; in quo simus statu apud Deum, amoris an odii, amicitiae an inimicitiae, sicut Ionathas Davidi signum dedit sagittarum, si prope vel longe essent; [13] verba autem Dei sagittae sunt acutae, directae ad cor nostrum.

et seipsum regulam rectissimam exhibet, quam omnes sequi debeant.

Quis ex vobis arguet me de peccato ? Ostendit se Christus regulam esse ac veluti lineam rectissimam ad dirigendam obliquam atque distortam mundi vitam. Recta autem est linea quae ab extremis nihil deflectit nullamque curvitatem habet brevissimaque est, ut a puncto ad punctum brevior esse non possit. Sic Christus linea recta; sicut innocens natus fuit, sic semper vixit et mortuus est; pauper et humilis natus, pauper et humilis mortuus, pauper et humilis semper vixit. At non sic mundus, non sic; non est conformis principio et fini vitae; pauper et nudus homo in hunc mundum ingreditur et pauper nudusque egreditur, at non talis vult esse in vita.

Hodie Christus vere ostenditur magnus sacerdos, in omnibus perfectissimus,

II. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico,* etc. In templo Christus haec verba dicit tanquam sacerdos magnus, cui credendum ex auctoritate divinae legis est, nam ait: Omnis qui non obedierit sacerdotis imperio morte moriatur. [14] Ostendit se Christus indutum veste byssina [15] purissimae et candidissimae innocentiae: *Quis . . . arguet me de peccato ?* Nam oportebat etiam sacerdotem absque omni macula et defectu naturali esse, [16] idest absque omni vitio et etiam absque omni peccato; nam Adam bene quidem sine vitio erat in paradiso, sed tamen peccavit. [17] Ostendit se indutum veste hyacinthina, coloris coelestis, dum ait se non quaerere gloriam suam, sed glorificare Patrem suum; [18] indutum superhumerali diversorum colorum, dum ait: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum . . .*

10) Io 8, 47. 10a) Cf. Gn 3, 14. 11) Ibid. vr. 44. 12) Cf. Rom 8, 13-14.
13) Cf. 1 Rg 20, 20-22. 37-39. 14) Cf. Dt 17, 12. 15) Cf. Ex 28, 4 sqq.; 39, 1-30.
16) Cf. Lv 21, 17-21. 17) Cf. Gn 2, 15 sqq.; 3, 6. 18) Cf. Io 8, 49-50.

scio eum et sermonem eius servo; [19] habere supra pectus הָאוּרִים וְאֶת־הַתֻּמִּים, [20] doctrinam et veritatem, lumina et perfectiones: *Si veritatem dico; Scio eum et sermonem eius servo;* summum esse sacerdotem, maiorem Patriarchis et Prophetis: *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetae mortui sunt;* [21] *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est;* [22] tandem laminam auream supra caput habere: *Antequam Abraham fieret ego sum;* [23] lamina enim illa, in qua divinum nomen sculptum erat, divinam essentiam designabat, quae suapte natura superior est omni creatura, Deus supra scalam Iacob, [24] supra cherubim, divinum propitiatorium in sancta sanctorum. [25] Sic ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum,* quia: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* [26] Deus dixit Moysi: *Ego sum qui sum.* [27] Iure igitur conqueritur Christus denegari sibi in templo cum sit verus sacerdos magnus, cui obediendum et credendum erat, fidem et obedientiam. Ostendit etiam se virgam Aaron, quae miraculo floruit et fructus fecit [28] aquamque de petra eduxit, [29] habere divinam, inquam, potestatem operandi miracula.

maior omnibus Patriarchis et Prophetis,

verus Deus, cui obediendum et credendum est.

III. *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* Videre mihi videor in sacrosancto hodierno Evangelio duas scalas, quarum altera ascendit in coelum ad Deum, altera descendit in infernum ad diabolum. Una est scala virtutum, altera scala vitiorum. Scala virtutum cernitur in Christo, scala autem vitiorum in Iudaeis persequentibus Christum. Scala virtutum plures habet gradus, et similiter scala vitiorum. Primus gradus scalae virtutum est innocentia vitae: *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* Innocentia autem haec fundamentum habet in corde; nam innocentiae verae sedes cor est, alioquin lupus erit sub ovina pelle. [30] Christus autem propter innocentiam *Agnus Dei* [31] dictus est, praefiguratus in agno paschali, quem oportebat omnino integrum et immaculatum esse, absque ullo penitus vitio et defectu. [32] Ut autem cor innocens sit duo necessaria sunt; cognitio et amor Dei, caritas

Ostenditur etiam typus absolutus omnium virtutum,

corde innocentissimus, propter cognitionem et amorem Dei,

19) Ibid. vrr. 54-55. 20) Ms.: *Haurim et hathumim.* 21) Io 8, 53. 22) Ibid. vr. 56. 23) Ibid. vr. 58. 24) Cf. Gn 28, 13. 25) Cf. Ex 25, 17-20; 1 Rg 4, 4; 2 Rg 6, 2. 26) Io 1, 1. 27) Ex 3, 14. 28) Cf. Nm 17, 6-10. 29) Cf. ibid. 20, 8-11. 30) Cf. Mt 7, 15. 31) Io 1, 29. 36. 32) Cf. Ex 12, 5.

quae ignis est lucens et ardens. De Christo autem dicitur hodie quod Deum cognoverit, ait enim: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum . . . scio eum*, etc.; et item quod non quaerebat, non desiderabat nec ambiebat gloriam propriam, sed gloriam Dei: *Ego honorifico Patrem meum . . . non quaero gloriam meam.* [33] Alter gradus est in ore: *Si veritatem dico vobis*, et est sermo utilis et fructuosus: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Tertius gradus est in manibus et operibus: *Honorifico Patrem meum; Scio eum et sermonem eius servo.* Sic perfecta scala virtutum est in optimo usu cordis, linguae et manuum pro gloria Dei.

doctrina veracissimus

et vita sanctissimus.

Scala autem vitiorum eosdem habet gradus. In corde incredulitas primus gradus est: *Quare non creditis mihi ?* Oritur autem incredulitas ex defectu divini amoris: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, oritur item ex ignorantia: *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* Secundus gradus est vitium linguae in mendaciis et iniuriis: *Ero similis vobis mendax.* [34] *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes ?* [35] *Nunc cognovimus quia daemonium habes ... Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?... Quem teipsum facis?* [36] Tertius gradus in manibus consistit male operantibus: *Tulerunt . . . lapides ut iacerent in eum.* [37]

Ostenduntur etiam Iudaei exempla vitiorum, quia increduli, mendaces, maligni, et vita perversi.

Videat nunc quisque per quam harum scalarum incedat. Necesse est enim ut unusquisque harum alterutram teneat; nam ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Mundum veluti in duo hemisphaeria dividit Christus his verbis: in arcticum et antarcticum; tempus omne in diem et noctem, tempus lucis et tempus tenebrarum. Sic inquit: Omnis homo secundum spiritum vel ex Deo est vel ex diabolo. *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere.* [38] *Qui ex Deo est*, per gratiam et caritatem filius Dei, *verba Dei audit*, obedit Deo, servat divina mandata pro viribus. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ?*

Hinc quisque videre potest utrum ex Deo an ex diabolo sit;

qui enim ex Deo est, Deo obedit, qui ex diabolo, odit veritatem.

« Veritas odium parit », [39]

pulcherrima mulier turpissimum filium. Achab odio habebat sanctum

33) Io 8, 49-50. 34) Ibid. vr. 55. 35) Ibid. vr. 48. 36) Ibid. vrr. 52-53. 37) Ibid. vr. 59. 38) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Desideria patris*, etc. 39) Terentius *Andria*, actus 1, scena 1, vr. 68.

Michaeam, quoniam veritatem dicebat ei.[40] Infirmi oculi odio habent lucem, quae sanis oculis gratissima est; gustui corrupto et malo humore infecto cibi optimi insuaves sunt: Hebraeis in deserto manna suavissima fastidio erat et Aegypti carnes, pisces, cucumeres, porros, allia, cepas desiderabant:[41] *Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?*[42]

IV. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Si Angelus e sublimi coelo solari luce circumfusus visibiliter appareret et laminam auream divino digito scriptam, sicut tabulae legis,[43] spectanti populo in terram dimitteret, omnes occurrerent, omnes laminam illam videre et legere cuperent, scireque divina oracula ibi conscripta ardentissime desiderarent. Sed an non omnis Divina Scriptura de coelo divinitus data est per magni consilii Angelum?[44]

Credendum est Divinae Scripturae, quia a Deo data fuit.

Quare non creditis mihi? Si veritatem dico vobis, etc. Duplici ex capite Christo quam firmissime credendum est; quoniam ipse verus Messias est Patriarchis promissus: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est;*[45] Messias autem secundum Divinarum Scripturarum veritatem duplicem naturam in una persona habiturus erat, sicut homo in una natura duplicem habet substantiam: futurus erat Deus et homo, homo autem sanctissimus et propheta maximus; credendum igitur Christo quatenus Deus est: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Et quatenus homo: *Abraham exultavit ut videret diem meum;* quatenus propheta sanctissimus maximusque, sicut Ieremias a matris utero sanctificatus et destinatus propheta,[46] cui Dominus ait: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te... super gentes et... regna... Ne formides a facie eorum... quia ego tecum sum, et dedi te in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aeneum regibus Iuda principibus eius et sacerdotibus et universo populo... Bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum.*[47] Sic hodie accidit Christo. Et quidem sicut in prima sua missione Ieremias *virgam* vidit *vigilantem,* sive amygdalinam, *et ollam succensam*[48] a facie aquilonis, sic in hodierno Evangelio vi-

Christo autem credendum est quia ipse est verus Messias,

et verus Deus factus homo

et ideo propheta sanctissimus

contra quem tamen synagoga odio accensa insurrexit

40) Cf. 3 Rg 22, 13 sqq. 41) Cf. Nm 11, 4-5. 42) Ps 4, 3. 43) Cf. Ex 32, 15-16. 44) Cf. Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 45) Io 8, 56. 46) Cf. Ier 1, 4-5. 47) Ibid. vrr. 9-19. Ordine inverso affert hos vrr. 48) Ibid. vrr. 11, 13.

demus virgam vigilantem, nam Dominus ait ibi: *Vigilo ego super verbo meo ut faciam illud.* [49] Christus autem: *Si veritatem dico... quare non,* etc.; olla autem fervens et succensa igne quidem infernali ab aquilone synagoga est ita fervens hodie contra Christum.

Ostendit hodiernum Evangelium Christum hominem innocentissimum,

V. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Qui ex Deo est verba Dei audit.* Mirabili quodam artificio hodie Ioannes ostendit Christum esse veluti coelestem illam scalam, cui innixum Deum vidit patriarcha Iacob, [50] nam et Dominus ad mysterium illud alludens de seipso ait: *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* [51] Ostendit enim Ioannes primo quidem hominem esse Christum, sed innocentem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis vestrum vel de levissima culpa me convincere potest? Sic et Samuel dixit universo populo coram Saul rege. Secundo, ostendit Christum esse prophetam verum sanctumque veritatis praedicatorem: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Tenebantur enim ex legis praescripto Iudaei credere et obedire Prophetis veris a Deo missis. [52] Tertio, quod maior sit Patriarchis atque Prophetis: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum,* nam, auditis verbis his, Iudaei dixerunt: *Abraham mortuus est et prophetae* mortui sunt, *et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum? Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetae mortui sunt.* [53] Quarto, quod sit verus Messias promissus atque praevisus in spiritu Patriarchis atque Prophetis: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est;* omnes enim Patriarchae et Prophetae desiderarunt adventum Christi in mundum. Quinto, quod sit verus Deus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum,* alludens ad illud: *Ego sum qui sum.* Sexto tandem quod sit absconditus: *Iesus autem abscondit se et exivit de templo;* [54] sic enim absconditus erat Deus in Bethel, quare ait sanctus patriarcha: *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam... Quam terribilis est... locus iste!* [55]

prophetam sanctissimum et veracissimum,

maiorem omnibus Patriarchis et Prophetis,

verum Messiam promissum et expectatum et verum Deum, quamvis absconditum.

Sic videmus Dominum verum Deum innixum cacumini scalae

49) Ibid. vr. 12. 50) Cf. Gn 28, 13. 51) Io 1, 51. 52) Cf. Dt 18, 19 sqq.
53) Io 8, 52-53. Vulg.: *Non gustabit mortem,* etc. 54) Ibid. vr. 59. 55) Gn 28, 16-17.

huius, nam tandem vera Christi deitas declaratur: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Quibus verbis ostendit Christus Deum esse substantiam, non factam nec creatam, ut Abraham, sed increatam et aeternam.

Necesse est ut in universo ponatur aliqua substantia aeterna,

VI. Et quidem necesse est ut in universo ponatur aliqua substantia increata et aeterna; nam, si nulla ponatur quae ab aeterno fuerit, nec mundus esset. Si enim coepit esse mundus, necesse est ut factus sit ab aliquo agente; si fabricata est domus, necesse est ut ab aliquo sit fabricata. Sic, inquam, si mundus coepit esse, non semper fuit; ab aliquo agente, qui semper fuerit, necesse est ut sit factus. Nihil enim a seipso fieri potest;[56] nam necesse est ut res prius sit quam operetur: arbor quae adhuc plantata nec nata est, non potest facere fructus; lucerna quae non est accensa, non potest illuminare domum; ignis priusquam accendatur calefacere non potest. Hinc nihil potest esse causa suiipsius, sui pater, quoniam antequam sit operari non potest. Cum igitur multae sint substantiae nec omnes sint aeternae, sed multae sunt generabiles et corruptibiles, principium et finem sui esse habentes, necesse est ut vel saltem una ponatur aeterna substantia quae semper fuerit, nunquam coeperit esse.

omnium creaturarum causa efficiens.

Mundi aeternitatem a multis propugnatam impossibilis est,

Nec abnuit philosophia hanc esse, et Deum hanc aeternam esse substantiam; sed multi opinantur mundum hunc quoque cum Deo aeternum esse, ita ut nec mundus aliquando coeperit esse. At sacra theologia et vetus etiam philosophia docet solum Deum esse aeternum, mundum autem factum a Deo, licet multi autument potuisse ab aeterno fieri crearique mundum.[57] Sed si ab aeterno mundus fuit uti nunc est, nunquam ergo creatus est; nam quod creatur et fit, non est, sed tunc incipit esse. Nunc non creatur mundus, non fabricatur a fundamentis hoc templum, si semper fuit uti nunc est, nunquam ergo creatus mundus est, nunquam fabricatum hoc templum. Christus igitur se solum Deum increatum docet, alia vero omnia facta: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Omnis creatura Abraham est, facta est, aliquando non erat; Deus autem semper fuit: *Ego sum,* sicut Moysi Deus ait: *Sum qui sum,* prima lux, fons omnis luminis.

sacra theologia et vetus philosophia respuunt.

56) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 45, a 2, ad 2.
57) Cf. S. Thomas Opusc. XXVII, *De Aeternitate Mundi.*

Multi negant Deum esse quia absconditus est et sensibus non apparet.

VII. Sed, ut verum fatear, existimo, fratres, quod adhuc multi sint athei in mundo qui Deum esse negant, ut Diagoras, [58] Protagoras, [59] Theodorus [60] et alii: [61] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus,* [62] eo quod absconditus Deus est et non videtur, non sentitur. Mundum ter quaterque beatum, fratres, si vere crederet Deum esse, ut est, ubique praesentem: *Coelum et terram ego adimpleo.* [63] Sed multi non credunt nisi quae oculis vident; Deum esse minime credunt, eo quod eum non vident.

Principium praesuppositum est in sacra theologia Deum esse primam substantiam,

At Deus ait: *Ego sum qui sum,* ens primum, prima mundi substantia. Hoc quidem praesupponit tanquam principium sacra theologia, nam omnis scientia praesupponit sua principia: naturalis philosophia quod sit materia, quod sit natura, quod sit motus; philosophia moralis quod sit virtus, quod sit vitium, quod sit amor boni et odium mali; mathematica quod sit quantitas continua, linea, superficies, magnitudo discreta, numerus par et impar. Sic omnis scientia praesupponit sua principia. Sacra igitur theologia hoc praesupponit quod Deus sit primum ens, prima essentia et natura in toto universo, sicut lux solis prima lux est in toto mundo. Hinc autem sequitur quod sit independens, sicut lux solis non dependet ab alio planeta ut lumen lunae; sic Deus a nulla alia causa, alioquin prima illa causa esset Deus. Hinc quod sit aeternus, nam si aliquando coepit esse, ab aliqua causa accepit esse; hinc quod sit simplicissimum, purissimum, perfectissimum; hinc quod infinitae sit perfectionis; hinc quod sit infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis; hinc mundi creatio, conservatio, regimen; hinc divinae providentiae opera, nam infinita potentia et bonitas otiosa esse non potest, ut lux infinita non splendeat, ignis infinitus non ardeat, calorem non emittat. Infinita Dei potentia et bonitas non potest non operari, non communicare seipsam. Hinc cum dixisset Moysi: *Ego sum qui sum,* subiunxit: *Sic dices filiis Israel: ... Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus*

ergo independentem, aeternum, perfectissimum,

creatorem et conservatorem providentissimum, causam primam omnium creaturarum,

58) Cf. S. Augustinus *Contra libros Petiliani*, lib. 3, cp. 21, (P. L. 43, 360); Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium*, lib. 1, pag. 35-36; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4. col. 171: Suidas *Opera Historica*, col. 231. 59) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 9, pag. 381; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 171.

60) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 92; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 171; Suidas *Opera Historica*, col. 231. 61) Cf. Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Athei*. 62) Ps 52, 1. 63) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo*.

Isaac et Deus Iacob misit me ad vos ; [64] ubi veluti demonstratione quadam ostendit se primam substantiam, primam causam, patrem universi, creatorem patrum nostrorum. Neque enim philosophia admittit processum in infinitum; necesse est devenire ad primum patrem humani generis, sicut Abraham primus est pater Hebraeorum, Adam vero omnium hominum, Deus autem Adami, pater, formator et creator: *Antequam Abraham fieret ego sum ; antequam* Adam *fieret ego sum; antequam* mundus *fieret ego sum.* Omne quod non est, divina natura factum est, coepit aliquando esse, creatum est. Solus Deus natura est increata et aeterna, principium a quo coelum dependet et natura, nam sicut anima regit servatque corpus, ita Deus naturam universam totumque mundum.

processus enim in infinitum admitti nequit.

VIII. Sed sicut anima abscondita in corpore, ita Deus in mundo. Abscondit se Deus in natura universali, ubique est per potentiam, praesentiam et essentiam, sed nullibi videtur; ubique operatur et nullibi sentitur. Quis enim procreat naturalia entia et quaecunque generantur, nisi Deus? Nam natura non est opifex, non artifex rerum, sed instrumentum, penicillus pictoris et colores; sed Deus est ipse pictor et opifex. Ad procreandum quodcunque ens naturale magna requiritur ars et sapientia, ita ut pictor, licet excellentissimus Apelles,[65] summa arte et iudicio praeditus, vix possit, omni artificio omnique diligentia usus, imaginem cuiusvis rei naturalis absque ulla imperfectione efformare. Quae est igitur natura ista sapientissima, optima rerum procreatrix? Deus est *qui operatur omnia in omnibus,* [66] sed latet, non videtur.

Sed quamvis in mundo ubique sit per potentiam, praesentiam et essentiam, nullibi tamen videtur;

quamvis ubique operetur, non sentitur.

Abscondit se in Divinis Scripturis sub velaminibus mille figurarum, sub metaphoris, sub parabolis, sub hieroglyphicis, sub mille aenigmatibus; abscondit se in Ecclesia, in Sacramentis et in cordibus fidelium, in quibus per fidem, spem et caritatem habitat; abscondit se in Christi humanitate, sub magna humilitate et paupertate, sub conditione naturae passibilis et mortalis. In coelesti paradiso tantum manifestus est Deus, ibi sicut sol lucet in meridie, hic autem sol est nube tectus, tenebris involutus, sicut in Ae-

Sic latet in Scripturis, in Ecclesia, in cordibus fidelium, in humanitate Christi.

64) Ex 3, 14-15. 65) Cf. Ios. Perin *Onomasticon*, sub voce: *Apelles*. 66) 1 Cor 12, 6.

Tantum in coelesti paradiso manifestus erit.

gypto.[67] Hic *totus mundus in maligno positus est,*[68] quia Deum vere non cognoscit, *posuit* enim *tenebras latibulum suum;*[69] *En ipse stat post parietem,* sed *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos;*[70] cum a nemine videatur ipse omnes videt semper et ubique. Quod quidem nec philosophos latuit, nam Tales Milesius, referente Laertio, interrogatus an male agens lateret deos, respondit: «Nec cogitans quidem».[71]

IV. ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato?[1]

Nemo, nisi necessitate coactus, debet laudare seipsum; ideo Christus hodie ab inimicorum iniuriis sese defendit

I. Laudare seipsum Dominus videtur; laus autem in ore proprio sordescit.[2] Fertur autem Philosophi apophthegma quod sapiens vir in neutram partem de seipso loqui debet, quoniam bene loqui de se vanitas est, male autem stultitia.[3] Sed, necessitate urgente, ad purgandas iniquas calumnias licet utique; sicut forti et cordato militi, cui arma, ensem, pugionem ferre licet, indecorum est per vias et plateas ire, evaginato ense et pugione aerem verberando ad ostendendam artem digladiandi, stulti enim hoc esset et vani hominis; sed, iusta causa poscente, fas est arma capere inimicosque impetere.

eosque ad probandas calumnias contra ipsum illatas provocat.

Christus autem *vir belli* dicitur in Sacris Litteris:[4] אִישׁ מִלְחָמָה,[5] eius lingua *gladius* est *ex utraque parte acutus.*[6] Evaginato gladio hoc hodie seipsum defendit, ferit inimicos, imo agit sicut fortissimus miles, qui ab inimicis iniuriis lacessitus, ad pugnam eos provocat et ad singulare certamen. Sic Christus: *Quis ex*

67) Cf. Ex 10, 22-23. 68) 1 Io 5, 19. Vulg.: *Mundus totus,* etc. 69) Ps 17, 12. 70) Ct 2, 9. 71) *De Vita et Moribus Philosophorum,* lib. 1, pag. 20.

1) Io 8, 46. 2) Proverbium, de quo Cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 1401; Aldo Vannucci *Proverbi Latini,* vol. 1, pag. 270 3) Aristotelis sententia hoc carmine exprimitur:

« Nec te collaudes, nec te culpaberis ipse;
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis ».

Cf. Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium,* lib. 7, *De Sapienter Dictis,* pag. 612; Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae,* sub voce: *Laus.* 4) Ex 15, 3. 5) Ms.: *Isc milhamah.* 6) Apc 1, 16; 19, 15.

vobis arguet me de peccato? Ita ut nec renuat cum plurimis simul solus ipse manus committere, licet verum sit quod dicitur: « Cum duobus nec Hercules quidem ».[7] Est hodie Christus veluti magnus theologus aut philosophus, qui in magna aliqua universitate, in conventu doctissimorum virorum cathedram conscendens, publice conclusiones tenet omnesque invitat, si quis vult contra ipsius conclusiones arguere, ut accedat.

His verbis Christi sanctitas ostenditur,

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ostenditur his verbis quod Christus talis fuit in spiritu et anima, qualis Absalom in corpore, de quo sic legimus: *Sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis ; a vestigio pedis usque ad verticem* capitis *non erat in eo ulla macula.*[8] Vere Absalom Christus, p a t e r p a c i s,[9] et patris pax; *In quo mihi bene complacui.*[10] In *Canticis* de Christi innocentia sic legimus: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus,*[11] sive, ut est in hebraico: *Insignis prae decem millibus,* sive: *Vexillanus in decem millibus ;* caput est et princeps sanctorum omniumque innocentium. Et item: *Venter eius,* sive *pectus eius, eburneus, distinctus sapphiris.*[12] Innocentia dicitur candor et puritas animi; hinc Christus dicitur habere pectus eburneum. Quoniam autem Christi innocentia ornata est omnibus coelestibus virtutibus, ait quod distinctum ornatumque est pectus eius sapphiris gemmis et pretiosissimis lapidibus, sicut erat pectus magni sacerdotis.[13] Ob eandem causam Christus dicitur נַשְּׁקוּ־בַר : בַר,[14] *osculamini purum,* adorate filium osculando manus pedesque ipsius, quoniam dignus est ob divinam eius puritatem.

quae multis modis in Sacris Scripturis declaratur.

Gloria Christi revelata fuit Ezechieli sub figura ignei currus quattuor animalibus tracti,

II. *Iesus autem abscondit se et exivit de templo.*[15] D i v i n u s V a t e s E z e c h i e l Spiritu Sancto afflatus et in extasim raptus ad contemplanda divina mysteria praevidendaque coelestia sacramenta, quae in diebus Messiae futura erant, vidit in spiritu gloriam Dei egredientem de templo; sic enim ait: *Gloria Dei Israel assumpta*

7) Plato *Phaedo* vel *De Anima*, pag. 292. Proverbium significans neminem adeo viribus excellere, ut unus pluribus par esse possit. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 298-299. 8) 2 Rg 14, 25. 9) Sic latine interpretatur *Absalom*. 10) Mt 17, 5. 11) 5, 10. 12) Ibid. vr. 14. 13) Cf. Ex 28, 9-30. 14) Ps 2, 12. Ms.: *Bar nasceka bar*. 15) Io 8, 59.

est de Cherub, quae erat super eum ad limen domus;[16] *Elevaverunt Cherubim alas suas et rotae cum eis et gloria Dei Israel erat super ea; et ascendit gloria Domini de medio civitatis stetitque super montem, qui est ad orientem urbis.*[17] Gloriam Dei dicit ipsum Deum qui in humana specie apparuit ei super currum igneum quattuor animalibus tractum: homine, leone, bove et aquila.[18] Sic etiam Zacharias vidit in spiritu Christum de templo et civitate egredientem; ait enim: *Egredietur Dominus... et stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum, qui est contra Ierusalem ad orientem.*[19] Currus ille igneus, qui divinae gloriae vehiculum erat, sacram Christi humanitatem designabat.

et etiam Zachariae.

Quoniam vero omnis qui peccat, vel peccat ex infirmitate spiritus, vel ex fragilitate carnis, vel ex imprudentia et ignorantia ac caecitate mentis, vel tandem ex malitia voluntatis et pravo ac iniquo cordis affectu, aut ex defectu divini amoris, extincto igne divinae caritatis, merito Christus ait se esse sine peccato, quoniam ignis hic divinam in eo caritatem designat. Quattuor autem animalia quattuor virtutes cardinales, rotae autem dona Spiritus Sancti, quibus Christi anima perfectissime fuit instructa, non enim ad mensuram datus est ei Spiritus.[20]

Currus enim igneus significabat divinam Christi caritatem, quattuor virtutes cardinales et dona Spiritus Sancti.

III. Incipit hodie Sancta Mater Ecclesia sacratissimae passionis Christi mysteria celebrare – hinc hodiernus dies Dominica Passionis appellatur; – proponit nudum crucis patibulum, sacrum altare, super quo mysticus Isaac immolandus erat,[21] lignum super quo aeneus serpens erat exaltandus.[22] In Evangelio autem causa proponitur ob quam Christus a Iudaeis odio habitus est et persecutionem passus ad mortemque quaesitus. Non utique ob admissum aliquod scelus vel patratum flagitium, nam ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Christus enim agnus est immaculatus, *qui tollit peccata mundi,*[23] et *Sol iustitiae*[24] tenebras vitiorum eliminans, verus Deus, in quem impossibile est ut cadat peccatum: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus.*[25] *Antequam Abraham fieret*

In hodierno Evangelio causa proponitur qua Iudaei mortali odio Christum persequerentur.

16) 9, 3. Vulg.: *Gloria Domini,* etc. *Dei* lect. cod. 17) Ibid. 11, 22-23. 18) Cf. ibid. 1, 4-10. 19) 14, 3-4. 20) Cf. Io 3, 34. 21) Cf. Gn 22, 9-10. 22) Cf. Nm 21, 8-9. 23) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. 24) Mal 4, 2. 25) Dt 32, 4.

ego sum. [26] Visus fuit Deus Danieli candidissima veste indutus: *Vestimentum eius candidum sicut nix et capilli capitis eius tanquam lana munda,* [27] ad designandam infinitam Dei innocentiam infinitamque sanctitatem.

Christus enim, utpote verus Deus, infinita sanctitate praeditus erat;

Christus igitur, homo Deus cum sit, infinitis partibus gradibusque ipsis etiam Angelis innocentior et sanctior est. Non igitur sua culpa Christus mortalem persecutionem passus est a Iudaeis, sed propter iustitiam [28] et praedicationem veritatis; sicut patres eorum in deserto lapidare voluerunt Iosue et Caleb de terra promissionis vera praedicantes, sed a Deo protecti fuerunt; cum enim lapidibus eos vellent obruere, statim apparuit gloria Domini super tabernaculum testimonii; [29] sicut lapidare voluerunt Moysen, eo quod eduxerat eos de Aegypto in desertum ad serviendum Deo et ad obtinendam possidendamque fertilissimam ac felicissimam terram promissionis. [30] Est veritatis pulcherrima mulier, sed quae turpissimum parit filium:

sed quia veritatem praedicabat, odio habebatur.

« Veritas odium parit ». [31]

Me... odit mundus quia ego testimonium perhibeo de eo, quod opera eius mala sunt. [32]

Iniquis et malis virtus et veritas semper displicent;

IV. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est verba Dei audit ; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ;* [33] *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere ; ille homicida erat ab initio.* [34] Sicut aegris oculis displicet lux, gustui male affecto suavis cibus amarus videtur, viro etiam a mala femina praestigiato uxor, licet pulcherrima, odio est; sic homini, qui depravato affectu est, iniquo animo et mala voluntate, cui vitia placent, necesse ut veritas virtusque displiceat. Sic impius Achab odio habebat sanctum Dei vatem Michaeam, eo quod veritatem ei denunciabat. [35] Displicet multis veritas et virtus, eo quod a diabolo praestigiati ac dementati sunt, sicut Hebraeis in deserto nauseae ac stomacho erat suavissimum manna, [36] coelestis ille cibus et panis Angelorum. [37]

Veritas autem vere manna suavissimum est, panis qui vitam

26) Io 8, 58. 27) Dn 7, 9. Vulg.: *Quasi nix*, etc. 28) Cf. Mt 5, 10. 29) Cf. Nm 14, 6-10. 30) Cf. Ex 17, 2-3. 31) Cf. not. 39 praec. hom., pag. 22. 32) Io 7, 7. Vulg.: *Perhibeo de illo*, etc. 33) Ibid. 8, 46-47. 34) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Desideria patris*, etc. 35) Cf. 3 Rg 22, 8. 36) Cf. Nm 11, 4-6. 37) Cf. Ps 77, 25; Sap 16, 20-21.

sed veritas vita aeterna est, quae ipsam mortem temporalem desiderabilem reddit.

aeternam confert; ait enim: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum.* [38] Non solum, inquit, non peribit in aeternum, salvabitur a perditione et morte aeterna, sed nec temporalem quidem mortem gustabit, non videbitur ei mors amara, non terribilis et formidabilis, sed potius desiderabilis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* [39]

Mors mundanis amara est, quia temporalibus bonis eos spoliat et iudicio divino tradit;

Duplici quidem ex capite mors mundanis hominibus amara est: primo, quia in morte privatur homo bonis omnibus quae in mundo possidebat, et sicut nudus in mundum hunc ingressus est ita nudus egreditur; [40] altero vero, quoniam post mortem iudicium sequitur: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* [41] Homo autem sibi criminum anteactae vitae anxius, timet divinae iustitiae severitatem divinique iudicii districtionem sciens quod ante tribunal Dei rationem redditurus est villicationis suae. Verus autem christianus et sanctus Dei servus nihil horum timet: non primum, quoniam non terrena et mundana diligit momentanea bona, sed aeterna, coelestia, divina; non secundum, quoniam fide, spe et caritate munitus, nullius sibi criminis conscius, quod timeat non habet a severissimo iudice, sed quod speret a clementissimo et amantissimo patre. Sic veritas Evangelii vitam confert aeternam: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum. Animalis autem homo*, qui non sapit *quae sunt spiritus Dei*, [42] nauseat super manna.

sed verus christianus nil horum timet, quia terrena non diligit et Deum non iudicem sed patrem expectat et praestolatur.

Hinc Iudaei in Christum insaniebant quia spiritu Dei destituti erant.

Causa igitur, propter quam Iudaei Christum persequebantur et ob quam hodie eum lapidibus obruere voluerunt, est quoniam Dei spiritu destituti et satanae spiritu pleni, sicut Saul, postquam ob peccatum discessit ab eo spiritus Domini, [43] veritatem odio habebant.

Christus duplicem veritatem praedicabat: de vero cultu Dei et de recta institutione vitae; neutram autem Iudaei quaerebant,

V. Praedicabat autem Christus duplicem veritatem: merae fidei, quae spectat ad Deum intellectu vere cognoscendum, ut quod Deus unus sit et trinus, quod incarnatus sit et humanatus pro salute humani generis, quod mundum crearit et regat; et praeter hanc praedicabat veritatem iustitiae et caritatis, quae spectat ad Deum unice colendum totoque cordis affectu diligendum. Et Iudaei quidem neutram veritatem crediderunt, imo audientes hodie Christum dicentem

38) Io 8, 51-52. 39) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi*, etc. 40) Cf. Iob 1, 21. 41) Hebr 9, 27. 42) 1 Cor 2, 14. 43) Cf. 1 Rg 16, 14-15.

se Deum Deique Filium esse, *tulerunt... lapides ut iacerent in eum*[44] tanquam blasphemum: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia... quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.*[45] Prima veritas est tanquam naturalis philosophia et metaphysica, secunda vero moralis est philosophia; illa spectat ad theoriam, haec ad praxim.

Ideo Christum lapidare volebant.

Et nos quidem, o fratres, fidei nostrae dogmata, quae ad theoriam pertinent, firmissime credimus; Trinitatis et incarnationis, mortis, resurrectionis et ascensionis Christi mysteria inconcussa fide tenemus. Quae autem ad praxim pertinent, non ita: quod poenitentia peccatorum necessaria sit ad salutem: *Nisi poenitentiam egeritis similiter omnes peribitis;*[46] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[47] quod item humilitas: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum,*[48] nam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;*[49] *Qui se humiliat exaltabitur;*[50] patientia similiter: *In patientia vestra possidebitis animas vestras;*[51] *Patientia... vobis necessaria est ut... reportetis promissionem;*[52] observantia divinae legis: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;*[53] caritas, ut Deum super omnia et proximum tum amicos tum inimicos tanquam nosipsos diligamus.[54] Si haec credimus ut illa, fratres, cur non opere implemus? Vel cur saltem pro viribus implere non studemus? non satagimus? Sed ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*[55]

Ad salutem necesse est non solas veritates speculativas credere,

sed etiam eas quae praxim respiciunt.

VI. Cum incipiat hodie Sancta Mater Ecclesia celebrare mysteria passionis Christi, quod sacrificium fuit expiationis pro peccato totius humani generis, Christum nobis ostendit in templo tanquam sacerdotem, in atrio utique templi, ubi erat altare holocausti et sacrificiorum.[56] Quoniam autem ad offerendum Deo sacrificium primo omnium sacerdos requiritur et pontifex, qui ex praescripto legis solus poterat offerre sacrificia;[57] hinc P a u l u s in hodierna Epistola Christum sacerdotem pontificemque ostendit dicens: *Christus... assistens pontifex futurorum bonorum... introivit semel in sancta,*

In Liturgia Missae Christus hodie ostenditur magnus sacerdos seipsum Deo hostiam offerens.

44) Io 8, 59. 45) Ibid. 10. 33. 46) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Omnes similiter peribitis.* 47) Mt 3, 2; 4, 17. 48) Ibid. 18, 3. 49) Iac 4, 6. 50) Lc 14, 11; 18, 14. 51) Ibid. 21, 19. 52) Hebr 10, 36. 53) Mt 19, 17. 54) Cf. ibid. 5, 43 sqq.; Lc 10, 27-37. 55) Io 8, 44. 56) Cf. Ex 40, 27. 57) Cf. Lv 1, 1-2, 1 sqq.

aeterna redemptione inventa. [58] In Evangelio autem indumenta pontificis sacra ostenduntur; non enim nisi sacris [vestibus] indutus pontifex sacrificium Deo rite offerre poterat. [59] Aaron autem, cum consecratus a Moyse pontifex fuit et primum sacrificium Deo obtulit, indutus ab ipso fuit primo quidem tunica byssina, postea vero hyacinthina aerei coelestisque coloris, tertio superhumerali cum *Rationali* iudicii, ac tandem pontificalem mitram in capite accepit, in qua erat lamina aurea cum nomine tetragrammaton. Haec autem mysteria erant quae typice divina in Christo sacramenta adumbrabant.

58) Hebr 9, 12. 59) Lv 8, 1 sqq.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PASSIONIS

I. Naturalissima est infinitae bonitatis Dei proprietas ut ex immensa caritate sua non solum Angelis in coelo, sed etiam hominibus in terra benefaciat, nec tantum iustis, sed etiam peccatoribus: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,* [1] sicut sol non tantum coelum illuminat, sed etiam terram, quae illi suapte natura inimica est, et coelum non tantum pluit super campos fecundos arboresque bonas atque fructiferas, sed etiam super steriles maris arenas arboresque inutiles, imo et noxias; nec tantum omnibus benefacere, sed etiam saepe pro malis ab hominibus acceptis non mala, sed bona reddere, sicut terra ab animalibus conculcata stercoribusque deturpata mirabili quadam alchymia lutum veluti in aurum convertere, stercora turpia, foetida, abominabilia convertit in pascua pulcra, odorifera, desiderabilia, quibus ipsa animalia perpetuo nutrit. Et sicut coelum, cum a terra non accipiat nisi crassos turpesque vapores, qui coeli ipsius faciem obscuris atrisque nubibus deformant, et tenebras nocturnas, quae saepe lunam eclipsant et magnam coeli partem obscurant, illi tamen pro tenebris lucem iugiter dat et pro fuliginosis caliginosisque vaporibus pluvias desiderabiles; sic Christus, verus Deus Deoque Patri simillimus, venit in mundum non tantum iustos, sed etiam *peccatores salvos facere.* [2] Et hodie omnes invitat ad gratiam suam stans in templo et clamans: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* [3] Hoc autem tamen maxime cum *miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent eum,* [4] quoniam sol est ortus super bonos et malos et fons aquae vivae pro totius mundi salute a Deo apertus et datus.

Sicut divina bonitas non tantum iustis, sed etiam peccatoribus benefacit,

sic Christus venit in hunc mundum ad salvandos non tantum iustos, sed etiam peccatores.

1) Mt 5, 45. 2) 1 Tim 1, 15. 3) Io 7, 37. 4) Ibid. vr. 32.

Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum. Iesus autem dixit eis : Adhuc modicum, etc. [5]

Peccaverunt Moyses et Aaron in bina percussione petrae in fide deficientes,

II. Peccaverunt [6] Moyses et Aaron percutientes virga Dei petram in deserto ad educendam ex ea populo aquam salutarem; [7] petra autem illa Christum praefiguravit: *Petra . . . erat Christus*, inquit Apostolus. [8] Moyses autem et Aaron, principes populi, sunt hodie principes synagogae et virga illa signum erat auctoritatis et potestatis concessae a Deo principibus super populum tanquam sceptrum regale: *Miserunt principes et Pharisaei :* ecce Moyses et Aaron, *ministros:* ecce virga auctoritatis, *ut apprehenderent:* ecce percussio, *Iesum:* ecce petra percussa. Non est clarum quodnam peccatum commiserint Moyses et Aaron percutientes petram illam, nam Dominus mandasse videtur Moysi ut illam percuteret, sicut legimus *Exodo : Virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua et vade ; et ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram et exibit ex ea aqua ut bibat populus.* [9] Et tamen, ut in *Numeris* legimus, *cum . . . elevasset manum* suam *Moyses percutiens bis virga silicem*, egressaeque fuissent *aquae largissimae, ita ut populus biberet et iumenta*, Dominus indignatus dixit ad Moysen et Aaron: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* [10] Et ob id Moyses et Aaron mortui fuerunt in deserto, ante ingressum terrae promissionis, [11] in poenam huius peccati, quam dimittere eis etiam rogatus nullo modo voluit, [12]

quia dubitare visi sunt de verbo Dei, quod petra illa aquam dare posset,

5) Pericope huius diei Io 7, 32-39. Vulg.: *Dixit ergo eis Iesus*, etc. Cf. Missale Rom.

6) In margine haec adiecta fuerunt: « Ostenditur in sacrosancto hodierno Evangelio Christus fons omnium bonorum, sicut petra in deserto fons aquarum. Mirabile erat et Moyses vix credere potuit quod petra illa, quae arida et sicca videbatur, intra se contineret veluti immensum mare aquarum. Sic utique de Christo. Videbatur homo pauper, humilis, despectus et miserabilis, et tamen thesaurus erat omnium bonorum. Deus quidem fons est bonorum omnium naturae, sicut Moyses ostendit in mundi creatione et ex dierum operibus; gratiae, sicut ostendit in fabrica tabernaculi divinoque propitiatorio; et felicitatis, sicut ostendit in felicissima terra promissionis fluente *lacte et melle*. Christus autem Deus est, ergo fons omnium bonorum. Sic in Evangelio Christus ostensus est fons omnium bonorum naturalium operando miracula, fons gratiae iustificando peccatores et instituendo Sacramenta, et fons gloriae paradisi ».

7) Cf. Nm 20, 8-12. 8) 1 Cor 10, 4. 9) 17, 5-6. Vulg.: *En ego stabo*, etc. 10) 20, 11-12. Vulg.: *Moyses manum percutiens virga bis*, etc. 11) Cf. ibid. 33, 38; Dt 34, 5. 12) Cf. Nm 27, 12-14; Dt 3, 23-27.

quia, inquit, *non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel.* Sed si iussa impleverunt, quomodo non crediderunt? Profecto dubitasse nec stabiles in fide fuisse videntur. Dixerunt enim universae multitudini congregatae ante petram: *Rebelles et increduli, num de petra hac poterimus vobis aquas eicere?* [13] Et tunc veluti cum indignatione bis virga petram percusserunt, [14] cum Dominus dixerit eis: *Loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas.* [15] Et profecto multo maius illustriusque fuisset potentiae divinae miraculum si solo verbo petrae duxisset aquas, quasi divini verbi parens imperio, sic multo magis Deus sanctificatus fuisset. Quare in hoc non fuerunt in fide Dei stabiles, quia non locuti sunt ad petram iuxta mandatum Domini, non credentes quod petra, solo Dei verbo audito, posset se aperire aquasque largissimas ex suo sinu emanare; et ob id cum indignatione percusserunt petram.

et ob id cum indignatione bis percusserunt petram;

Sic hoc fuit peccatum Iudaeorum et maxime principum: non crediderunt quod Christus posset eos salvare, et ob id occiderunt eum tanta cum impietate et crudelitate. Quare non peccaverunt Iudaei quia Christum occidere voluerunt, sed quia non crediderunt et impie crudeliterque occidere voluerunt; si enim pie Christum occidissent, sicut Abraham filium suum Isaac, [16] Deo gratissimum sacrificium obtulissent. Mittunt igitur hodie principes et Pharisaei ministros ad comprehendendum Christum ut eum impie crudeliterque occiderent. Sic peccant percutiendo hanc petram.

sic peccaverunt Iudaei non credentes quod Christus posset illos salvare, hinc eum occidere voluerunt.

Quae tamen percussa facta est eis fons aquae vivae – fontem enim hodie ostendit se Christus esse, dum ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* – sicut fuit percussa illa petra. Sic enim M o y s e s ait: *Domine Deus, audi clamorem populi huius et aperi eis thesaurum tuum fontem aquae vivae.* [17] Sic utique Christus, quoniam thesaurus est omnium bonorum Dei, propterea est fons aquarum viventium, imo quia Deus est. Petra enim illa propterea facta fuit fons aquae vivae, quoniam stetit super illam Deus. Ait enim: *En ego sto ibi coram te super petram Horeb percutiesque petram, et exibit ex ea aqua ut bibat populus.* Sic quia in Christo *habitat omnis plenitudo divinitatis,* [18] propterea fons est aquarum viventium.

Sed sicut petra percussa aquas copiosas dedit omni populo, sic Christus occisus factus est fons omnium bonorum.

13) Nm 20, 10. Vulg.: *Vobis aquam poterimus eicere ?* 14) Ms.: *Percussit.* 15) Nm 20, 8. 16) Cf. Gn 22, 1-12. 17) Nm 20, 6. Vulg.: *Huius populi,* etc. 18) Col 2, 9. Vulg.: *Inhabitat,* etc.

Saepe in S. Scriptura Deus *fons* appellatur, sic et Christus, quoniam verus Deus est.

III. Deus enim saepe in Scripturis Divinis *fons* mystice dicitur a symbolica theologia: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fortem vivum;*[19] *Me dereliquerunt fontem aquae vivae;*[20] *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.*[21] Christus vero, quoniam Deus est, ipse quoque dictus est *fons*. I o e l : *Fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum.*[22] Z a c h a r i a s: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem.*[23] Et E z e c h i e l de sub limine templi, quod in spiritu ipse vidit in figuram Christi et Ecclesiae, inquit quod egrediebantur aquae vivae; de sub limine, inquam, portae oraculi interioris, quod dicebatur *sancta sanctorum*, egrediebantur aquae, quae tendebant versus orientem; sed a dextera parte templi quae erat meridionalis, ex quibus factum fuit flumen, quod Vates transvadare minime potuit; quo enim magis procedebat eo profundiores aquas inveniebat. Nam traductus ab Angelo in flumen per mille passus invenit aquam usque ad talos; traductus per alios mille passus invenit usque ad genua; traductus per alios mille invenit usque ad lumbos; et tandem per alios mille et non potuit pertransire, quoniam intumuerant aquae profundae, adeo ut transvadari flumen minime posset.[24]

Fons est Christus, figuratus per fontem quem vidit Ezechiel egredientem de sub limine templi

Hoc autem mysterium est, Christum fontem esse perpetuum quidem et copiosissimarum aquarum; fons ille, unde emanat fluvius ille paradisum irrigans, tam magnus quod in quattuor maxima flumina dividebatur;[25] fons, cuius aquae sunt clarissimae tanquam crystallum. Sic I o a n n e s ait: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni;*[26] fons, cuius aquae sunt optimae: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum . . . venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*[27] Aquae sunt, sed habent virtutem vini et lactis, et adhuc mellis et olei: *Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo ;*[28] sicut enim manna habebat saporem omnis cibi,[29] ita aquae hae omnis potus. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*[30] Hauriuntur et bibuntur aquae istae *in gaudio*, quoniam

et Ioannes in *Apocalypsi*.

19) Ps 41, 2-3. 20) Ier 2, 13. 21) Ps 35, 10. 22) 3, 18. 23) 13, 1.
24) Cf. 47, 1-5. 25) Cf. Gn 2, 10-14. 26) Apc 22, 1. 27) Is 55, 1.
28) Dt 32, 13. 29) Cf. Ps 77, 24-25; Sap 16, 20. 30) Is 12, 3.

optimae sunt, et hauriuntur ac bibuntur *gratis.* Ait enim *Apocalypsi: Qui sitit veniat et qui vult bibat aquam vitae gratis.* [31]

IV. Homo desiderat aquam vivam primo quidem, ad extinguendam sitim, ne siti moriatur; sic Samson aquam desideravit: *En,* inquit, *siti morior,* unde Dominus aperuit ei fontem aquae ex molari dente maxillae asini; [32] secundo, ad sanitatem conferendam; aquae enim minerales in balneis multum valent contra morbos innumeros ad sanitatem acquirendam et conservandam; tertio, ad abluendas sordes tum corporis tum vestium ac utensilium; et quarto, ad irrigandam terram irrigandosque hortos et pomaria.

Sicut aqua materialis sitim extinguit, sanitatem confert, sordes abluit et terram irrigat,

Aqua autem haec Christi, quae gratiam Spiritus Sancti significat: *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum,* [33] omnes hos effectus cumulatissime confert. Primum quidem, quoniam Christus ait: *Qui . . . biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [34] Caritas enim Dei, qua Deus ex toto corde diligitur quaeque per Spiritum Sanctum confertur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* [35] adeo concupiscentiam terrenarum rerum extinguit, ut faciat homines nedum non aliena desiderare, sed etiam propria et contemnere ex alto et etiam relinquere propter Christum omnia: *Ecce nos reliquimus omnia.* [36]

sic aqua Christi, quae est gratia Spiritus Sancti, concupiscentiam extinguit,

Nec tantum extinguit sitim haec aqua, sicut extinxit sitim Ismaeli qui siti moriebatur, [37] et Samsoni, sed etiam nutrit, sicut nutriebat manna, sicut nutrit lac. Hinc dicitur non tantum aqua, sed etiam *lac.* Nec tantum nutrit, sed etiam dat magnum vigorem, sicut vinum optimum; afficit etiam gustum summo suavissimoque sapore, et est veluti condimentum eduliorum; hinc dicitur *vinum, mel* et *oleum.* Nec tantum aqua haec sic vitam fovet, nutrit atque conservat, sed confert vitam aeternam. Hinc Christus ait: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*

vigorem confert spiritui et vitam aeternam;

Secundo, aqua haec saluberrimum est remedium contra omnes infirmitates. Hinc praefigurata in aquis Iordanis, quibus lotus Naa-

remedium est contra infirmitates spirituales,

31) 22, 17. Vulg.: *Accipiat aquam,* etc. 32) Idc 15, 18-19. 33) Io 7, 39.
34) Ibid. 4, 13-14. 35) Rom 5, 5. 36) Mt 19, 27. 37) Cf. Gn 21, 16-19.

man syrus mundatus fuit ab incurabili lepra;[38] praefigurata in aquis piscinae ab Angelo motis, quibus lotus homo sanabatur *a quacunque detinebatur infirmitate.*[39] Hinc aquae Ezechielis egredientes de sanctuario dicuntur habere virtutem sanandi aquas maris Mortui,[40] quia aqua haec non solum infirmos sanat, sed etiam mortuos vivificat per Baptismum et Poenitentiam, et propterea dicitur *aqua vitae.*

lavat animas a sordibus vitiorum

Tertio, lavat animas ab absurdis quibusvis vitiis turpibusque quibuscunque peccatorum sordibus. Hinc ait: *Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruae.*[41] Hinc praefigurata est in aqua labii aenei in tabernaculo Moysi,[42] in aqua maris aenei ac luterum in templo Salomonis,[43] qua lavabantur sacerdotes antequam ingrederentur in tabernaculum testimonii vel in templum Domini, et in aqua expiationis.[44]

et munditiem supernaturalem ac pulcritudinem confert;

Nec tantum sordes abluit aqua ista, sed etiam confert supernaturalem munditiem, veluti si quid lacte lavetur: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.*[45] Nec tantum supernaturalem confert albedinem, sed etiam pulcritudinem, veluti si vas aeneum lavetur aqua argentea aut aurea, cui ex lotione illa remaneat pulcherrimus argenti color fulvusque auri splendor.

cor fecundissimum reddit spiritualium bonorum et omnium virtutum;

Quarto tandem, aqua ista fecundat terram cordis nostri, ut semen coelestis seminatoris faciat fructum centuplum.[46] Et naturalis quidem aqua uno tantum anni tempore fructificare facit et unius tantum speciei fructus et vivas tantum arbores, non mortuas, et naturales tantum fructus producere facit; haec autem aqua fructificare facit omni tempore, sicut legimus *Apocalypsi* quod iuxta ripam fluminis erant arbores fructificantes per singulos menses anni;[47] sic etiam legimus Ezechiele;[48] et facit ut unaquaeque arbor producat fructus optimos omnis generis: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas . . . mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*[49] Facit servari omnia divinae legis praecepta, producit effectus omnium virtutum et theologicarum

38) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 39) Io 5, 2-4. 40) Cf. 47, 8-9. 41) Zach 13, 1. Vulg.: *Menstruatae.* 42) Cf. Ex 30, 18. 43) Cf. 3 Rg 7, 23-31; 2 Par 2, 4-6. 44) Cf. Nm 19, 13. 45) Ps 50, 9. *Domine* ex Liturgia Ecclesiae. 46) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20; Lc 8, 8. 47) Cf. 22, 2. 48) Cf. 47, 7-12. 49) Gal 5, 22-23.

et cardinalium. Facit etiam producere fructus supernaturales, supra omnem naturae virtutem, qualia sunt credere incomprehensibilia, sperare supercoelestia, diligere ex toto corde divina; hoc est quod in paradiso irrigato illo flumine legimus arborem vitae et arborem scientiae, [50] qui utique supernaturales sunt fructus. Facit ex malis arboribus bonas, ut qui fructificabant morti fructificent vitae. [51] Et tandem mortuas etiam arbores vivificat faciens ex peccatoribus iustos, reddensque animas, ob peccatum Deo mortuas, per gratiam iustificantem et sanctificantem vivas; sic de filio prodigo legimus quod *mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* [52]

Imo ipsos mortuos vivificat ex peccatoribus iustos faciens.

V. Quod autem singularissimum est in hac aqua est quod, si quis ex una arbore optimorum fructuum unum accipiat fructum ponatque in terram bonam et aptam, nascitur ex illo fructu arbor primae consimilis faciens fructus innumeros. Sic utique accidit in aqua ista, quod qui biberit ex hac aqua fit in eo fons aquae vivae et fons adeo magnus, ut fluant de ventre eius flumina aquae vivae: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum;* [53] ut accidat in aqua sicut in igne accidit. Qui enim ex accenso igne candelam, lampadem aut facem accendit, sumptus iste ignis ex igne fit fons ignis, ut ex eo possint mille ignes accendi; sicut luna a sole lumen accipiens fit ipsa quoque fons luminis, ut quodvis aliud astrum; sicut homo ex fonte generationis egressus a patre fit ipse quoque fons filios procreando, sic enim duodecim Patriarchae filii Iacob veluti fontes fuerunt, ex quibus duodecim tribus veluti duodecim magna flumina emanarunt. [54] Hoc est quod Christus ait: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae,* sicut dicit Scriptura: *Bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui ; deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide;* [55] ubi loqui videtur S a p i e n s de filiis procreandis cum honore ex legitima uxore.

Haec divina aqua semen fecundissimum est, quia in unoquoque homine fons fit copiosissimus aliorum fluminum.

Sed est etiam spiritualis generatio, unde A p o s t o l u s : *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* [56] Sic Apostoli, qui Evangelium Christi per totum mundum disseminarunt, patres sunt omnium

Tales fuerunt Apostoli in praedicatione Evangelii.

50) Cf. Gn 2, 17. 51) Cf. Rom 7, 4-5. 52) Lc 15, 24. 32. 53) Io 7, 38-39. 54) Cf. Gn 49, 28; Ex 1, 1-7. 55) Prv 5, 15-16. 56) 1 Cor 4, 15.

et Fundatores religiosorum Ordinum.

populorum, quos ad Christum sua praedicatione converterunt. Sic capita et principes, auctores sacrarum Religionum: Basilius, Antonius, Benedictus, Dominicus, Franciscus, Patres dicuntur sacrorum Ordinum, qui sunt ad instar fluminum emanantium ex pectoribus Patrum instituentium; sicut in Divinis Litteris inventores ac principes auctores artium dicuntur *patres* eorum, qui eas artes postmodum profitentur; Iabel enim dicitur *pater habitantium in tentoriis atque pastorum*, Iubal *pater canentium cithara et organo*, Tubalcain pater fabrorum, quoniam *fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri.* [57] Sic Elias dictus est Elisei pater, unde in raptu Eliae clamabat Eliseus: *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius,* [58] exercitus eius. Sic legimus *filios Prophetarum,* [59] idest discipulos et sequaces instituti prophetici.

Sacramentis et sacra ordinatione conferuntur dona Spiritus Sancti et divinae virtutes.

VI. *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae,* docendo quae ad salutem necessaria sunt; flumina enim sunt omnia Spiritus Sancti dona virtutesque divinae: fides, spes, caritas. Et in primitiva Ecclesia per impositionem manuum Apostolorum dabatur visibiliter Spiritus Sanctus, [60] et adhuc datur, licet invisibiliter; fidelibus enim sacerdotibus per impositionem manuum Episcoporum in susceptione sacrorum Ordinum una cum Spiritu Sancto data est potestas administrandi Sacramenta, in quibus datur, digne tamen accedentibus, gratia Spiritus Sancti. [61]

Christus quadruplicem potestatem Apostolis contulit,

Apostolis autem Christus quadruplicem potestatem dedit: praedicandi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [62] *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae;* [63] baptizandi: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* [64] conficiendi sacramentum Eucharistiae: *Hoc facite in meam commemorationem;* [65] et tandem dimittendi peccata: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt:* [66] ecce flumen in flumina quattuor divisum: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

57) Gn 4, 20-22. 58) 4 Rg 2, 12. 59) Cf. 3 Rg 20, 35; 4 Rg 2, 3. 5-6. 15; 4, 38; 5, 22; 6, 1. 60) Cf. Act 8, 17-18; 19, 6. 61) Cf. Concilium Tridentinum, sess. 23, can. 4. 62) Mt 28, 18. 63) Mc 16, 15. 64) Mt 28, 19. 65) Lc 22, 19. 66) Io 20, 22-23.

Quilibet autem sacerdos quadruplici hac praeditus est potestate, accepto per fidem Christi Spiritu Sancto, nam ait: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Qua quidem interpretatione Ioannes innumera aperit Divinarum Scripturarum mysteria; Sacra enim Scriptura veluti mare illud aeneum est in templo Salomonis semper aquis plenum.

quae etiam sacerdoti confertur in sacra ordinatione.

VII. Saepissime Divinae Litterae de aquis loquuntur a principio ad finem usque: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* [67] divisit aquas ab aquis: [68] *Congregentur aquae;* [69] *Producant aquae;* [70] in paradiso terrestri flumen aquarum copiosissimarum; [71] purgat mundum per diluvium aquarum Deus; [72] Patriarchae nonnisi aquas vivas quaerunt. [73] Primum miraculum, quod Moyses in Aegypto fecit, fuit in aquis conversis in sanguinem; [74] primum, quod fecit egressus ex Aegypto, fuit in aquis maris Rubri divisis; [75] primum, quod in deserto, in aquis Mara dulcefactis; [76] in medio deserti, in aquis eductis de petra. [77] Tabernaculum Domini non fuit sine multis magnisque vasis aquarum. [78] Primum miraculum, quod fecit Iosue, in aquis fluminis Iordanis; [79] ultimum miraculum Eliae in aquis Iordanis divisis. [80] Eliseus tria miracula operatus fuit in aquis: primum enim ipse divisit aquas Iordanis, [81] produxit in deserto aquas exercitibus trium regum, [82] et Naaman syrus in aquis a lepra mundavit. [83] In Novo item Testamento primum miraculum Christus in aquis in vina conversis operari voluit; [84] in mari Galilaeae, et iuxta illud multa miracula operatus fuit; [85] Ioannes in ultimo capite *Apocalypsis*, qui liber postremus est omnium Sacrae Scripturae librorum, nonnisi de aquis loquitur, de flumine egrediente de throno Dei et agni, [86] et tandem invitat ad bibendum: *Qui sitit veniat et qui vult accipiat aquam vitae gratis.* [87]

Saepissime Divinae Litterae de aquis loquuntur;

multa etiam miracula a Prophetis et a Christo patrata sunt in aquis.

Sed ratio cur vel semper Divinae Scripturae de aquis loquantur est, quoniam aqua Spiritus Sancti gratiam et ipsummet Spiritum Sanctum qui fons est huius aquae, significat: *Hoc autem dixit de*

Aqua enim gratiam Spiritus Sancti significat,

67) Gn 1, 2. 68) Cf. ibid. vr. 7. 69) Ibid. vr. 9. 70) Ibid. vr. 20. 71) Cf. ibid. 2, 10-14. 72) Cf. ibid. 7, 11 sqq. 73) Cf. ibid. 21, 25-30; 26, 15. 18-22. 25. 32-33. 74) Cf. Ex 7, 19-20. 75) Cf. ibid. 14, 21-29. 76) Cf. ibid. 15, 23-25. 77) Cf. ibid. 17, 5-6. 78) Cf. ibid. 37, 11; 40, 7. 28. 79) Cf. Ios 3, 14 sqq. 80) Cf. 4 Rg 2, 8-9. 81) Cf. ibid. vrr. 13-14. 82) Cf. ibid. 3, 9-20. 83) Cf. ibid. 5, 1-14. 84) Cf. Io 2, 1-10. 85) Cf. Mt 4, 23-24; 15, 29 sqq.; Lc 4, 33-41; 5, 1-26; 17, 11-14; Io 4, 46 sqq.; 6, 1-21. 86) Cf. vrr. 1-2. 87) Ibid. vr. 17.

imo ipsum Spiritum Sanctum, qui fons est mysticae huius aquae,

Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.[88] Mortuo Christo, *exivit* ex eius latere *sanguis et aqua.*[89] Sanguis Christi necessarius fuit ad acquirendam promerendamque nobis hanc aquam, quae non datur nisi deleto peccato, non enim simul cum peccato manere potest gratia Spiritus Sancti. Moriens Christus, *inclinato capite emisit spiritum,*[90] quia moriens nos spiritu suo vivificavit et mors Christi causa fuit nostrae vitae. Hoc est quod fluvius egrediens de templo Ezechielis tendebat ab occidente ad orientem per dexteram templi partem, quae versus austrum erat,[91] quia ab occasu mortis Christi orta est vita nostra ex gratia et misericordia Dei, qua quidem aqua irrigantur electi, non reprobi; qui ad dexteram Christi ponendi sunt ac benedicendi, non qui ad sinistram maledicendi.[92] Metitur autem per quattuor millia passuum fluvius iste et semper aquas habet copiosiores ac profundiores: est Deus auctor naturae, est fons aquae, est sol gloriae, est in seipso infinita bonitas. Sic fluvius paradisi in quattuor capita dividitur.

quam meruit nobis Christus passione et morte sua.

Christus fons est omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae;

VIII. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Omne quod desiderare potest homo, vel est bonum naturae, vel bonum gratiae, vel bonum gloriae, vel bonum ipsum deitatis. In Christo autem omnia sunt, quoniam *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[93] Ipse Christus auctor naturae est, ipse fons gratiae, ipse rex gloriae, ipse vivus et verus Deus. Haec enim quattuor universa theologia de Deo tractat ostendens deitatem in seipsa thesaurum infinitum esse omnis bonitatis; deinde ab ipso procedere[94] omne bonum naturae universalis per creationem, gratiae per redemptionem et gloriae aeternae per glorificationem, adeo ut omne bonum, quod vel in mundo vel in Ecclesia vel in paradiso reperitur, ab ipso sit. Hinc merito dicere potest: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Si quis sitit,* si quis quodcunque vis bonum desiderat, *veniat ad me et bibat,* in me enim solum potest homo omnem explere sitim.

Sed heu, heu! *Obstupescite coeli . . . et portae eius desolamini vehementer! . . . Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt*

88) Io 7, 39. 89) Ibid. 19, 34. 90) Ibid. vr. 30. Vulg.: *Tradidit spiritum.*
91) Cf. 47, 1-5. 92) Cf. Mt 25, 32 sqq. 93) Col 2, 9. 94) Ms.: *Procede.*

fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae aquas continere non valent. [95] Deus enim fons est omnium bonorum naturae in creatione mundi, gratiae in Sacramentis Ecclesiae, gloriae in felicitate paradisi. Similiter Christus auctorem naturae se ostendit in miraculorum operatione, gratiae in remissione peccatorum et institutione Sacramentorum, gloriae in sua transfiguratione, [96] cum etiam latroni paradisum dedit [97] et protomartyri Stephano ianuas paradisi aperuit. [98] Nos, autem Deo bonorum omnium fonte derelicto, fodimus nobis *cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas;* volumus enim mundo potius et mammonae servire, quam Deo, [99] quam Christo, hinc siti inextinguibili laboramus. Fontem se esse Christus etiam in cruce ostendit, cum ex eius latere *exivit sanguis et aqua;* sed ex merito sanguinis sui Christus factus est nobis fons omnium bonorum, hinc *exivit sanguis et aqua;* Christus enim passus est nostra mala, ut daret nobis bona sua.

sed homines, hoc fonte bonorum omnium relicto, mundo potius quam Deo servire volunt.

Ostendit etiam Christus hodie fontem se esse Spiritus Sancti, adeo ut Christus fons sit non tantum bonorum creatorum naturae, gratiae et gloriae, sed etiam Spiritus Sancti, qui Deus est increatus. Haec sunt forte quattuor flumina, quae ex uno paradisi fonte emanant; Christus enim non tantum bona naturae, gratiae et gloriae dare nobis voluit, sed etiam Spiritum Sanctum: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Hoc autem dixit de Spiritu,* etc. Nam sua passione Christus meruit nobis etiam Spiritum Sanctum; hinc ait: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* ideo exivit prius sanguis et postea aqua. Misit vero Spiritum Sanctum postquam in coelum ascendit, [100] quia Spiritum Sanctum dat non ut homo, sed ut Deus. Sic verba ista Christus hodie dicit non ut homo, sed ut Deus: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*

Ostendit etiam Christus hodie se fontem esse Spiritus Sancti, quem nobis meruit ut homo et nobis dat ut Deus.

IX. *Qui credit in me ... flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Spiritus quidem Sanctus Deus cum sit, infinita praeditus est potentia, sapientia et bonitate. In multis autem Sanctis Dei Spiritu Sancto donatis divina eluxit potentia miracula operando, in aliis sapientia

Cum Spiritus Sanctus sit potentia, sapientia et bonitas,

95) Ier 2, 12-13. Vulg.: *Quae continere non valent aquas.* 96) Cf. Mt 17, 1-6; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 97) Cf. Lc 23, 43. 98) Cf. Act 7, 55-60. 99) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 100) Cf. Act 1, 9; 2, 1-4.

his perfectionibus elucent qui Spiritu Sancto donantur,

divinam theologiam docendo, in aliis mira sanctitas virtutumque omnium divina quaedam perfectio. Haec luce clarius videmus in Moyse ceterisque Prophetis Veteris Testamenti, sed multo clarius in Apostolis Christi, post acceptum Spiritum Sanctum. Infinita enim quodammodo potentia praediti fuerunt ad operandum miracula, sapientia ad docendum mundum Dei fidem et cultum, bonitate in virtutum omnium perfectione. Sic ait: *flumina de ventre eius fluent aquae vivae*, fruentur omnium bonorum abundantia ac supereffluentia, ut alios etiam beatificare quodammodo possint. Sic enim Apostoli per manuum impositionem dabant Spiritum Sanctum;[101] sic nunc etiam sacerdotes Sacramenta administrando.

et ita ipsi quoque fiunt fontes gratiarum.

Habet aqua haec naturam quodammodo ignis. Siquidem ignis facillime fons ignis efficitur, ex modico enim igne lampadis accensae mille ac mille innumerabilesque accenduntur ignes. Sic aqua haec, quoniam etiam ignis est, unde Spiritus Sanctus in igne datus est,[102] accendit ignem fonsque efficitur; unde accepit Deus de spiritu Moysi et dedit septuaginta senioribus,[103] sicut de una accensa lucerna multa accenduntur.

Mystica haec aqua habet etiam virtutem ignis.

II. ALIA HOMILIA

Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum. Iesus autem dixit eis: Adhuc modicum, etc.[1]

Principes et Pharisaei impie quaerunt Christum apprehendere,

I. Misit impius Saul ministros suos ut apprehenderent David sanctum ad occidendum eum, sed fugit ipse David;[2] misit Ochozias, impius rex Israelis, quinquagenarium cum quinquaginta militibus ut apprehenderent Eliam, sed Elias iussit ut descenderet ignis de coelo ad devorandos eos, et sic factum fuit; cumque iterum alios quinquaginta misisset rex, iterum Elias fecit idem.[3] Misit rex Syriae, qui bellum gerebat contra regem Israel, exercitum armatorum qui caperent sanctum prophetam Eliseum; ipse vero, magno Angelorum exercitu protectus, divino miraculo omnes illos caecitate percussit duxitque

101) Cf. ibid. 8, 17-18; 19, 6. 102) Cf. ibid. 2, 1-4. 103) Cf. Nm 11, 25.

1) Io 7, 32-33. Vulg.: *Dixit ergo eis Iesus*, etc. 2) Cf. 1 Rg 23, 21 sqq. 3) Cf. 4 Rg 1, 9-12.

in regiam civitatem Samariae ibique eorum oculos aperuit nihilque nocere voluit, sed prandium parari eis iussit ac sic refectos liberos abire permisit.[4] Sic hodie *miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum*, qui verus est David, vir secundum cor Dei,[5] verus Elias, potens Deus, verus Eliseus, potens divinusque salvator.[6] Et Christus quidem potuisset fugere sicut David, potuisset eos coelesti igne comburere sicut Elias, potuisset caecitate eos percutere sicut Eliseus; nihil tamen horum egit, sed spirituale prandium eis paravit divino pane aquisque coelestibus instructum: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me.*[7]

at Christus cum fugere posset, vel de illis se vindicare, bonum pro malo eis reddit.

II. Impia Iezabel nuncium misit ad Eliam ad comminandum ei mortem, quia prophetas Baal ob Dei zelum occiderat ad destruendam idololatriam;[8] at hodie synagoga multo peius saevit in Christum: *Miserunt principes sacerdotum et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum.* Bone Deus, quidnam est hoc? Principes sacerdotum mittunt ministros iustitiae ad comprehendendum Christum tanquam reum mortis, ad comprehendendum Filium Dei, regem gloriae paradisi.

Maximum fuit eorum scelus contra Dominum perpetratum.

Posuit Deus principes in mundo ut essent tanquam luminaria magna in coelo[9] ad pellendas tenebras iniquitatis; ut essent sicut columna ignis et nubis, quae per desertum dirigebat populum Dei in terram promissionis,[10] sicut fuerunt Moyses et Aaron;[11] ut essent sicut Cherubim apud Ezechielem, habentes faciem hominis erga bonos, et faciem leonis contra malos;[12] ut essent pastores defendentes gregem a lupis.[13] Sed hodie videmus pastores conversos in lupos, imo lupos sub habitu pastorali, conversum principatum in tyrannidem, imo, quid dico principatum? sacrum principatum in tyrannidem ob avaritiam et ambitionem: *Miserunt*, inquit, *principes sacerdotum et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum*, sicut Saul misit et accersivit Achimelech magnum sacerdotem ad occidendum eum;[14] sic Saul factus fuit ex pastore lupus avaritia et ambitione

Principes in mundo positi sunt ad regendum populum,

sed videmus hodie malos principes ex pastoribus lupos factos,

4) Cf. ibid. 6, 14-23. 5) Cf. 1 Rg 13, 14; Act 13, 22. 6) Sic latine interpretantur haec nomina. 7) Io 7, 33. Vulg.: *Qui me misit.* 8) Cf. 3 Rg 19, 1-2. 9) Cf. Gn 1, 14-18. 10) Cf. Ex 13, 21 sqq. 11) Cf. ibid. 6, 13; Ps 76, 21. 12) Cf. 10, 14. 13) Cf. Io 10, 11-12. 14) Cf. 1 Rg 22, 9-18.

et ex ministris Dei ministros diaboli contra ipsum Deum;

excaecatus. Sunt principes ministri Dei contra diabolum, at hodie videmus principes factos ministros diaboli contra Deum, sicut Ieroboam qui, ut regni clavum firmaret contra Deum, aureos vitulos erexit.[15]

positi sunt ut splendore iustitiae luceant in mundo, at hodie obfundunt tenebras impietatis;

Qualis esset hic mundus si luminaria coeli pro luce tenebras obfunderent ? Principes autem, qui positi sunt ut luceant in firmamento coeli splendore iustitiae, obfundunt hodie tenebras iniustitiae et impietatis, dicentes *bonum malum et malum bonum, ponentes lucem in tenebras et tenebras in lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce,*[16] dum faciunt Christum, qui *agnus* innocentissimus est[17] et *Sol iustitiae,*[18] reum mortis, et propterea mittunt ministros ad comprehendendum eum.

positi sunt ut tanquam medici curent corpus reipublicae, sed hodie vitam ipsam occidere quaerunt.

Posuit Deus principes in mundo ut essent tanquam medici et chirurgi, ut corpus humanae reipublicae curarent atque purgarent a malis et peccantibus humoribus ac pro eius salute, cum opus fuerit, ferro igneque uterentur. Medicis tamen amputare caput, quamvis morbosum, nunquam licet, quia totum corpus [ex eo] vitam habet. Hodie vero optimi isti medici caput totius universi amputare volunt.

Principes et Pharisaei ministros mittunt ut Christum apprehenderent,

III. *Miserunt principes . . . ministros* ad opus nequissimum perpetrandum. Nunquam malis principibus desunt mali ministri, quoniam mundus alium deum vix novit quam principes, a quibus omne bonum omnemque felicitatem sperat. Hinc ministri principibus in omnibus mores gerere satagunt. Christus autem, quamvis potuisset pessimorum principum pessimos ministros interitui tradere, sicut Elias ministros regis Ochoziae, potuisset dare terrae ut vivos eos devoraret, sicut fecit Moyses familiis Core, Dathan et Abiron,[19] tamen voluit sicut Eliseus non tantum incolumes, verum etiam refectos abire permittere. Fecit Eliseus parari convivium ministris regis Syriae missis ad ipsum comprehendendum ducendumque ad regem.

Christus autem mysteria divina eos edocet.

Christus igitur ministris hisce convivium parat, simile illi quo Deus refecit Hebraeos quadraginta annis in deserto ex pane coelesti[20] et aqua miraculo educta ex durissima petra.[21] Ecce panis coelestis

15) Cf. 3 Rg 12, 26-33. 16) Is 5, 20. Sensu inverso affert hunc vr. 17) Io 1, 29. 36. 18) Mal 4, 2. 19) Cf. Nm 16, 24-33. 20) Cf. Ex 16, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 17, 1-6.

doctrinae: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me ; quaeretis me et non invenietis, et ubi ego sum vos non potestis venire.* [22]

In his autem verbis mysteria septem videre mihi videor, quae sunt veluti septem panes, quibus Dominus satiavit quattuor millia hominum. [23] *Adhuc modicum tempus vobiscum sum:* mysterium est temporalis vitae Christi qui, aeternus cum esset Deus, propter nos temporalis homo fieri voluit, sicut infinitus creator Deus, creatura et parvus homo; *Et vado:* mysterium voluntariae passionis et mortis Christi una cum resurrectione et ascensione ad Patrem, nam: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [24] Tertio, ait: *Ad eum qui misit me:* mysterium divinae incarnationis primique Christi adventus in mundum. Quarto, ait: *Quaeretis me :* mysterium est quod Christus Dominus noster sit verus Messias, mundi salvator, in lege et Prophetis promissus, quem adhuc Iudaei desiderant, expectant et quaerunt quasi nondum venerit. Sed, quinto loco ait: *Non invenietis:* mysterium est severissimi iudicii divinae iustitiae contra synagogam Iudaeorum, quae adhuc manet excaecata in tenebris infidelitatis et perfidiae. Sexto loco: *Ubi ego sum:* mysterium est divinae gloriae Christi, qui semper fuit beatus in spiritu, uti nunc est in coelo; hinc non dicit: *Quo ego vado*, sed: *Ubi ego sum;* hinc alibi dixit: *nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [25] Tandem ait septimo loco: *Vos non potestis venire :* mysterium est aeternae damnationis Iudaeorum, sine Christi nanque gratia et fide nemo salvari potest.

Septem mysteria continentur in his verbis Domini:

de ipsius vita temporali et passione, de ipsius incarnatione et redemptione,

de iudicio divinae iustitiae contra synagogam, de divina gloria Christi et de aeterna Iudaeorum perditione,

Cuius quidem rei Dominus alibi duplicem causam assignat; altera quidem spectat ad naturam, altera vero ad culpam. Ait enim: *Quo ego vado vos non potestis venire*, quia *vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [26] Elias, quamvis sanctus esset, quia tamen homo erat de terra formatus, ut raperetur in coelum opus habuit igneo curru igneisque equis. [27] Quod si sancti non possunt per se in coelum ascendere, quomodo poterunt peccatores et impii? His igitur septem panibus Dominus reficere voluit ministros Iudaeorum, qui venerant ad comprehendendum eum.

quia homines terreni erant, peccatores et impii.

22) Io 7, 33-34. 23) Cf. Mt 15, 32-38; Mc 8, 2-9; Io 6, 5-13. 24) Io 16, 28.
25) Ibid. 3, 13. 26) Ibid. 8, 21-23. 27) Cf. 4 Rg 2, 11.

Brevem vitam Christus elegit in terra ut nobis ostenderet meliorem expectandam esse in coelo.

Septem autem illos panes, quibus copiosam turbam Dominus satiavit, non integros dedit, sed, cum benedixisset, fregit et dedit discipulis[28] suis.[29] Frangendi sunt hi panes: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Quid, quaeso, est quod Christus vitam sibi in hoc mundo brevem elegit? *Modicum tempus vobiscum sum.* Vellet homo in hoc mundo immortalis esse, perpetuo vivere, profecto quia meliorem non novit vitam. At Christus meliorem sciens vitam in coelo, brevem utique elegit in terra. Ob id Paulus cupiebat *dissolvi et esse cum Christo.*[30] Elegit etiam hoc ad ostendendam suam ergo nos caritatem, quia propter nos pati et mori voluit in flore iuventutis.

III. ALIA HOMILIA

Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum.[1]

Principes isti qui contra Christum insurgunt, imagines sunt peccatorum hominum,

I. En gigantes hodie contra Deum bellum parant.[2] Similes sunt hi hodie viro, qui a rege ditatus et factus princeps imperatorque exercitus, tandem a rege deficiens ipsismet regis copiis et thesauris viribusque pugnat contra regem. Principes mundi quicquid habent, a Deo utique habent: dignitatem, potestatem, dominium et omnia; nihil enim in hunc mundum intulerunt. Deus est qui principes eos constituit, et hodie beneficiis acceptis a Deo utuntur contra Deum, miserunt ministros ad comprehendendum Christum. Sedecias rex Iudaeorum, factus rex a rege Chaldaeorum Nabuchodonosor, quia ab eo defecit, sibi et universo regno in causa extitit ruinarum. Rex enim ille, collectis copiis, venit et universam civitatem Ierusalem templumque incendit.[3] His nos similes sumus, fratres, cum divitiis et dignitatibus beneficiisque a Deo acceptis abutimur contra Deum vivendo in peccatis. Tunc mittimus ministros ad comprehendendum

28) Ms.: *Discipuli.* 29) Cf. Mt 15, 36; Mc 8, 6. 30) Phil 1, 23.

1) Io 7, 32. 2) Forte alludit ad fabulam De Bello Gigantum de qua cf. Lucanus *Pharsalia,* lib. 1, vrr. 35-36; lib. 3, vrr. 315-320; Ovid. *Fastorum,* lib. 5, vrr. 35-42.
3) Cf. 4 Rg 24, 20-25, 1-22; 2 Par 36, 12-20; Ier 37, 1; 39, 1-10.

Iesum, similes Absaloni, qui ambitione ductus contra patrem insurrexit.[4]

Nullam habent rationem temporis vel loci; erat enim Christus praedicans in templo et erat dies magnus festivitatis, post festum enim scenopegiae,[5] quod septem diebus celebrabatur, octavo die erat festum solemnissimum et celeberrimum, quod festum *collectarum* dicebatur, ut legimus *Levitico*[6] et *Numeris.*[7] Principes vero Christi sanguinem sitientes, ad hanc sitim explendam, nulla loci vel temporis sacri habita ratione, mittunt ministros ad comprehendendum Christum. Sic multi vitiis excaecati semper et ubique quaerunt suas cupiditates explere appetentes cum Adamo[8] et cum Lucifero Dei similitudinem et aequalitatem,[9] volentes Deo pares, imo et superiores esse.

qui semper et ubique quaerunt suas cupiditates explere.

Hinc mittunt cohortem ad capiendum Christum Filium Dei, verum Deum: *Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum.* Quam ob causam? Num Christus homicidium aliquod aut furtum commiserat? Nulla assignatur causa, principibus est pro ratione voluntas.[10] Causa ob quam miserunt fuit quoniam Christus illuminabat caecos, sanabat infirmos, suscitabat mortuos et ob haec miracula a populo credebatur verus Messias.[11] Ne crederetur verus Messias miserunt ad eum capturandum, moti ratione status et regni, ne quod ob talem fidem ipsorum respublica pateretur incommodum. Nulla apud principes ratio superior est r a t i o n e s t a t u s:[11*] non iustitia, non religio, non veritas, non lex divina, non salus animarum, non fides, non Ecclesia, non Christus, non Deus ipse praevalet rationibus status et regni. Sic *miserunt principes,* ratione principatus abutentes auctoritate principatus.

Illi Christum comprehendere volebant, quia suis miraculis comprobabat se verum esse Messiam;

ex quo timebant damnum et iacturam reipublicae.

II. *Miserunt principes.* Hi sunt in *Apocalypsi* septem capita draconis rufi, qui devorare cupiebat filium coelestis illius mulieris.[12] Sunt principes capita mundi; dum caput dolet, omnia membra languent.[13] Hoc est quod apud I s a i a m legimus: *Omne caput langui-*

Principes caput reipublicae figurant, sacerdotes autem cor,

4) Cf. 2 Rg 15, 1-14. 5) Cf. Io 7, 2. 15. 6) Cf. 23, 34-37. 7) Cf. 29, 10 sqq.
8) Cf. Gn 3, 1-6. 9) Cf. Is 14, 12-15. 10) Cf. Iuvenalis *Satyrae,* satyr, 6, vr. 223.
11) Cf. Io 11, 47-48. 11*) Cf. *Quadragesimale Primum,* pag. 295-296, not. 30.
12) Cf. 12, 3-4. 13) Proverbium ex Is 1, 6, nostris quoque diebus vulgatissimum. Cf. S. Beda *Sententiae,* (P. L. 90, 1094).

et quia tum isti tum illi mali erant, inde orta est ruina synagogae.

dum et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem capitis *non est in eo sanitas.* [14] Quoniam *omne caput languidum,* ideo *omne cor moerens* et in toto corpore nulla est sanitas. Caput sunt principes, cor sacerdotes et viri religiosi. *Principes et Pharisaei :* quoniam hi mali fuerunt et Christum persecuti odio et invidia acti fuerunt, hinc nata est ruina totius populi Iudaeorum. Hi enim populum contra Christum incitaverunt: *Principes tui perversi, socii furum ; omnes diligunt munera.* [15]

Ex malis principibus omnia mala oriuntur, quia Deum non verentur,

Miserunt principes... ut apprehenderent Christum. Cur hoc ? Quia *principes,* quasi superiorem non haberent; hinc omnia mala mundi oriuntur, quia principes non cognoscunt superiorem Deum, non cognoscunt se sub divina potestate constitutos esse, sed tantum principes se agnoscunt voluntque tanquam dii coli et adorari.

quia facile adulationibus vincuntur,

Item, quia apud se Pharisaeos habent, malos sacerdotes, qui tamen magnam praeseferunt religionem, qui non sunt Nathan apud David, [16] ut arguant principes de malefactis, sicut Ioannes arguebat Herodem, [17] sicut Elias Achab, [18] sicut Samuel Saulem; [19] sed adulantur sicut falsi prophetae Achab: [20] si caeci caecis ducatum praestant, et ambo in foveam cadunt. [21]

quia seipsos non populum diligunt et correptorem odio habent.

Item, quia principes hi non populum diligebant sicut veri pastores greges suos et tanquam patres suas familias, sed seipsos diligebant; si enim populum dilexissent, summo in pretio et honore Christum habuissent, quoniam infinita beneficia populo universaeque reipublicae praestabat: pascebat esurientes, [22] sanabat infirmos, [23] illuminabat caecos, [24] mundabat leprosos, [25] suscitabat mortuos [26] et infinita beneficia praestabat universo populo. Sed quoniam vitia principum et Pharisaeorum carpebat, propterea persequebantur eum, sicut Saul Davidem, [27] Pharao Moysen, [28] Esau Iacob, [29] Ismael Isaacum. [30] Sic enim deterius semper insidiatur meliori: Cain occidit Abelum, [31]

14) 1, 5-6. *Capitis* adicitur ex Breviario Rom. in festo Septem Dolorum B. M. V.
15) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Principes tui infideles,* etc. 16) Cf. 2 Rg 12, 1-10. 17) Cf. Mc 6, 18. 18) Cf. 3 Rg 21, 17 sqq. 19) Cf. 1 Rg 15, 16-26. 20) Cf. 3 Rg 22, 1-40. 21) Cf. Mt 15, 14. 22) Cf. ibid. vrr. 12-38; Mc 6, 34-44; 8, 2-9; Io 6, 5-13. 23) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 24) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 25) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 26) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 27) Cf. 1 Rg 18, 8-11; 19, 9 sqq. 28) Cf. Ex 2, 15. 29) Cf. Gn 27, 41. 30) Cf. ibid. 21, 9; Gal 4, 29. 31) Cf. Gn 4, 5-8.

sic lupus persequitur oves, canis cervum, nibius pullos, sic diabolus semper persecutus est Christum et mundus semper odio habuit Deum.

III. *Miserunt principes.* Mundum ter quaterque beatum, si principes tales essent quales eos esse oportet! Iussit Deus Abrahamo ut seipsum prius circumcideret et postea omnem familiam suam;[32] princeps debet prius vitia sua resecare et punire, deinde vitia populi. Iussit etiam Deus ut ad primum tubae sonitum principes tribuum ante omnes ad tabernaculum testimonii accurrerent.[33] Principes necesse est ut in operibus bonis primi sint, sicut duces in bello, ut super omnia diligant iustitiam et pacem. Si tales essent principes, tales essent et populi. Nam sacra *Regum* historia manifeste docet quod, quandiu reges pietatem divinae religionis coluerunt, populi quoque semper Dei cultores fuerunt; sed mox ut reges ad idololatriam declinarunt, populi quoque eos secuti sunt. Sic inquit Divina Scriptura quod Ieroboam peccare fecit populum Dei, quoniam ipse rationem status divinae religioni et fidei praeferens, vitulos aureos erexit, ut divinis honoribus colerentur: Isti sunt *dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*[34] Sic principes fuerunt [qui] idolorum cultum impiissimamque idololatriae superstitionem in mundum introduxerunt, et sic totus mundus a Deo defecit ad diabolum tanquam verum deum colendum et adorandum, nam ad mores principum facillime sese accommodat mundus, nam, ut ille ait,

« Componitur orbis
Regis ad exemplum ».[35]

Principes oportet prius vitam suam corrigere ut postea corrigant vitam populi,

primos esse in bonis operibus et in virtutum exercitio,

populus enim mores principum facillime imitatur.

IV. Elucet autem in hoc Evangelio quod in mundo veniunt tenebrae unde lux venire deberet; quod piscis a capite incipit putrescere,[36] quod vere cum caput dolet omnia membra languent. Tria personarum genera hic legimus: principes, qui erant capita et rectores populi; Pharisaeos, qui erant Religiosi illius temporis et ministri subditi principum: *Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum.* Mali principes, mali Pharisaei, mali ministri, malus populus: *Omne caput languidum:* ecce · principes; *omne cor*

Tria personarum genera habentur in hodierno Evangelio: principes populi, Pharisaei viri religiosi, ministri principum.

32) Cf. ibid. 17, 9-27. 33) Cf. Nm 10, 3-4. 34) 3 Rg 12, 28. 35) Claudianus *De Quarto Consulatu Honorii*, vrr. 299-300. 36) Proverbium graecum significans principem malum mores populi corrumpere. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 30, col. 1372.

moerens : ecce Pharisaei. Quid inde sequitur? *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* Beatum mundum si principes et Religiosi tales essent quales eos esse secundum Deum oportet; si servi essent Christi et non inimici! Nam in hodierno Evangelio inimici declarantur, non servi. Salus vel ruina populi a principibus et Religiosis dependet. Si Iudaeorum principes et Pharisaei in Christum vere credidissent eumque, ut par erat, suscepissent, populus quoque eos secutus fuisset; sicut enim navis motum sequitur timonis, sic populus principes et sacerdotes.

Salus et ruina populi a principibus et viris Religiosis dependent.

Docet hodiernum Evangelium principes aliquando peiores esse populo.

Elucet etiam in hodierno Evangelio quod, si malus est populus, nonnunquam multo peiores sunt principes et rectores; nam non abiissent ministri ad comprehendendum Christum, nisi a principibus et Pharisaeis missi fuissent; deinde, quoniam invenientes Christum ministri praedicantem non ausi fuerunt ipsum apprehendere, reprehensi fuerunt a principibus: Quare non apprehendistis eum? *Nunquid et vos seducti estis?* [37] Peiores igitur erant principes ministris et populo. Hoc est quod apud Ieremiam legimus, quod, cum non invenisset in populo virum facientem iudicium et quaerentem fidem, dixit: *Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini* et *iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates et loquar eis, ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui ; et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum,* [38] idest traditi sunt potestati satanae [39] et daemonum in perditionem aeternam.

Princeps malus lupus est sub veste pastoris et causa perditionis reipublicae.

Princeps malus canis est qui lupum adiuvat ad perdendas oves, imo lupus vorax in habitu pastoris; malus princeps pestis est populi, causa totalis perditionis, qualis fuit Ieroboam in regno Israel; universum enim populum a Deo avertit et per idololatriam in manu satanae dedit, omnes enim in spiritu apud Deum occidit. Hinc per Oseam Dominus ait: *Visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu,* [40] qui rex fuit Israel, sed cultor idolorum; [41] Iezrahel autem, semen Dei, [42] idem est ac Israel, qui dictus est *filius Dei.* [43] *Visitabo,* inquit, *sanguinem,* quasi occiderit Israelem suo exemplo.

37) Io 7, 47. 38) 5, 4-6. 39) Cf. 1 Cor 5, 5; 1 Tim 1, 20. 40) 1, 4. 41) Cf. 4 Rg 10, 29-31. 42) Sic latine hoc nomen interpretatur. 43) Cf. Ex 4, 22; Os 11, 1.

Vae mundo a scandalis! Necesse est enim ut veniant scandala; veruntamen vae homini illi, per quem scandalum venit. [44] Sed *durissimum iudicium fiet his qui praesunt... potentes* enim *potenter tormenta patientur.* [45] Hinc sequitur ibi Deus: *Quiescere faciam regnum domus Israel,* [46] regnum destruam ob peccata principum. Sicut per idololatriam periit regnum Israel, [47] et Iudaeorum respublica funditus adhuc manet eversa, quoniam principes Iudaeorum in Christum credere noluerunt, sed in crucem eum impie adegerunt.

IV. ALIA HOMILIA

Si quis sitit, veniat ad me et bibat. [1]

I. Fontem aquarum viventium se Christus ostendit. Invitat autem ad aquas suas, quoniam homines *dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum,* [2] quoniam: *Duo... mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae,* etc. [3] Fontem autem se ostendit sufficientem ad explendam omnem omnium hominum sitim: *Fons ascendebat de terra ad irrigandam universam superficiem terrae;* [4] *Omnes sitientes venite ad aquas.* [5] Necesse est autem fontem hunc flumina, lacus et maria aquarum continere. Non enim sitis animi facile expletur sicut sitis corporis. Videtur enim sitis inexplebilis esse, veluti in hydropicis totum mare non explet sitim animi unius hominis. Primis parentibus nostris totus non sat fuit mundus, sed, diabolo suggerente, divinam aequalitatem appetivere, [6] sicut angelus Lucifer Deo similis et aequalis fieri voluit. [7] Animus autem hominis nil minor est animo Angeli, infinitae capacitatis est. Non sufficit diluvium Noe [8] ad hanc sitim explendam. Solus Christus fons est qui hanc sitim explere potest: *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed ... fiet in eo fons.* [9]

Christus hodie se ostendit fontem, qui explere possit omnem animi humani sitim,

quae inexplebilis est, cum homo infinitae capacitatis sit,

Aqua huius fontis non minuitur bibendo, sed potius crescit; potus aquae fit fons et crescit in flumina: *Veniat ad me et bibat,* et

et fontem quidem inexhauribilem,

44) Mt 18, 7. 45) Sap 6, 6-7. Vulg.: *His qui praesunt fiet,* etc. 46) Os 1, 4.
47) Cf. 2 Par 36, 14-21.

1) Io 7, 37. 2) Ier 17, 13. 3) Ibid. 2, 13. 4) Gn 2, 6. Vulg.: *Irrigans,* etc.
5) Is 55, 1. 6) Cf. Gn 3, 1-6. 7) Cf. Is 14, 12-15. 8) Cf. Gn 7, 17 sqq.
9) Io 4, 13-14.

quia crescit in infinitum, quousque perveniat ad vitam aeternam.

flumina de ventre eius fluent aquae vivae. [10] Fons iste est sicut sol, qui fons [est] lucis et magnum a se luminis flumen emittit. Bibunt ex hoc flumine planetae astraque omnia, nec minuitur lumen, sed luna omnisque stella participatione huius lucis fit fons luminis. Non minuitur aqua huius fontis, sed semper magis magisque crescit, sicut aqua fontis apud Ezechielem prius erat parvus rivulus, postea crevit in magnum flumen, [11] sic fluvius paradisi crevit in quattuor magna flumina. [12] Sic ait: *Qui bibit ex aqua hac,* [13] *flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Sic crescit in infinitum quousque perveniat usque ad vitam aeternam.

Ad hanc aquam hauriendam requiritur bonum desiderium et bona voluntas.

II. *Si quis sitit; Omnes sitientes venite ad aquas.* Nonnisi sitis requiritur boni desiderii et bonae voluntatis ad aquam hanc habendam: *Vis sanus fieri?* [14] Hinc ait: *Qui non habetis* aurum et *argentum... venite, emite... absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?* [15] Quodnam argentum istud, quod appendimur non in panibus nec in saturitate? Utique sitis ista et fames boni desiderii. Quisque scrinium habet [plenum] hoc argento, quisque cor habet plenum desiderio et amore boni; sed temporalia bona satiare non possunt animum nostrum, non sunt haec panis et cibus animi nostri: *Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?*

Christus figuratus fuit in fonte quem vidit Ezechiel, ipse enim est fons copiosissimus,

III. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Fontem se esse Dominus ostendit et ad multa Divinarum Scripturarum oracula alludit: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen,* ait Regius Vates; [16] Ioel item ait: *Fons egredietur de domo Domini;* [17] et Zacharias capite 13: *Erit fons patens domui David... in ablutionem peccatoris et menstruae;* [18] et capite 14: *In die illa exibunt aquae... de Ierusalem: medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum;* [19] per quae duo maria designantur duo Testamenta, quoniam a Christo *omne datum optimum et omne donum*

10) Ibid. 7, 38. 11) Cf. 47, 1-9. 12) Cf. Gn 2, 10-14. 13) Io 4, 13. 14) Ibid. 5, 6. 15) Is 55, 1-2. 16) Ps 35, 10. 17) 3, 18. Vulg.: *Fons de domo Domini egredietur.* 18) Vr. 1. Vulg.: *Menstruatae.* 19) Ibid. vr. 8.

perfectum [20] in utrunque populum; nam aquae multae populi multi; [21] aquarum autem multitudo appellatur mare.

absconditus et patens.

Erat autem fons iste absconditus, cum *Verbum* esset *apud Deum;* sed cum *Verbum caro factum est,* [22] tunc factus est patens. Hinc seipsum hodie Christus manifestat stans et clamans in *die magno festivitatis* [23] ad infinitam hominum multitudinem: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat ;* sed est *patens domui David et habitantibus Ierusalem,* in Ecclesia tantum, non extra; hinc ait: *Qui credit in me.*

cuius aquae fecundissimae mundum bonis replent,

Aquis tribuunt Divinae Scripturae omnium bonorum abundantiam; hinc, cum non pluisset in terra Israel annis tribus, facta fuit magna penuria, caritas rerum et fames; cum autem ad orationem Eliae in terram pluvia de coelo descendit, facta est abundantia. [24] Hoc item est quod in *Genesi* legimus in somnio Pharaonis, quod a fluvio Aegypti, idest Nilo, ascenderunt septem vaccae pingues et pulcrae, hoc est septem anni magnae fertilitatis et abundantiae, et post eas septem aliae macie confectae et deformes, idest septem anni caritatis et famis;[25] nam, inundante Nilo Aegyptum, efficit abundantiam aquarum copia, non inundante autem, magna sequitur rerum penuria; nam in Aegypto nunquam pluit. [26] Sic Christus in Ecclesia est veluti Nilus in Aegypto, nam fluvius est qui paradisum irrigat mundumque universum bonis omnibus replet, fluvius in *Apocalypsi* procedens de throno Dei et agni. [27]

vires conferunt lassis et omnes infirmos sanant.

Nec tantum sitim extinguunt aquae fontis huius, sed etiam dant lassis virtutem, sicut mirabilis illa aqua, quam Deus eduxit de mandibula asini pro salute Samsonis, qui siti moriebatur, nam haustis aquis, inquit, *refocillavit spiritum et vires recepit ;* [28] mundant leprosos sicut aquae Iordanis, [29] illuminant caecos sicut aquae Siloe, [30] sanant infirmos sicut aquae piscinae. [31]

IV. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat . . . : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me,* etc. [32]

20) Iac 1, 17. 21) Proverbium, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 160, not. 64. 22) Io 1, 1. 14. 23) Ibid. 7, 37. 24) Cf. 3 Rg 17, 1-7; 18, 42-45. 25) Cf. 41, 14-56. 26) Cf. Venantius Fortunatus *Miscellanea*, lib. 8, cp. 6, (P. L. 88, 270); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 5, cp. 9, pag. 43-44; lib. 18, cp. 17-18, pag. 206-207. 27) Cf. 22, 1. 28) Idc 15, 18-19. 29) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 30) Cf. Io 9, 1-7. 31) Cf. ibid. 5, 2-4. 32) Ibid. 7, 37-38.

Fontem beatificum se Christus hodie declarat, et fontem omnium bonorum,

Fontem beatificum se Christus hodie declarat, quoniam Deus est Optimus Maximus, infinita bonitate et potentia praeditus, nec decet ut tanta virtus tantaque bonitas maneat otiosa. Ut autem verba haec Domini intelligamus, sciendum est dicta esse a Christo in templo, in solemnitate scenopegiae, quae celebrabatur in memoriam beneficiorum, quae populus accepit a Deo annis quadraginta in deserto, [33] nam eos Deus nutrivit manna de coelo [34] et aqua de petra magno miraculo educta [35] fuitque illis Deus fons perennis mannae suavissimae et dulcissimae aquae, quia crediderunt in eum, ad verbum ipsius per Moysen relinquentes Aegyptum; [36] fons illis fuit omnium bonorum, quia absque ullo labore providit eis quaecunque illis necessaria erant. [37] Declarat autem Christus hodie se illum eundem fontem bonorum omnium esse; hinc ait voce magna clamans: *Si quis sitit, veniat,* etc.

iam a Prophetis praedictum,

Dicit etiam haec verba Dominus in templo, ut ostendat impleta esse Prophetarum vaticinia et divina oracula; nam Ioel ait: *Per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur.* [38] Zacharias autem capite 13: *Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem;* et capite 14: *In die illa exibunt aquae vivae de Ierusalem: medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum; in aestate et in hieme erunt;* [39] magnus fons, ex quo duo flumina exeunt perennium aquarum. Ezechiel autem de divino hoc fonte multa mirabilia loquitur: quod de sub limine ostii templi Domini fons scaturiebat pro usu et ministerio templi; quod aquae erant valde copiosae, magna ex eo fluebat aquarum abundantia, ita ut fieret magnum flumen, adeo ut a propheta transvadari minime potuerit, sicut magnus declaratur fons paradisi, ex quo quattuor maxima flumina emanant. Proponit etiam mirabilem harum aquarum fecunditatem, dicens quod ad ripas huius fluminis sunt arbores quae per singulos menses fructificant; quod fructus sunt boni ad cibum et folia ad sanitatem gentium, nec unquam deficiunt fructus nec folia cadunt, quia, inquit, aquae egrediuntur de sanctuario. Declarat mirabilem virtutem, quod aquae huius fluminis ingressae in mare Mortuum, in lacum Asphaltidis, illud sint vivificaturae, ita ut aquae illius pisces producerent optimos ac

praesertim ab Ezechiele in figura fluminis de sub limine ostii templi egredientis.

33) Cf. Lv 23, 34 sqq. 34) Cf. Ex 16, 14 sqq. 35) Cf. ibid. 17, 6; Nm 20, 8-11. 36) Cf. Ex 13, 17-14, 1 sqq. 37) Cf. Dt 8, 3-4. 38) 3, 18. 39) Ibid. vr. 8.

magna copia. [40] Sunt igitur aquae hae dulcissimae et optimae, quae pessimas aquas in optimas convertere possunt.

Christus enim omnia bona dat quae constituunt perfectam hominis felicitatem,

O igitur mirabilem fontem coelestium divinarumque aquarum, omnium, inquam, bonorum quae ad perfectam hominis felicitatem requiruntur! Primo quidem, aquae fontis huius vivae sunt, quae homini dant vitam: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [41] Deinde, perennes sunt et indeficientes, non sicut aquae cisternarum dissipatarum, quae aquas diu continere non valent; [42] fons iste est sicut sol perennis fons luminis, cuius lux nunquam deficit, aeternus est, Deus semper idem est: *Ego sum qui sum.* [43] Tertio, aquae hae abundantes sunt, magna aquarum copia ex hoc fonte scaturit, magnum flumen quod transvadari non potest. Magna est divitiarum Christi abundantia, quoniam in eo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis;* [44] omnes autem bonorum abundantiam desideramus. Quarto, sunt mirabilis virtutis ad fecundandam terram et sanandas, vivificandas fecundandasque aquas maris Mortui, ita ut optimos pisces producant. Mare Mortuum nunc est ubi fuerunt illae profanae civitates, quae coelesti igne combustae fuerunt. [45] Caro nostra, cor carnale, lacus Asphaltis est. Haec aqua purificat cor hominis pravum ab omni malitia illudque fecundat, ita ut cum prius esset veluti arbor mala, quae non potest fructus bonos facere, fiat arbor bona, quae non potest fructus malos facere, [46] sed est *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet;* [47] sic fuit Magdalena, prius veluti lacus Asphaltis et terra sterilis ac infecunda, sed hac aqua sanata est; [48] sic samaritana, [49] sic mulier chananaea. [50] Tandem, aqua ista omni sapore atque virtute praedita est sicut manna. Hinc Isaias ait: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum . . . venite, emite . . . vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus?* Venite, *audite . . . et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra.* [51] Sic omni sapore, omni virtute in cibis ac potibus desiderabili praedita est salutaris aqua divini fontis.

quia Deus aeternus est,

omnem habens plenitudinem indeficientem bonorum.

40) Cf. 47, 1-12. 41) Io 4, 14. 42) Cf. Ier 2, 13. 43) Ex 3, 14.
44) Col 2, 9. 45) Cf. Gn 19, 24-28. 46) Cf. Mt 7, 18. 47) Ps 1, 3.
48) Cf. Lc 7, 36 sqq. 49) Cf. Io 4, 6 sqq. 50) Cf. Mt 15, 22-28.
51) 55, 1-2.

Fons est Christus, quia auctor bonorum naturae, fortunae, gratiae et gloriae,

V. Non sine causa autem apud Ezechielem unum tantum est flumen, apud Zachariam dividitur in duo, et in paradiso divisum est hoc flumen in quattuor. Nam sunt quattuor veluti genera bonorum: haec sunt bona naturae, illa bona fortunae, alia bona gratiae et tandem bona gloriae. Bona naturae reperiuntur in mundi creatione, bona fortunae in humana republica, bona gratiae in Ecclesia et bona gloriae in paradiso. Sed omnia reducuntur ad duo genera bonorum: ad bona corporis et animae, carnis et spiritus, vitae corporalis et animalis in terra cum brutis et vitae spiritualis et angelicae in coelo cum Deo et Sanctis eius.

sed praecipue bonorum spiritualium, quae nobis afferunt immortalem vitam et aeternam felicitatem.

Quoniam vero corporalis bonitas potius imago bonitatis et felicitatis est quam vera bonitas et felicitas, hinc apud Ezechielem unum est flumen, sicut Ioannes unum vidit flumen, quod a throno Dei procedebat. Fons quidem Christus est omnium bonorum, nam *omnia per ipsum facta sunt.* [52] Sed hodie gratiae fontem se declarat: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [53] Fontem se declarat spiritualium bonorum, quae nobis afferunt immortalem vitam et aeternam felicitatem. Si Christus se declarasset fontem bonorum temporalium, fontem divitiarum auri et argenti, ut poterat quidem quaecunque libuisset in aurum convertere, si venisset Christus ut rex temporalis in gloria et maiestate, facillime omnes ad fontem hunc accessissent ad hauriendam hanc aquam mundanae felicitatis. Nam legimus quod, cum panis fontem se declaravit Christus multiplicando panes ad saturandam turbam famelicam, turbae requirebant eum. [54]

Noluit autem se declarare fontem divitiarum, ne homines avaritia moti illum sequerentur.

Declaravit se quidem Christus aliquando fontem lucis illuminando caecos, [55] fontem sanitatis sanando infirmos, [56] fontem vitae suscitando mortuos, [57] fontem ubertatis et abundantiae multiplicando panes, [58] efficiendo optimum vinum; [59] sed divitiarum fontem nunquam declarare se voluit, ne homines propter divitias cupiditate moti illum sequerentur. Si accedentes ad orationem discederent manibus plenis argento et auro, qualis quantaque esset frequentia orantium

52) Io 1, 3. 53) Ibid. 7, 39. 54) Cf. ibid. 6, 1-25. 55) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 56) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 57) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 58) Cf. Mc 6, 34-44; 8, 1-9. 59) Cf. Io 2, 1-11.

in Ecclesia! Nam haec desiderant homines, fallacia bona, vera autem minime. Hinc clamat Christus voce magna invitans ad fontem spiritualium ac salutarium, verorum bonorum, sciens quod homines surdastri sunt, non bene audiunt hanc vocem, obtusis valde auribus sunt. Si in foro Christus clamaret, multi accederent, si, inquam, ad temporalia bona invitaret; sed quia clamat in templo, ad spiritualia bona, paucissimi accedunt.

Clamat Christus et clamat mundus, sed mundus cisterna est dissipata, Christus autem fons vivus,

Clamat Christus et clamat mundus: *Si quis sitit, veniat... et bibat.* Dicas mihi, homo, cur magis ad fontem mundi pergis quam ad fontem Christi? ad cisternas dissipatas quam ad fontem aquarum viventium? Non credis posse praestare Christum quae promittit? Quis mundum creavit et omnia quae in mundo sunt? Si Christus creator est omnium, fons est omnium bonorum. Dubitas de infinita Christi potentia? Non credis quod Christus possit hominem perfecta felicitate donare? Si Deus non potest, quisnam poterit? An forte dubitas de voluntate? Non vides quod sponte offert, quod ex magno desiderio clamat magna voce, quod propter nos in discrimen vitae venit? En hodie *miserunt principes... ministros ut apprehenderent eum,* [60] utique ut punirent ac perderent, odio et invidia moti ab infernalibus furiis. Christus tamen nihil eorum aut potentiam et auctoritatem, aut odium et malam voluntatem veritus venit, magno salutis nostrae desiderio et caritate urgente, ad praedicandum, ad promovendam salutem nostram. Hoc est enim quod, cum Dominus ostendit se fontem esse, in cruce ex eius latere *exivit sanguis et aqua.* [61] Nam ad dandam nobis hanc aquam, salutarem, inquam, Spiritus Sancti gratiam, imo ipsum Spiritum Sanctum, sanguinem fudit, mortem passus est, seipsum passioni et morti obtulit. Quomodo igitur haec credentes de divina erga nos voluntate et paterno amore veraque et ardenti caritate possumus dubitare?

qui seipsum morti obtulit ut nobis Spiritus Sancti gratiam conferret.

Spiritus Sanctus aqua et ignis est,

VI. *Flumina de eius ventre fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Aquam hic Christus promisit et postea ignem dedit, nam in linguis igneis dedit Spiritum Sanctum. [62] I o a n n e s inquit in *Apocalypsi* quod de throno Dei procedit flumen aquae clarissimae tanquam crystallum. [63] D a n i e l

60) Ibid. 7, 32. 61) Ibid. 19, 34. 62) Cf. Act 2, 1-4. 63) Cf. 22, 1.

vero ait quod a facie Dei procedit fluvius igneus.[64] Quomodo potest simul esse aqua et ignis? Spiritus Sanctus aqua et ignis est: aqua refrigerans carnalem concupiscentiam, extinguens ignem libidinis et cupiditatis mundanae, ignis vero accendens in humanis pectoribus flammam divini amoris, ardorem coelestium desideriorum. Nam homines ad coelestia quidem, spiritualia et divina frigidissimi sunt, cor habent ex glacie; sicut ad terrena, carnalia et mundana sunt ardentissimi, ita ut animus sit flamma ignis. Venit Spiritus Sanctus ad extinguendum ignem terrenum et ad accendendum ignem coelestem. Igitur hac ex causa nunc dicitur *aqua*, nunc *ignis*, sicut Deus in Sacris Litteris nunc dicitur *fons aquarum viventium*, nunc *ignis ardens : Deus noster ignis consumens est.*[65]

aqua extinguens carnalem concupiscentiam, ignis accendens divinum amorem.

VII. *Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum.* Duas actiones habemus in sacrosancto hodierno Evangelio: alteram hominum contra Christum, alteram Christi erga homines; in illa cernitur summa malitia, in hac summa bonitas; illa fons est iniquitatis, haec autem fons bonitatis; illius auctor diabolus est, huius vero auctor Deus. Sicut enim Deum fontem legimus, ex quo flumen salutarium aquarum procedit, sic etiam legimus quod diabolus fons est, ex cuius ore flumen procedit perniciosarum aquarum. Sic enim Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Misit draco post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.*[66]

Duae actiones ostenduntur hodie: una summae malitiae hominum contra Christum, altera summae bonitatis Christi erga homines.

Sicut autem Christus ait: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae,* sic etiam qui credit satanae flumina de eius ventre fluent aquae mortis. Patet in peccato primi hominis, ex quo infinita peccata malaque omnia orta sunt. Patet hodie in hisce principibus et Pharisaeis, quorum incredulitas, perfidia et odium in Christum in omnes Iudaeos toto orbe dispersos emanavit, quoniam ex flumine satanae biberunt aquam perfidiae et incredulitatis. Homo qui ex hac aqua biberit, similis diabolo efficitur, cuius proprium est ut ex bonis etiam mala eruat, instar pessimi serpentis qui ex optimo cibo venenum trahit; sicut qui bibit ex flumine Christi fit Deo similis, qui etiam ex malis bona elicit et educit, ut patet in peccato Adami.

Etiam diabolus fons est, sed aquarum mortis,

et qui ei credit similis illi efficitur, cuius proprium est ex ipso bono malum eruere,

64) Cf. 7, 10. 65) Dt 4, 24. 66) 12, 15. Vulg.: *Misit serpens ex ore suo post mulierem*, etc.

Serpens ex bono ligno scientiae boni et mali, ex bono praecepto eduxit malum peccatum; Deus ex peccato hoc eduxit bonum poenitentiae, sacrificiorum multaque alia bona, quae in opere humanae redemptionis clara luce cernuntur. En hodie principes et Pharisaei trahunt ex bono malum: quia Christus praedicabat et miracula faciebat ad gloriam Dei et ad salutem animarum, mittunt ministros ad comprehendendum eum tanquam scelerosum et reum mortis. Sic homines Deo reddunt mala pro bonis.

sicut cernitur hodie in principibus et Pharisaeis.

VIII. Per Ieremiam Dominus ait populo Iudaeorum: *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua et aversio tua increpabit te. Scito... quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* [67] Conqueritur quod magis confiderent in divitiis, potentia et favoribus mundanorum principum, quam in Deo, et hoc est quod ait: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi... cisternas dissipatas,* [68] idest confidunt in hominibus mendacibus, impotentibus, mortalibus, qui saepe nolunt vel, si volunt, non possunt auxilium praestare poscentibus. Per Isaiam ait Dominus: *Eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quae vadunt cum silentio... propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam eius; et ascendet super omnes rivos eius et fluet super omnes ripas eius,* [69] idest inundabit ac devastabit terram eius. Quisquis abicit aquas Christi salutares, hic bibet aquas satanae regis infernalis perniciosas quae perditionem et ruinam afferunt.

Magna stultitia est in hominibus magis confidere quam in Deo.

IX. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Recte utique Spiritus Sanctus aquarum symbolo ac hieroglyphico designatur, nam Plato in *Euthydemo* ex Pindari sententia ait aquam praestantissimum esse elementum optimamque esse, [70] licet disputet Plutarchus quidnam praestantius et utilius elementum, aqua an ignis, [71] nullum tamen elementum in Sacris Litteris magis [quam aquam] a Deo honoratum reperimus. Ab initio *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* [72] aquis

Multa mirabilia Deus in aquis operatus fuit;

67) 2, 18-19. 68) Ibid. vr. 13. 69) 8, 6-7. 70) *Euthydemus vel Litigiosus,* lib. 18, pag. 156. 71) *Ethica sive Moralia,* pag. 412-414. 72) Gn 1, 2.

diluvii mundum ab impietate purgavit;[73] primum miraculum Moyses in Aegypto in aquis effecit convertens eas in sanguinem,[74] sicut et Christus aquas convertit in vina, quod primum fuit miraculum ab eo patratum;[75] in aquis Rubri maris Deus populum suum salvavit et Pharaonem perdidit;[76] maximum miraculum fuit in deserto de petra aquas educere;[77] novissimum miraculum in deserto quod aquae Iordanis retrorsum conversae fuerunt;[78] in aquis Iordanis lepra Naaman syri mundata fuit;[79] in aquis Christus Baptismi sacramentum instituit;[80] in aquis praedicare voluit;[81] in aquis maris Galilaeae Apostolorum maximos Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem convertit[82] et mille aliis modis Deus elementum hoc honoravit.

sed et in natura nullum est elementum homini utilius aqua quia innumera beneficia ipsa confert.

Nullum homini utilius est intrinsecus atque extrinsecus; nam intrinsecus sitim levat, aestum refrigerat, morbos etiam depellit, nam magnam vim habent minerales aquae et balnea ad conferendam sanitatem; aliquando etiam miraculo, ut erant aquae piscinae in Ierusalem;[83] extrinsecus vero sordes lavant, terram fecundant, fructus maturant, producunt pisces, navigationi serviunt et mille alia afferunt emolumenta.

hinc per aquam mystice designatur Spiritus Sanctus, qui fons est salutis et felicitatis aeternae.

Per aquam igitur Spiritus Sanctus typice designatur, quoniam homini ipso Spiritu nihil est utilius, nihil iucundius, nihil honorabilius; nam Spiritus fons est salutis, vitae et felicitatis aeternae, infinitus thesaurus omnium bonorum, ipsamet hominis beatitudo. Aquae etiam symbolo Spiritus designantur quoniam, ut etiam Plato in *Euthydemo* ait, licet praestantissimum sit elementum, vilissimo tamen pretio venditur et datur; Spiritus autem Sanctus, fons aquae ascendentis in vitam aeternam, datur absque ullo pretio. Sic enim per Isaiam dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*

73) Cf. ibid. 7, 11 sqq. 74) Cf. Ex 7, 14-22. 75) Cf. Io 2, 2-10. 76) Cf. Ex 14, 21-29. 77) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 78) Cf. Ios 3, 14 sqq. 79) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 80) Cf. Mt 3, 13 sqq. 81) Cf. ibid. 13, 1 sqq; Mc 2, 13; 4, 1 sqq.; Lc 5, 3. 82) Cf. Mt 4, 18-22. 83) Cf. Io 5, 1-4.

FERIA TERTIA DOMINICAE PASSIONIS

I. Naturalis proprietas est omnium viventium, non tantum hominum, sed etiam quorumvis animalium ac vermiculorum, vitam diligere mortemque aequa lance odio habere omnibusque viribus fugere. Hinc vir sensatus, quamvis maxima ardentissimaque siti laboret, si potus ei propinetur vel aquae clarissimae in crystallo purissimo vel vini optimi in aureo poculo, sciens venenatum esse, potum bibere omnino abhorrebit. Sic Christus hodie ad ostendendam humanae naturae et carnis veritatem, ac si non Deus omnipotens, sed purus esset homo mortalis, mortem fugit: *Ambulabat Iesus in Galilaea, non enim volebat in Iudaea ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* [1] Et quamvis invitetur a fratribus et consanguineis suis: *Transi hinc et vade in Iudaeam* [2] ad diem festum, renuit tamen, quoniam, inquit, *me* mundus *odit, quia ego testimonium perhibeo ... quod opera eius mala sunt.* [3] Odio habent infirmi oculi lucem et noctuae solem; sic mundus Christum lucem mundi [4] et solem iustitiae. [5]

Omne animal naturaliter vitam diligit et a morte abhorret,

hinc Christus utpote homo, hodie ostendit se mortem fugere velle.

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.[6]

II. Sanctus Isaac in paterna domo persecutionem passus fuit ab Ismaele fratre; [7] Iacob ab Esau quaerebatur interfici, unde discessit a domo patris sui in Haram, sive Mesopotamiam, ibique diu mansit; [8]

Christus in Iudaeam ambulare nolebat,

1) Io 7, 1. Vulg.: *Galilaeam ... Iudaeam. Galilaea ... Iudaea* lect. cod. 2) Ibid. vr. 3. 3) Ibid. vr. 7. 4) Cf. ibid. 1, 9; 8, 12; 9, 5; 12, 46. 5) Cf. Mal 4, 2. 6) Pericope huius diei Io 7, 1-13. Cf. Missale Rom. 7) Cf. Gn 21, 9; Gal 4, 29. 8) Cf. Gn 27, 41-28, 1-5; 29, 1 sqq.

quia ad necem ibi quaerebatur.

David odio habitus et ad mortem quaesitus a Saule reliquit Iudaeam et abiit in terram Philisthaeorum ;[9] Elias insectatus ab impia Iezabele, ipse quoque reliquit terram Israel.[10] Sic hodie Christus *ambulabat... in Galilaeam... quia quaerebant eum Iudaei interficere. Me odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo... quod opera eius mala sunt.* Mirandum profecto videretur si pulcherrima mulier turpissimum aethiopem pareret; veritas autem odium parit:[11] *Me autem* mundus *odit.* O res mirabilis, odio habere summam pulcritudinem et bonitatem!

Tria consideranda sunt: a) qui odit homo est intellectu et voluntate praeditus, qui naturaliter bonum diligit et malum odit,

Tria sunt nobis hic consideranda: quis odit, quis odio habetur et ratio propter quam. Qui odit est mundus parvus,[12] est homo factus *ad imaginem et similitudinem Dei,*[13] Deo similis in natura, in virtute potestateque agendi et in operatione. Est enim anima nostra spiritualis natura ut Deus, intellectu et voluntate praedita ut Deus, cognoscens verum et diligens bonum ut Deus. Qua autem ratione bonum diligitur, eadem malum bono oppositum odio habetur aequa lance. Non mirum est si homo quippiam odio habeat, praeditus enim a Deo est non tantum vi concupiscibili, qua appetat bonum, at irascibili, qua abhorreat malum; nec solum praeditus homo est concupiscibili et irascibili sensuali, sed etiam rationali, qua virtutes bonaque spiritualia diligimus et vitia spiritualiaque mala odio habemus.

ideo super omnia Deum diligere debet, quia Deus bonum infinitum est,

Voluntas, unde oritur rationalis amor in homine, supremum locum tenet, ipsa regina est in regno animae nostrae, ipsa potentiis omnibus imperat; intellectus autem veluti ductor et consiliarius est, cuius obiectum est ipsum bonum, et quod bonum magis est magis diligit, sicut sensatus homo pluris aestimat libram aeris quam libram ferri, pluris libram argenti quam aeris et pluris libram auri quam argenti. Ob id super omnia homo Deum tenetur diligere infinito quodammodo amore, quoniam Deus infinitum bonum suapte natura est. Hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis.*[14] Cor autem humanum infinitae propemodum capacitatis est, infinito boni desiderio plenum.

9) Cf. 1 Rg 18, 8-9; 19, 1 sqq.; 21, 1 sqq. 10) Cf. 3 Rg 19, 3-14. 11) Proverbium, de quo cf. supra, Dominica Passionis, hom. 3, pag. 22, not. 39. 12) Sic appellatur homo ab antiquis. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 18 col. 82-84; part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 282, not. 13. 13) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 14) Dt 6, 5; Lc 10, 27.

Infinita autem bonitas infinitum amorem requirit.

Deus autem ex toto corde diligendus sic est, ut nullum bonum, quod infra Deum est, vel magis vel aeque ac Deus diligatur. Et Deitas ipsa nude in se considerata talem tantumque amorem requirit, ut maior requiri nullo modo possit. Unde, si, per impossibile, darentur plures dii essentialiter distincti, sicut in uno Deo dantur plures Personae distinctae realiter, et nos ab uno tantum eorum omnia beneficia bonaque omnia naturae, gratiae et gloriae accepissemus, ab alio vero nullum penitus beneficium aut emolumentum, nil tamen minus hunc quam summum illum benefactorem teneremur diligere, quia infinita bonitas suapte natura infinitum requirit amorem. Infinito autem addi minime potest.[15] Sicut si tu duas habeas possessiones, quarum una nihili sit melior altera, quamvis tu ab una tantum omnem victum vestitumque acceperis, nil tamen minus alteram aestimas nihilque vilius eam vendere velles. Sic, si nos a Filio tantum, a quo redempti sumus, creati etiam et glorificati essemus absque ulla cooperatione Patris et Spiritus Sancti, nil tamen minus teneremur Patrem et Spiritum Sanctum quam Filium diligere, nec plus Filium quam Patrem et Spiritum Sanctum, sed per plura ex pluribus rationibus teneremur Filium diligere.

b) Qui odio habetur Deus est, quem etiam iure naturae homo tenetur supra omnia diligere,

III. Haec igitur bonitatis natura est, ut quo maior est eo a voluntate, cuius obiectum est, maiorem sibi vindicet suopte iure amorem. Iure igitur naturae homo Deum supra omnia tenetur diligere; et ob id non praeceptum fuit homini in paradiso ut Deum diligeret, quoniam ipsamet integra tunc natura ductus fuisset homo ad Deum super omnia diligendum. Hinc non praecipit lex parentibus ut filios diligant, quoniam ipsamet natura abunde id operatur. Sic suapte natura homo tunc, incorruptus cum esset, Deum dilexisset, quamvis etiam supernaturali gratia ad hoc perfecte agendum praeditus esset, ut, inquam, Deum infinito insuperabilique amore diligeret.

ordo enim exigit ut bonum magis diligatur quo melius est.

Sic Deus hominem ordinavit, unde homo parvus dicitur mundus, non tantum quia compendium quoddam mundi est, verum etiam ex ordinata hac hominis dispositione. Sicut enim in mundo hoc supra terram est aqua, supra aquam aer, supra aerem coelum, supra coe-

15) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 10, a. 3, ad 3.

lum Angeli, sic in homine est corpus, supra corpus vita, supra vitam sensus, supra sensum ratio, supra rationem voluntas, quam Deus voluit esse seraphico amore ardentem.

Et tamen Christus verus Deus odio habebatur, cum esset solus vere bonus.

Sed, heu heu! diaboli opera inversus, perturbatus et confusus ordo hic est. *Me*, inquit, mundus *odit*. Christus est qui odio habetur, Christus, *in quem desiderant Angeli prospicere;* [16] *Speciosus forma prae filiis hominum;* [17] *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius;* [18] Christus, in quo est omnis bonitas et pulcritudo tum creata tum increata; Christus, qui solus est bonus: *Nemo bonus nisi solus Deus,* [19] sicut solus sol lucidus, cetera sunt illuminata; solus ignis calidus, cetera sunt calefacta. *Nemo bonus nisi solus Deus;* solus autem Christus Deus est, ergo solus Christus bonus, solus igitur Christus omni amore, infinito amore dignus est.

In Christo omnis bonitas reperitur naturae, gratiae, gloriae et deitatis,

In universo quadruplex bonitas reperitur: bonitas naturae, bonitas gratiae, bonitas gloriae et bonitas divina. Bonitas naturae in mundo, bonitas gratiae in Ecclesia, bonitas gloriae in paradiso et bonitas divina in ipsomet Deo. In homine magna est bonitas naturae, maior bonitas gratiae, maxima bonitas gloriae, sed bonitas divina infinita est. In Christo autem omnis bonitas reperitur tum naturae, tum gratiae, tum gloriae, tum deitatis: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [20]

ideo amore infinito dignus est.

Quis ergo dicere potest quali quantoque dignus amore sit? Omnes simul homines simulque omnes Angeli non possunt tantopere Christum diligere, quin multo maiori dignus amore sit. Solus Deus Christum digne diligere potest diligitque infinito amore; hinc enim Spiritus Sanctus est amor Patris in Filium: *Hic est filius meus dilectus,* [21] et vicissim Filii ipsius in Patrem.

Insuper infinita bonitas est et auctor omnium bonorum in mundo;

Infinito, infinito, inquam, dignus amore Christus est in seipso simpliciter consideratus, absque consideratione ulla beneficiorum ipsius. Quid si beneficia quae ab ipso mundus accepit consideremus? *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil.* [22] Bonorum omnium ipse est auctor; bonitas omnis ab ipso est sicut lux a sole. Talem se Dominus ostendebat curando infirmos, [23] illuminando cae-

16) 1 Petr 1, 12. 17) Ps 44, 3. 18) Hebr 1, 3. 19) Lc 18, 19.
20) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat*, etc. 21) Mt 3, 17; 17, 5; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17.
22) Io 1, 3. 23) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10.

cos, [24] auditu donando surdos [25] et loquela mutos, [26] mundando leprosos, [27] sanando paralyticos, [28] integritati restituendo claudos et mancos, [29] suscitando mortuos, [30] omnibus semper benefaciendo, [31] nulli unquam hominum vel in re minima damnum vel nocumentum inferendo, et tandem pro salute mundi crucem mortemque subire volendo, [32] adeo ut qualis quantaque eius extitit bonitas, talia tantaque eius extiterint beneficia, seipsum enim totum nobis donavit et secum omnia.

Infinita igitur in eo bonitas et pulcritudo, infinita pariter benignitas et beneficentia, et tamen odio habetur: *Me autem* mundus *odit.* Bone Deus! quomodo potest vir bonus pulcherrimam mulierem odio habere? Pulcritudo est obiectum amoris, maxime cum perfecta est, in optima proportione et architectura figurarum, in puritate et varietate colorum, in splendore luminum. Utique odio habere poterit si, pulcra cum sit corpore, turpis ac defoımis sit animo; sic enim Assuerus pulcherrimam reginam Vasthi odio habuit et abiecit. [33] At si animo etiam pulcherrima sit, sensata, sapiens, optimo iudicio ingenioque praedita, omnibusque virtutibus et optima morum elegantia ornata? In his enim pulcritudo animi consistit, in optima dispositione potentiarum, in coloribus virtutum et in luminibus scientiarum. Christus autem corpore pulcherrimus fuit, spiritu autem omni pulcritudine naturae, gratiae et gloriae decoratus et omni divina pulcritudine donatus. Pulcrior hominibus, pulcrior Angelis, in pulcritudine aequalis Deo. Sic enim melior hominibus, melior Angelis omnibus, in omni bonitate et perfectione aequalis Deo; et tamen: *Me autem* mundus *odit.*

Infinita etiam pulcritudo,

omnibus perfectionibus naturae, gratiae, gloriae et deitatis donatus.

IV. Odio habemus quaecunque nobis displicent vel ob turpitudinem, vel ob malitiam, vel ob maleficentiam et damna quae nobis infert. In Christo autem summa et infinita pulcritudo, summa et infinita bonitas, summa et infinita beneficentia est; cur ergo odio habetur?

c) Ratio ob quam odio habebant Iudaei: falsus zelus religionis,

24) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 25) Cf. Mt 11, 5; Mc 7, 32 sqq.; 9, 24-25; Lc 7, 22. 26) Cf. Mt 9, 32-33; 12, 22; 15, 30-31; Mc 7, 32 sqq.; 9, 16-25; Lc 11, 14. 27) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 28) Cf. Mt 4, 24; 8, 6-13; 9, 2-8. 29) Cf. ibid. 11, 5; 15, 30-31; 21, 14. 30) Cf. ibid. 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 31) Cf. Act 10, 38. 32) Cf. Rom 5, 6-9; 14, 9. 15; 1 Cor 8, 11; 15, 3; 2 Cor 5, 14-15; 1 Petr 3, 18. 33) Cf. Est 1, 12-22.

Quia ego testimonium perhibeo ... quod opera eius mala sunt. Iudaei sub praetextu falsi zeli divinae religionis Christum persequebantur et interficere quaerebant, quia videbatur eis Christus sabbatum solvere et quia *Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo.*[34]

sed praecipue mala eorum voluntas a diabolo concitata contra Deum,

Sed ratio praecipua huius odii ac persecutionis fuit morum dissimilitudo: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum ; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*[35] Hinc Christus acriter eorum vitia, quae maxime omnium oderat, arguebat: *Testimonium perhibeo ... quod opera eius mala sunt.* Prava igitur perversaque voluntas a diabolo concitata in causa fuit huiusce odii et persecutionis. Non enim qualitercunque oderant, sed odio mortali: *Quaerebant eum ... interficere.* Summam infinitamque bonitatem summo infinitoque odio persequebantur a diabolo concitati, qui Deum super omnia odit.

sicut protoparentes in peccatum et Gentes in idololatriam induxerat.

Diabolus enim, qui a falsis calumniis sic appellatus est,[36] sicut in mundi principio Deum apud hominem calumniatus fuit de malevolentia: *Cur praecepit vobis ... ne comederetis de omni ligno paradisi ?*[37] de invidia: *Scit enim Deus quod quacunque die comederitis,* etc.;[38] de mendacio: *Nequaquam ... moriemini;*[39] qui etiam apud gentes Deum calumniatus fuit persuadens his quidem non habere Deum curam et providentiam rerum quae sub sole fiunt, illis non esse Deum conditorem, aliis nec esse Deum in mundo, unde innumeris mundum implevit errorum ac vitiorum portentosis monstris; sic Christum apud Iudaeos calumniatus fuit, quod legem Moysi divinamque religionem destrueret; quod magus et incantator esset, magicis artibus ficta miracula faceret[40] et alia id genus.

Hoc odium diabolicum Christus cernens, nolens se de inimicis ulcisci, persecutionem fugit.

V. Hinc Iudaei odio exarsere in Christum: *Quaerebant eum Iudaei interficere;* hinc ipse dans locum irae, discedens a Iudaea ambulabat per Galilaeam. Potuisset Christus facere inimicis suis id quod Moyses fecit seditiosis Dathan et Abiron, quos[41] vivos terra cum universis familiis suis absorbuit;[42] potuisset sicut Elias igne de coelo illos comburere;[43] potuisset saltem illos e domo sua eicere mittens in captivitatem, uti nunc sunt; sic enim Ismael persequens Isaac eiectus e domo

34) Io 5, 18. 35) Ibid. 8, 23. 36) Diabolus enim ex graeco interpretatur: *Calumniator.* 37) Gn 3, 1. Vulg.: *Ut non comederetis,* etc. 38) Ibid. vr. 5. Vulg.: *In quocunque die,* etc. 39) Ibid. vr. 4. 40) Cf. Mt 9, 34; 12, 24; Mc 3, 22; Lc 11, 15-18. 41) Ms.: *Quo.* 42) Cf. Nm 16, 20-32. 43) Cf. 4 Rg 1, 9-12.

una cum matre fuit. [44] Sed voluit facere sicut David qui, cum semel et bis potuisset impium Saul occidere, abstinuit tamen a vindicta et profugus potius vagari extra Iudaeam voluit; [45] voluit sicut Iacob impii fratris Esau persecutionem fugere. [46]

Huius impiae persecutionis figurae fuerunt

Sicut autem Ismael persequebatur Isaac, quoniam minor natu erat, etsi dignitate multo superior; [47] Esau Iacob, quoniam paternam benedictionem iuxta divinum decretum illi praeripuerat; [48] Saul Davidem, ne regnum amitteret; [49] Pharao Moysen, quia aegyptium occiderat; [50] Iezabel Eliam, quoniam omnes prophetas Baal Dei zelo armatus peremerat. [51] Christus autem verus est Isaac, Iacob, Moyses, David, Elias; ipse etiam ille est Iephte, *vir fortissimus*, qui a fratribus odio habitus abiit et habitavit in terra Thob ne a fratribus occideretur – oderunt autem eum fratres et eiecerunt ne heres cum ipsis esset et particeps hereditatis paternae, – Iephte, qui Ammonitas expugnavit, factus princeps populi, qui filiam unicam virginemque purissimam Domino in sacrificium obtulit iuxta emissum votum. [52] Interpretatur autem nomen eius a p e r i t i o sive o s t i u m, porta: *Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur.*[53] Erat autem de Galaad, de a c e r v o t e s t i m o n i i, [54] quod Ecclesiam significat cuius Christus caput et fundamentum est. [55] O quot hic latent mysteria, quot sacramenta, si interpretari velimus de Christo et aperire nominum omnium istorum arcana! Quid Isaac r i s u s, quid Iacob s u p p l a n t a t o r, quid Moyses e x t r a h e n s, quid Iephte o s t i u m, quid David a m o r, quid Elias p o t e n s D e u s? [56] Risus utique Christus est, omnis laetitia Dei Patris, Iacob supplantator diaboli, Moyses qui populum Dei de manu satanae et regno tenebrarum extraxit, ostium salutis aeternae, amor, totus caritas, virtus et potentia omnipotentis Dei. Et tamen a mundo patitur persecutionem: *Me autem* mundus *odit. Quaerebant eum... interficere;* sed quia Isaac minor natu esse voluit in mundo isto, Isaac Deo sacrificandus; [57] quia voluit esse Iacob, quod c a l c a n e u m significat, in mundo hoc loco humillimo nasci, infimum tenere locum; Esau

Iephte a fratribus persecutus,

Isaac ab Ismael, Iacob ab Esau,

44) Cf. Gn 21, 10-14. 45) Cf. 1 Rg 24, 4-16; 26, 6-12. 46) Cf. Gn 28, 1-5. 47) Cf. Gal 4, 22-30. 48) Cf. Gn 27, 1 sqq. 49) Cf. 1 Rg 18, 8. 50) Cf. Ex 2, 11-15. 51) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 52) Cf. Idc 11, 1 sqq. 53) Io 10, 9. 54) Sic enim *Galaad* latine interpretatur. 55) Cf. 1 Cor 3, 11; Eph 5, 23; Col 1, 18; 2, 7-10. 56) Sic latine nomina ista interpretantur. 57) Cf. Gn 22, 1-10.

autem avaritia ductus Iacob odio habuit. Sic iudaeus voluit esse, Moyses, vir mitissimus occidens aegyptium vitii et peccati; hinc Pharao eum persequitur.[58] Voluit esse Iephte, pauper externis bonis, dives autem internis; voluit esse David, vir secundum cor Dei[59] et facere semper Deo placita;[60] hinc libens patitur persecutiones. Voluit esse Elias divini honoris zelantissimus;[61] arguebat acriter vitia sacerdotum, scribarum et Pharisaeorum, qui Baal potius quam Deum colebant; hinc odia, hinc persecutiones: *Me* mundus *odit*, qui sum verus Isaac, Iacob, Moyses, Iephte, David, Elias. Isaac filius unigenitus Patris excelsi, natus non ex ancilla sed ex libera, non ex Agar serva sed ex Sara domina,[62] genitus a Deo non ex natura creata, uti homo et Angelus, sed ex increata natura; Isaac, qui in sacra Patriarcharum trinitate medium locum tenet,[63] sed paulo minus minoratus ab Angelis est;[64] hinc Ismael natu maior secundum carnem, diabolus cum omnibus membris suis Christum hominem factum in humilitate persecutus est. Verus Iacob dilectus: *Iacob dilexi,*[65] filius natu minor; homo minor Angelo, post Angelum etiam creatus, sed praepositus Angelo, factus dominus Angelorum; hinc Lucifer ira in eum exarsit eumque persecutus est: *Quaerebant eum Iudaei,* diaboli membra et filii, *interficere; Me* mundus, cuius princeps diabolus est, *odit.*

Moyses a Pharaone, David a Saul, Elias a Iezabel.

VI. Sed vide, frater, ne tu quoque, qui Christum super omnia diligere putas, ipsum ignorans oderis et persequaris. Profecto si homo ex toto corde Deum diligeret, nunquam peccaret. Hoc enim peccatum suapte natura est, aliquid supra Deum et contra Dei voluntatem diligere. Quare qui non diligit Deum, utique odit; qui amicus eius non est, inimicus convincitur: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit.*[66] Qui igitur Deum in corde suo in veritate non diligit, necesse est ut oderit, nam qui voluntarie peccat et obstinatus in peccatis vivit, necesse est ut velit vel Deum non esse, qui peccata severa iustitia in tremendo suo iudicio puniat, vel Deum iniustum esse, qui iniquitatem non oderit, nec iuste punire velit.

Qui Deum vere non diligit, necesse est ut eum odio habeat.

58) Cf. Ex 2, 11-15. 59) Cf. 1 Rg 13, 14; Act 13, 22. 60) Cf. Io 8, 29.
61) Cf. 3 Rg 19, 14. 62) Cf. Gn 21, 1-10. 63) Idest: Abraham, Isaac et Iacob.
64) Cf. Ps 8, 6; Hebr 2, 9. 65) Mal 1, 2; Rom 9, 13. 66) Lc 11, 23. Vulg.: *Dispergit.*

Si quis enim contumax et rebellis factus a principe defecerit, quoniam seipsum magis quam principem diligit, quem scit iniquitatis osorem esse severumque scelerum omnium vindicem, mortem ei desiderat, et si occidere illum posset, libentissime eum interficeret ne tandem ab eo captus lueret poenas extremas.

Peccatum ad summam impietatem hominem adducit.

Sic peccatum quod per poenitentiam non deletur, si in anima firmas radices egerit, ad summam impietatem hominem adducit, ut Deum odio habeat et occidere quaerat. Ecce Christus verus Deus quaeritur ad mortem: *Quaerebant eum Iudaei interficere; Me odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo . . . quod opera eius mala sunt.* Sic civitas Babylon fundata super amorem proprium propriasque cupiditates[67] ascendit usque ad odium Dei: *Me autem odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo quod . . . opera eius mala sunt.*

Solus Deus implere potest animam nostram.

VII. At fugit Christus ab huiusmodi Iudaea, quae ipsum odit et occidere quaerit, ambulat autem per Galilaeam. Felix Galilaea, in qua reperitur Christus, bonorum omnium auctor, thesaurus et fons indeficiens! Beata anima, quae vera Galilaea est, circularis,[68] rotunda, sphaerica, virtutibus perfecta! Deus enim, cum ipse quoque sphaera sit intellectualis, sphaeram hanc totaliter, si praesens fuerit, implebit, nam Christus est rota in medio rotae apud Ezechielem.[69] Sola autem divinitatis haec sphaera implere potest sphaeram animae nostrae. Mundus enim, etsi sphaericus est, non implet; parvus orbis positus intra multo maiorem non implet, sicut orbis terrae non implet magnitudinem coeli. Totus iste mundus est veluti orbis terrae, sed animus noster veluti coelum est capacitatis infinitae; hinc solus Deus magnitudine sua implere eum potest, solus Deus sufficere potest animo illumque beare. Alia omnia occupare possunt. Galilaea significat perfectionem virtutis, hinc Deus circulari figura mundum creavit, quoniam *Dei perfecta sunt opera.*[70] Hae sunt rotae apud Ezechielem. Iudaea autem laudem significat laudisque confessionem. Fugiendum est ab humanis laudibus, quoniam dulcia mellitaque venena sunt et latet sub herba viridi venenatus anguis,[71] vel saltem, postquam multum tempus transegerit

67) Cf. Gn 11, 3-4. 68) *Galilaea* enim circulus latine interpretatur. 69) Cf. 1, 15 sqq. 70) Dt 32, 4. 71) Cf. Virg. *Bucolica*, ecl. 3, vr. 93.

homo in Galilaea, tum in Iudaeam pergat, transeat per templum virtutis ad templum honoris.[72]

Mundus odit omnia quae Deus diligit, hinc Christum Deo dilectissimum persequitur

VIII. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit.* Hoc proprium mundi est, odisse omnia quae Deus diligit. Deus super omnia Christum dilexit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* dixit in Iordane[73] et in monte sancto.[74] Hinc Paulus Christum vocat *Filium dilectionis* Dei,[75] idest Filium dilectissimum; mundus autem Christum odio habuit et pro viribus persecutus fuit usque ad mortem crucis. Sic Ioseph maxime dilectus a patre maximum odium et persecutionem patiebatur a fratribus.[76] Displicent mundo quaecunque placent Deo, nec placent mundo nisi quae Deo quam maxime displicent. Hinc ab initio saeculi semper iniqui summo odio prosecuti et persecuti sunt iustos, sanctos et fideles servos Dei, sicut Aegyptii Hebraeos,[77] Cain Abelum,[78] Ismael Isaacum, Esau Iacobum, Saul Davidem, Achab Eliam,[79] rex Syriae Eliseum,[80] Sennacherib Ezechiam,[81] satrapae Danielem,[82] Iudaei Christum. Haec est inimicitia inter Ecclesiam et serpentem: *Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius, ipsum conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius,*[83] persequeris illum pro viribus, mortali odio, sicut venator feram persequitur ut occidat.

et summo odio semper Dei servos persecutus est.

Causa huius odii est quia mundus regitur spiritu satanae et carnis;

Huius autem rei duplex est causa: altera quidem, quoniam mundus spiritu satanae regitur, hinc *princeps huius mundi,*[84] qui *totus in maligno positus est,*[85] dicitur, satan autem Dei inimicissimus est et Christum summo infinitoque odio persequitur; altera vero, quoniam *caro ... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur;*[86] *Sentio ... aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati.*[87] Cum enim duplici parte constet homo: spiritu

72) Cf. Cicero *De Natura Deorum,* lib. 2, vol. 4. col. 268. Virtus ab antiquis dea putabatur, cui templum dedicatum erat cum templo Honoris coniunctum, ita ut in hoc nonnisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt veram et unicam parandi honoris viam esse virtutem. Forcellini *Lexicon Tot. Lat.,* sub voce: *Virtus.* 73) Mt 3, 17. 74) Ibid. 17, 5; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 75) Cf. Col 1, 13. 76) Cf. Gn 37, 3-4. 77) Cf. Ex 1, 8 sqq. 78) Cf. Gn 4, 3-8. 79) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 80) Cf. 4 Rg 6, 8 sqq. 81) Cf. ibid. 19, 1 sqq. 82) Cf. Dn 6, 1-18; 14, 27-31. 83) Gn 3, 15. Vulg.: *Inimicitias ponam ... ipsa conteret,* etc. *Ipsum* ex hebraico. 84) Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 85) 1 Io 5, 19. 86) Gal 5, 17. 87) Rom 7, 23. Vulg.: *Video ... aliam ... in lege peccati.*

mentis, qui nobis cum Deo et Angelis communis est, et sensu carnis, in quo similes belluis sumus; spiritus quidem virtutibus delectatur omnibus vitaque angelica, sensus autem vitiis et vita belluina.

Cum igitur caro suapte natura sit spiritui adversa et inimica, mirum non est si carnales et animales homines pios Dei servos, *qui . . . spiritu Dei aguntur*[88] et secundum virtutis normam vitam instituunt, acri odio insectantur. Nam, cum carnalium voluptatum amatores sint, etiam honoris cupidi et existimationis [sunt], quare vellent omnes sibi similes esse, ne virtutum exemplis vita eorum dehonestaretur, improbitate detecta; nam contraria iuxta se opposita, ut aiunt, magis elucescunt:[89] obliqua linea iuxta rectam posita magis obliqua conspicitur, et deformis mulier iuxta speciosam ac decoram nimis.

Ideo carnales homines Dei servos acri odio insectantur, quia horum virtus eorum impietatem arguit;

Hanc igitur ob causam improbi tantopere iustos et pios viros insectantur. Propterea Christi Ecclesia tam graves a mundo passa est persecutiones. Et P a u l u s ait quod: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo . . . persecutiones patiuntur.*[90] Quoniam, cum homines naturae impulsu honorem et gloriam, quae virtuti debetur, avidissime appetant, ita tamen ut turpibus voluptatibus carere minime velint, turpia vitia honestari vellent peccantium multitudine, ita ut nemini turpia videantur.

propterea Ecclesia semper in mundo persecutiones patitur.

II. ALIA HOMILIA

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.[1]

I. Facto nos Dominus hodie docet quod unusquisque debet salutis propriae rationem habere, unusquisque debet vere seipsum diligere vitamque suam pro viribus tutam incolumemque servare, adeo ut in necessitatis tempore homo pro conservanda tuendaque vitae incolumitate divinam etiam legem sine peccato transgredi quodam-

Facto docet Christus servandam esse pro viribus vitam propriam naturalem,

88) Rom 8, 14. 89) Axiomata philosophica, de quibus cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 14, a. 10. 22; *Contra Gentiles*, lib. 2, cp. 50, ad 6; Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*, pag. 218. 90) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Omnes qui pie volunt . . . persecutionem patientur.*

1) Io 7, 1.

etiam lege divina positiva postposita;

modo possit, sicut alias Dominus docuit; excusavit enim Apostolos in die sabbati confricantes manibus spicas ex necessitate, [2] dicens id quidem licere, quoniam *sabbatum propter hominem... et non homo propter sabbatum* [3] factus est, sicut licuit Davidi constituto in necessitate sanctificatos panes comedere, [4] quos secundum legem sacerdotibus tantum licebat manducare. [5]

nam ius divinum naturale praevalet positivo.

Ius divinum naturale praevalet iuri divino positivo, hinc hodie Christus invitatus a suis ut in Iudaeam abiret, in Ierusalem ad celebrandum diem festum, ire renuit, [6] quia *quaerebant eum Iudaei interficere.* Propriam vitam tueri ius est divinum naturale, sed diem festum celebrare divinum quidem ius est, sed positivum, quod naturali necesse est ut cedat, cum simul cum eo concurrit, nec potest utrunque servari.

Eo magis servanda pro viribus est vita spiritualis, quae aeterna est,

Servanda igitur est naturalis vita, fugienda sunt pericula omnia; sed multo magis vita spiritualis, quae suapte natura aeterna est: *Qui* enim *diligit animam suam, perdet eam; qui* autem *odit animam suam* propter me, *in vitam aeternam custodit eam.* [7] Cum autem *diabolus tanquam leo rugiens* circuat *quaerens quem devoret* [8] omnesque daemones inimici nostri sint, cavendum nobis est et fugiendum a Iudaea in Galilaeam, securiora loca eligenda sunt nobis ad mortalia peccata evitanda; hoc enim facto etiam Christus ostendit hodie.

pericula peccati omnia fugiendo.

Invitatus enim a cognatis suis ut iret in Iudaeam ad nominis claritatem celebremque famam suis miraculis sibi acquirendam, ire noluit dicens: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum advenit,* [9] tempus gloriae meae nondum advenit, vigilia mihi celebranda est ante diem festum. Sic enim Deus iussit ut ante festa solemnia fideles sui affligerent animas suas. [10] Vae iis qui festum ante vigiliam celebrant, sicut fecit epulo, sed felices qui cum Lazaro [11] vigiliam agunt ante festum, sic enim Christus egit.

II. *Tempus meum nondum advenit.* Fuit vita Christi veluti dispositissimum horologium, quod suis temporibus infallibiliter horas

2) Cf. Mt 12, 1-8; Mc 2, 23 sqq.; Lc 6, 1-5. 3) Mc 2, 27. 4) Cf. 1 Rg 21, 6. 5) Cf. Lv 24, 5-9; Mt 12, 1-4; Mc 2, 23-26; Lc 6, 1-4. 6) Cf. Io 7, 3-9. 7) Ibid. 12, 25. Vulg.: *Qui amat animam,* etc. 8) 1 Petr 5, 8. 9) Io 7, 8. Vulg.: *Ego autem non ascendo... quia meum tempus nondum impletum est. Non ascendam* lect. cod. 10) Cf. Lv 16, 29 sqq. 11) Cf. Lc 16, 19 sqq.

pulsat et dimidias etiam horas ac quadrantes. Sic suis temporibus Christus ordinatissima dispositione omnia agebat: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum,* [12] quoniam *non potest mundus odisse vos, me autem odit,* nam veritas odium parit, [13] *quia ego testimonium perhibeo ... quod opera eius mala sunt.* [14] Achab odio habebat sanctum Michaeam, quoniam dicebat ei veritatem. [15] Non ascendam modo ad diem festum, ascendam autem postea. Sic enim postea ascendit, *non manifeste, sed quasi in occulto.* [16] Sic enim intelligendum est: *Ego autem non ascendam ad diem festum istum: non ascendam* modo vobiscum, *quia tempus meum,* quo ascendere debeo, *nondum advenit.* Expectavit Christus tempus praefinitum a Patre ad celebrandum festum gloriae suae. Sic nobis agendum est.

Christus omnia agebat ordinatissima dispositione, prout praefinitum erat a Patre.

In sacrosancto hodierno Evangelio, [17] se Christus tanquam merum hominem gerit formamque servi ostendit, *in similitudinem hominum factus,* [18] ut hominibus regula esset et forma vivendi: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* [19] Ad hoc Christus in multis se tanquam merum hominem ostendit, ut nos, qui meri homines sumus et non dii, humanam Christi vitam imitemur: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [20] Cum igitur in hodierno Evangelio humana Christi vita describatur ad nostram eruditionem et aedificationem, operae pretium erit ut eam inspiciamus, ut imitari possimus: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Sic dixit Moysi Dominus cum praecepit ut tabernaculum sanctum ad inhabitandum ipsi construeretur: dedit ei prius exemplar perfectissimum. [21] Tabernaculum autem illud Ecclesiam praefigurabat, exemplar vero Christum. Contemplemur igitur hodie humanam Christi vitam.

Hodie verum hominem se ostendit, ut eius imitemur humanam vitam,

ipse enim exemplar nostrum est.

III. *Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Movetur Christus, ambulat, non quiescit, non otiatur. Nobis igitur primo omnium fugiendum est otium, quod vitiorum omnium seminarium est, [22] si-

Christus docet otium fugiendum, quod est seminarium omnium vitiorum,

12) Io 7, 6. 13) Cf. supra, Dominica Passionis, pag. 22, not. 39. 14) Io 7, 7. 15) Cf. 3 Rg 22, 13 sqq. 16) Io 7, 10. 17) Hic ponitur: *Ubi*, quod superfluum est. 18) Phil 2, 7. 19) Ex 25, 40. 20) Mt 11, 29. 21) Cf. Ex 26, 1 sqq. 22) Cf. Eccli 33, 29.

quidem avis nascitur ad volandum et homo ad laborem:[23] *Tulit... Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.*[24]

nos omnes peregrinos esse in hoc mundo,

Ambulabat, peregrinabatur, non habitabat in civitate, voluit esse peregrinus in mundo hoc; sic nos oportet peregrinos agnoscere et ad coelestem patriam tendere. *Ambulabat* Christus, sed per *Galilaeam,* quod est revolutio sive circulatio; circulatio autem fit cum linea ad suum principium convertitur ibique ubi incepit terminatur: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;*[25] *Vado ad eum qui misit me.*[26] Sic Deus ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro;*[27] hoc autem fit servando primum et maximum legis praeceptum: *Diliges Dominum,* etc.[28]

ubi nil firmum et permanens reperitur;

Galilaea significat perfectionem. Quod si omnis artifex quaerit cupitque perfectus valde esse in sua professione, cur nos non id quaeramus in professione christiana? Si vero interpretemur Galilaeam revolutionem, sic mundus iste revolutionum locus est, ubi nil firmum, stabile et permanens reperitur. Hinc Christus in mundo hoc peregrinus esse voluit: *Ambulabat... in Galilaeam; Dum sumus in hoc saeculo, peregrinamur a Domino;*[29] *Non... habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.*[30] Hinc hodie in Evangelio fit mentio scenopegiae, festi tabernaculorum in memoriam peregrinationis Israelitarum in deserto quadraginta annis.[31]

adversa huius vitae patienter ferenda

Praeterea, patienter ferenda sunt adversa; si propter iustitiam persecutionem patimur, feramus patienter cum Christo, qui *ambulabat... in Galilaeam... quoniam quaerebant eum Iudaei interficere,* quoniam mundus eum odio habebat: *Patientia... vobis necessaria est;*[32] *In patientia vestra possidebitis animas vestras;*[33] *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam.*[34] *Me odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo... quod opera eius mala sunt.* Sic odio habuit Prophetas, quia veritatem odit.

Adhuc, fugienda sunt prudenter salutis pericula, nam Christus

23) Cf. Iob 5, 7. 24) Gn 2, 15. 25) Io 16, 28. 26) Ibid. 7, 33. Vulg.: *Qui me misit.* 27) Ioel 2, 12. 28) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 29) 2 Cor 5, 6. Vulg.: *Dum sumus in corpore,* etc. 30) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem,* etc. 31) Cf. Io 7, 2; Lv 23, 32 sqq. 32) Hebr 10, 36. 33) Lc 21, 19. 34) Mt 5, 10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur,* etc.

nolebat *in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere,* nam: *Qui amat periculum, peribit in illo.* [35]

et pericula salutis vitanda;

Praeterea, docet Christus hodie non esse audienda mundanorum hominum consilia, quia vana sunt. Ecce quale consilium dant hodie Christo fratres eius, idest consanguinei et cognati: *Transi hinc et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis. Nemo enim in occulto quicquam facit et quaerit ipse in palam esse. Si haec facis, manifesta teipsum mundo.* [36] Consulunt Christo ut mundanam quaerat gloriam et honorem humanasque laudes. Sed: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum . . . sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.* [37] Videbatur consilium bonum, quasi desiderarent gloriam Christi, sed erat venenum mellitum, hortabantur enim ut ascenderet in Iudaeam, ubi *Iudaei quaerebant eum interficere,* quo absque vitae periculo ascendere humano more minime potuisset.[38] Sic sunt omnia mundi consilia plena mille periculis propriae salutis. Consulit enim mundus ad quaerendam mundanam felicitatem, honores, gloriam, humanas laudes, divitias; sed haec plena periculis sunt et *mergunt hominem in interitum.* [39]

consilia mundanorum hominum spernenda, quae plena sunt periculis propriae salutis,

Sprevit Christus huiuscemodi consilium et respondit: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit.* Fervet, inquit, odio mundus contra me, ideo non est opportunum tempus ut Ierosolymam ego ascendam modo; vos autem potestis ascendere cum magis libuerit, absque ullo periculo, quia *mundus non potest odisse vos,* cum sitis eiusdem farinae. Igitur *vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam* modo *ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Docet igitur Christus quod bona etiam opera suo facienda sunt tempore et non ad vanam gloriam captandam, hinc ascendit postea Christus ad diem festum, at *non manifeste, sed quasi in occulto,* quia ascendit non ad suam, sed ad Dei gloriam.

et bona opera facienda non ad vanam gloriam propriam, sed ad Dei honorem;

Docet etiam Christus quod fugiendum est consortium mundanorum etiam in bonis operibus, ideo noluit Christus ad diem festum ascendere una cum fratribus suis, sed post eos ascendit. Si enim cum

in ipsis quoque bonis operibus consortium mundanorum hominum fugiendum

35) Eccli 3, 27. Vulg.: *In illo peribit.* 36) Io 7, 3-4. Vulg.: *Nemo quippe in occulto quid facit,* etc. 37) Ps 1, 1-2. 38) Ms.: *Potuissent.* 39) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Mergunt homines in interitum.*

mundano homine pergas ad ecclesiam sive ad audiendum Dei verbum, sive ad orandum, erit vinum tuum mixtum aqua, nam: *Qui... de terra est de terra loquitur.* [40] *Ex abundantia... cordis os loquitur;* [41] *In multiloquio* autem *non deest peccatum.* [42]

et parvipendenda eorum iudicia.

Tandem docet Christus parvipendenda esse hominum mundanorum iudicia, siquidem *murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant: Quia bonus est; alii autem...: Non, sed seducit turbas;* [43] eratque Christus sicut manna, bonis enim Hebraeis cibus suavissimus erat, malis autem fastidio et nauseae erat; [44] sicut nubis columna Hebraeis lucida, Aegyptiis obscura; [45] sicut sol in Aegypto clarum efficiebat diem Hebraeis, sed Aegyptiis obscurissimam noctem; [46] sicut Moyses Hebraeis erat sanctus Dei propheta, Aegyptiis vero magus et malarum artium magister.[47] Sic Christus videbatur his quidem bonus, illis vero malus. At ipse audiens mundana haec iudicia parvipendebat, quia, vana cum sint, nihili facienda sunt. Si enim bonus fueris, nil tibi nocebit mala de te mundi opinio, neque efficiet ut malus sis; et si malus fueris, nihil proderit bona opinio, nec bona opinione melior eris, sed: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* [48]

Has Christi virtutes ante oculos habere semper oportet ut eas imitemur.

Ascendit Christus *ad diem festum... sed quasi in occulto,* quia sic docuit orandum quidem, sed in secreto, non in palam ut videamur ab hominibus [49] honoris et vanae gloriae captandae causa. O felices, qui has Christi virtutes imitantur vitamque Christi ante oculos habent, in qua tanquam in speculo propriam semper vitam contemplentur!

Sicut Christus omnia ordinatissime egit tempore a Patre praefinito.

IV. Specialissimum tamen est quod hodie de Christo legimus: *Tempus meum nondum advenit... tempus meum nondum impletum est.* In mundi creatione ipsemet Deus temporis rationem habuit, dum non uno momento, sed sex diebus opus mundi complevit. [50] S a p i e n s ait: *Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole.* [51] Est Christus sicut sol, qui omnia suo tempore agit: mane, meridiem, vesperum, hiemem, ver, aestatem, autumnum, hebdomadas,

40) Io 3, 31. 41) Mt 12, 34; Lc 6, 45. 42) Prv 10, 19. Vulg.: *Non deerit peccatum.* 43) Io 7, 12. Vulg.: *Erat in turba de eo,* etc. 44) Cf. Nm 21, 5. 45) Cf. Ex 14, 19-20. 46) Cf. ibid. 10, 21-23. 47) Cf. ibid. 7, 10-12; Nm 20-22; 8, 6-7. 48) 2 Cor 1, 12. 49) Cf. Mt 6, 6. 50) Cf. Gn 1, 1 sqq. 51) Eccle 3, 1. Vulg.: *Universa sub coelo.*

menses et annos. Sic, inquam, Christus, *Sol iustitiae*, [52] omnia fecit tempore suo: venit in mundum tempore praefinito a Patre; sic omnia opera sua agebat tempore praefinito a Patre. Erat Christus veluti horologium iustum, quod nonnisi tempore suo pulsat horas; sic Christus; sicut etiam natura omnia agit tempore suo. Unum est quod legimus egisse Christum extra suum tempus, nam quaesivit ficus in ficulnea cum tempus ficuum non esset. [53] Sed illud mysterium fuit. Hoc igitur, fratres, studium nostrum sit, ut omnia opera nostra tempore suo agamus. Tempus autem praesentis vitae est tempus seminandi in lacrimis cum Christo, ut postea cum eo in gaudio metamus.[54]

sic nos tempore huius vitae aeternitati operari debemus.

Videndum tamen est quid seminemus, nam: *Qui seminat in carne*, [55] etc. Aliqui seminant terram, alii aerem avaritiae et ambitioni operam dantes.

III. ALIA HOMILIA

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei, etc. [1]

I. Odio habebatur Christus a Iudaeis, sicut sanctus Ioseph a fratribus suis, eo quod odio habens eorum vitia accusabat eos ad patrem. [2] In Iudaea autem et Galilaea forte mysterium synagogae Iudaeorum et Ecclesiae Gentium designatur. Nam legimus *Galilaeam gentium* apud Isaiam: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium. Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* [3] Secundum Hebraicam autem Veritatem interpretari possumus: Primo tempore vilis fuit terra Zabulon et terra Nephthali, et novissime honorata fuit via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium. Sic vere Christus, relicta Iudaea, honorare voluit Galilaeam Gentium: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius;* [4] nam de Ga-

Odio habetur Christus in Iudaea, non in Galilaea;

hoc autem mysterium est, Iudaea enim synagogam figurabat, quam Christus reprobavit,

52) Mal 4, 2. 53) Cf. Mc 11, 13. 54) Cf. Ps 125, 6. 55) Gal 6, 8.

1) Io 7, 1. 2) Cf. Gn 37, 2-4. 3) 9, 1-2. Vulg.: *Qui ambulabat in tenebris*, etc. 4) Mt 21, 43.

lilaeis legimus quod exceperunt Christum cum honore, videntes signa quae fecerat in Ierusalem;[5] sed *quotquot . . . receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*[6]

Galilaea vero Ecclesiam Gentium, quam Christus elegit et sibi acquisivit Apostolorum praedicatione.

Erat autem Galilaea Gentium populus habitans in tenebris infidelitatis, sed eis Christus tanquam *Sol iustitiae*[7] effulsit; erat sub potestate diaboli, sed Christus diabolum vicit, hinc sequitur Vates: *Multiplicasti gentem, sed non magnificasti laetitiam; laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda . . . Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.*[8] Erat nanque populus Gentium innumerabilis, sed magnus secundum carnem, non secundum spiritum. Christus tamen, diabolo superato per Apostolos praedicando Gentibus Evangelium, acquisivit sibi Gentium Galilaeam. Hinc ait: *Laetabuntur* Apostoli sicut messores et sicut victores: messores gentium: *Messis quidem multa,*[9] et victores daemonum: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*[10]

qui divina utique virtute, non humana potentia universum mundum converterunt.

Sed quomodo vicerunt daemones? Utique sicut Gedeon cum trecentis viris tantum fudit innumerabilem exercitum Madianitarum, non armis sed tubis et lampadibus, lagenis confractis.[11] Hinc meminit Propheta victoriae Madian. Voluit Deus ut Gedeon cum trecentis tantum viris inermibus funderet innumerabilem ac potentissimum exercitum, ut victoria illa non humanae, sed divinae potentiae ascriberetur. Sic per Apostolos et discipulos Christi voluit Deus universum mundum convertere, ut manifeste cognosceretur quod *haec mutatio* sit *dexterae excelsi,*[12] et non humanae sed divinae tribueretur virtuti.

Passio Christi profutura erat non Iudaeis, sed Gentilibus,

II. Ambulabat per Galilaeam et nolebat per Iudaeam ambulare. Erat Galilaea ad aquilonarem partem Iudaeae. Iussit autem Deus ut sacerdos magnus, si agnum offerret in sacrificium, offerret illum ad latus aquilonare altaris, in signum quod Christi passio profutura erat

5) Cf. Io 4, 45. 6) Ibid. 1, 12. 7) Mal 4, 2. 8) Is 9, 3-4. Vulg.: *Et non magnificasti*, etc. Ms.: *Gentes.* 9) Mt 9, 37; Lc 10, 2. 10) Eph 6, 12. 11) Cf. Idc 7, 1 sqq. 12) Ps 76, 11.

non Iudaeis, sed Gentibus. Sic enim legimus *Levitico:* Agnum anniculum et *absque macula offeret immolabitque ad latus altaris quod respicit . . . aquilonem.* [13]

quod praefigurabatur in sacrificio ad latus aquilonare altaris,

Similiter legimus *Exodi* capite ultimo, quod Dei mandato ad latus australe tabernaculi Domini positum fuit aureum candelabrum, [14] cuius quidem lucernae per noctem lucebant, orto autem sole extinguebantur; [15] sed ad latus septentrionale posita fuit mensa panum propositionis, super quam perpetuo ordinati erant coram Domino duodecim panes propositionis. [16] At vero tum tabernaculi lumen illud et candelabrum tum mensa illa Christum praefigurabant. Candelabrum designabat Christum quatenus lux est mundi, [17] sed mensa panum quatenus vitam aeternam dat mundo. [18] Candelabrum autem per noctem tantum lucebat usque ad ortum solis, ad plagam australem: synagoga credidit in Christum usque ad Christi adventum, qui *Sol* est *iustitiae,* sed postquam Christus venit, extincta est eius fides: *Quaerebant eum Iudaei interficere.* At vero ad latus septentrionale semper manebant panes dantes homini vitam: in Galilaea Christus quinque panibus satiavit quinque millia hominum, [19] et vice alia septem panibus hominum quattuor millia. [20] In Galilaea Gentium, inquam, non in Iudaea miracula ista panum operatus est. In Iudaea autem legimus quod docebat in templo. [21] Sic fuit in Iudaea candelabrum luminis; sed in Galilaea mensa panum. Sed adveniente die, de quo Apostolus ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit,* [22] extinctum est candelabrum, occisus est in Iudaea Christus, cum tempus advenisset gratiae. *Quaerebant eum Iudaei interficere,* et utique interfecerunt, cum Christus interfici se permisit iuxta voluntatem Patris sui, pro salute humani generis.

in mensa panum propositionis et in candelabro ad plagam australem tabernaculi positis.

Docet Christus magnam habendam esse rationem temporis,

III. *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum . . . Tempus meum nondum impletum est.* [23] Est quidem tempus res summi momenti et veluti pretiosissima gemma. Beatus est

13) 1, 10-11. 14) Cf. vrr. 22-23. 15) Cf. ibid. 27, 20 sqq.; Lv 24, 2-3.
16) Cf. Ex 40, 20-21. 17) Cf. Io 8, 12; 9, 5; 12, 46. 18) Cf. ibid. 10, 28; 17, 2.
19) Cf. Mt 14, 15-21; Mc 6, 35-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-12. 20) Cf. Mt 15, 32 sqq.; Mc 8, 1-9.
21) Cf. Mt 21, 12-17. 23 sqq.; 22, 1-23, 1 sqq.; Mc 11, 15-18. 27 sqq.; 12, 1 sqq.; Lc 19, 45-21, 1 sqq.; Io 2, 13-21; 5, 14 sqq.; 7, 14 sqq.; 8, 2 sqq.; 10, 23-39. 22) Rom 13, 12.
23) Io 7, 6-8. Vulg.: *Meum tempus nondum est paratum.*

quoniam tempus res est summi momenti,

qui tempus bene novit expendere. Potuisset Deus uno momento, absque ullius temporis mora magnam hanc universi machinam, uti nunc est, perfectam omnibusque numeris absolutam creare, sed ad eam perfecte absolvendam unius hebdomadis tempus expendere voluit producendo, distinguendo, ornando ac perficiendo omnia elementa mundi, [24] ut doceret quod suo tempore facienda sunt omnia: Et cum *venit plenitudo temporis, misit... Filium suum* [25] in mundum. Et in coelo ad hoc posuit luminaria magna, ut *sint in signa et tempora et dies et annos* diemque ac noctem perpetuo ordine dividerent. [26] Sol igitur, quo in mundo hoc corporeo nihil est illustrius, nihil nobilius aut excellentius, propter tempus creatus est; quapropter magna habenda est ratio temporis, quoniam res summi momenti est. Satagendum est ergo ut tempus bene expendatur, ut omnia opera nostra temporibus suis faciamus. Paulus ait: *Dum tempus habemus operemur bonum;* [27] *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* [28]

et ipsa quoque bona opera suis temporibus facienda.

Sed etiam bona opera suis temporibus facienda sunt. Ascendere ad diem festum erat profecto opus bonum, sed Christus nonnisi opportuno tempore ad diem festum ascendere voluit. Haec radix est omnium malorum quae in mundo sunt, quod temporis nulla vel minima habetur ratio ut bene expendatur, et omne tempus videtur aptum ad quodvis opus faciendum: *Tempus... vestrum semper est paratum.*

Tempus imago quaedam Dei est, quia totum est in toto mundo et in qualibet mundi parte, sicut Deus.

IV. Tempus nostrum semper nobis paratum videtur ad omne opus; at non sic est: *Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole.* [29] Hic omnium maximus error in mundo est, quod tempus, pretiosissima res cum sit, nihili penditur. Est tempus imago quaedam Dei. Si quis scire vult quomodo Deus est ubique totus in universo mundo, naturam perspiciat temporis. Tempus enim totum est in toto mundo, et totum [29a] in qualibet parte mundi quatenus tempus; non enim hic dies est totus in hac tantum civitate aut provincia et non in aliis, sed totus hic dies in toto mundo est et in qualibet parte. Tempus igitur divina quaedam res est.

24) Cf. Gn 1, 1 sqq. 25) Gal 4, 4. 26) Gn 1, 14. 27) Gal 6, 10.
28) 2 Cor 6, 2. 29) Eccle 3, 1. Vulg.: *Universa sub coelo.* 29a) Ms.: *Totus.*

Nec est, ut aiunt peripatetici, mensura motus, [30] sed potius motus est mensura temporis; sic enim nos motu rotarum in horologiis mensuramus tempus, et si non esset motus coeli, esset quidem tempus, nam tempore Iosue stetit coelum immotum spatio unius diei, [31] quare fuit tempus sine motu coeli. At motus coeli per luminaria magna mensurat tempus; hinc ait M o y s e s : *et sint* luminaria magna *in signa et tempora et dies et annos.* Sunt signa temporum, distinguunt tempora dividendo dies et noctes. Ad hoc igitur movetur iugiter coelum, ad distinguendum tempus, ut diversis temporibus diversa opera fiant, unumquodque suo opportuniori tempore.

Tempus non est mensura motus, sed motus coeli est mensura temporis.

Habemus nos, o fratres, corpus et animam; habemus vitam corporalem, habemus et spiritualem communem cum Angelis, sicut illam communem cum animalibus. Habemus vitam temporalem et speramus aeternam. Multum procul dubio necesse est ut expendamus tempus pro corporali hac vita sustentanda. Sed hoc est quod a nobis requirit Deus, ne totum expendamus tempus pro animali vita. Hinc in lege unum requisivit hebdomadis diem et alia quaedam festa mandavit in quibus a servilibus et corporalibus operibus feriando, divino cultui operam daremus. [32] Sanctus patriarcha Iacob, cum servisset quattuordecim annis Labano, dixit, cum multos a Lia filios, pulcherrimum a pulcherrima Rachele filium suscepisset, [33] tunc ait: *Iustum est... ut aliquando provideam... domui meae.* [34] Lia et Rachel sunt vita activa, externa et corporalis, et vita contemplativa, spiritualis et divina. Gustato spiritu, desipit omnis caro; hoc suscepto ex Rachele Iosepho, [34a] tum Iacob voluit reverti in patriam suam propriamque domum: *Iustum est... ut aliquando provideam... domui meae.* Sic agendum nobis est, fratres. Si multum iam tempus expendimus serviendo carni et mundo, iustum est ut aliquam temporis partem expendamus serviendo Deo et spiritui in salutem animarum nostrarum.

Non totum tempus expendendum est pro vita animali, sed aliquod etiam pro spirituali expendere oportet.

V. *Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, scenopegia,* quod celebrabatur in memoriam peregrinationis in deserto, ad quod celebrandum omnes Iudaei ex praescripto legis tenebantur in Ierusalem

Odio habebatur Christus in Iudaea figura synagogae, quae ipsum occidit,

30) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 10, a. 4. 31) Cf. Ios 10, 12-13.
32) Cf. Lv 23, 1 sqq. 33) Cf. Gn 29, 18 sqq.; 30, 16-24. 34) Ibid. 30, 30.
34a) Ms.: *Hoc suscipere ex Rachele Iosephum.*

Domino praesentari.[35] *Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Duas provincias proponit nobis hodiernum Evangelium, in quarum altera Christus diligebatur, in altera odio habebatur: *Me odit* mundus;

honorabatur autem in Galilaea figura Ecclesiae Gentium, quae ipsum recepit,

in altera honorabatur: *Receperunt eum Galilaei*[36] cum honore, in altera mortalem persecutionem patiebatur. *Ambulabat... in Galilaeam, non... in Iudaeam.* Haec sunt mysteria Aegypti et terrae promissionis, Babylonis et Ierusalem, synagogae satanae[37] et Ecclesiae Christi. In synagoga Iudaeorum Christus persecutionem passus est et odio habitus est, crucifixus est; in Ecclesia Gentium receptus, honoratus et vera caritate dilectus. Haec est *Galilaea Gentium* quae prius vilis fuit et postea glorificata, quoniam in ea Iordanis est, sacrum flumen, sacramentum Baptismi, in quo homo declaratur filius Dei, templum Spiritus Sancti, civis coelestis Ierusalem, quae summa et infinita gloria est. Hic *populus* est *qui* prius *ambulabat* et habitabat *in tenebris* et umbra mortis, sed postea *vidit lucem magnam*, quoniam

ideo synagoga reiecta fuit et Ecclesia electa.

ambulabat Christus – lux infinita, *splendor* divinae *gloriae*[38] et *Sol iustitiae*, – per eam, relicto in tenebris hemisphaerio Iudaeae. Haec sunt duo hemisphaeria mystici mundi: Iudaea et Galilaea. Occidit Iudaeis *Sol iustitiae* Christus, cum ortus fuit Galilaeis: *Caecitas ex parte contingit in Israel, ut plenitudo gentium intraret.*[39]

Ecclesiae figura Galilaea erat quae perfectionem significat,

Per Galilaeam igitur, quae *Galilaea Gentium* dicitur, Ecclesia designatur, nec immerito sed magno mysterio. Galilaea c i r c u l a t i o, c i r c u l u s sive sphaera interpretatur, quae figura perfecta est. Ecclesia per rotas apud E z e c h i e l e m[40] designata est quandoquidem. Sicut mundum hunc corporalem Deus perfectissime omnibus numeris absolvit, ita sacrum mysticumque mundum Ecclesiae, quae veluti novus mundus est, novum coelum et nova terra,[41] nova creatura.[42] Designatur autem Ecclesia per rotam ob vitae perfectionem, quam Dominus in monte Galilaeae octo periodis absolvit ac

haec autem maxime in virtutibus theologalibus consistit,

veluti circulum perfectionis composuit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum ; beati mites . . . beati qui lugent . . . beati misericordes . . . beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam . . . beati*

35) Cf. Lv 23, 34 sqq. 36) Io 4, 45. Vulg.: *Exceperunt*, etc. 37) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 38) Hebr 1, 3. 39) Rom 11, 25. Vulg.: *Contigit... donec plenitudo*, etc. 40) Cf. 1, 15-21; 3, 13. 41) Cf. Is 65, 17; 66, 22; Apc 21, 1-5. 42) Cf. 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15.

mundo corde . . . beati pacifici, et tandem *beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [43] Sic circulum perfectionis composuit coniungens finem principio. Sic quicunque virtutibus hisce perfecti sunt, maxime vero fide viva, spe firma et caritate non ficta perfecti sunt, hi sunt veri Galilaei; qui autem tales non sunt, Iudaei sunt. Omnis homo vel iudaeus vel galilaeus est, quoniam inter gratiam et peccatum non datur medium. Si in gratia est, galilaeus est, Christum diligit et honorat; si autem in peccatis vivit, iudaeus est, Christum odit et persequitur.

idest in fide viva, in spe firma et in vera caritate.

Dices: Non odi Christum, credo in eum, diligo, veneror et honoro. Bene, ergo galilaeus es. Sed si in peccatis vivis, Christum odisti. In Divinis Scripturis parvus amor modicusque respectu maioris odium dicitur: Lia contempta dicitur et odio habita a Iacob respectu Rachelis; [44] sic statuitur in lege de filiis duarum uxorum, dilectae et odio habitae, [45] idest minus dilectae, nam quam vere oderat vir dimittebat dando libellum repudii, [46] sed odio habita dicitur minus dilecta. Sic Christus ait: Qui *non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam* [47] propter me, *non est me dignus.* Declarat alibi: Qui diligit aliquid plus quam me, *non est me dignus.* [48] Sic intelligendus est locus ille apud M a l a c h i a m : *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* [49] idest: multo magis dilexi Iacob quam Esau multoque maiora beneficia ei contuli quam Esau.

Qui aliquid amat plusquam Christum, Christum odit, qui ergo in peccatis vivit, odit Christum.

Nunc vide, frater, si aliquid supra Christum diligas. Tunc enim Christum odisti, imo et crucifixisti: *Rursus Filium Dei crucifigentes . . . et ostentui habentes* – [50] nam omne peccatum nihil aliud est nisi odium Christi, – cum magis creaturam aliquam amamus quam Christum, et creaturam Creatori praeferimus, mundum et carnem Deo. Hinc saepe discedit a nobis Christus et non vult nobiscum esse, quia interficere eum quaerimus.

imo Christum crucifigit.

Dicitur etiam Ecclesia Galilaea, idest c i r c u m v o l u t i o, ea ratione qua saepe dicta a Christo est *regnum coelorum.* [51] Coelum autem motu perpetuo circulariter fertur et nunquam quiescit. Hinc Chri-

Sancta Ecclesia in continuo motu sanctarum operationum consistit.

43) Mt 5, 3-10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. Ordine inverso affert hos vrr.
44) Cf. Gn 29, 31. 45) Cf. Dt 21, 15. 46) Cf. ibid. 24, 3. 47) Lc 14, 26.
48) Mt 10, 37. 49) 1, 2-3. Vulg.: *Dilexi Iacob*, etc. 50) Hebr 6, 6. Vulg.: *Rursum crucifigentes . . . Filium Dei*, etc. 51) Cf. Mt 4, 8. 17; 8, 11; 13, 19-52; 19, 14; 20, 1; 25, 1.

stus *ambulabat... in Galilaeam*, non quiescebat sicut sol in coelo: *Soli posuit tabernaculum in coelis.* [52] Sancta Ecclesia in continuo motu sanctarum operationum consistit.

Ostendit Dominus prudenter declinandam esse persecutionem tum temporalem tum spiritualem.

VI. *Ambulabat Iesus in Galilaeam, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Ostendit exemplo suo Dominus quod prudenter sunt declinanda pericula, dandus est locus irae; [53] hinc in lege erant civitates refugii; [54] sic Moyses, [55] David, [56] Elias, [57] Iacob [58] fugerunt persecutiones. Est autem duplex persecutio: alia quidem corporalis a visibilibus inimicis, alia spiritualis ab invisibilibus; nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus* daemones, *contra spiritualia nequitiae ;* [59] sic Adam tentatus fuit a satana in paradiso, [60] Iob in mundo, [61] Christus in deserto. [62] Utraque persecutio prudenter declinanda est.

Persecutiones malae non sunt, quia probant veram virtutem,

Voluit autem Dominus persecutionem pati tum ab hominibus tum a daemonibus, ut sciremus quod non sunt malae tribulationes, imo ait: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* [63] Et Paulus *Romanis*: *Gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* [64] Necesse est ut in fornace probetur aurum et adamas sub incude et malleo, ne sit adulterinus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae.* [65] In mari huius mundi, in quo ad portum salutis navigandum nobis est velis et remis, adversitas ventus secundus est, prosperitas contrarius, ut patet in Lazaro et epulone. [66]

imo utiles sunt, quia per illas iusti purgantur, illuminantur, perficiuntur

Sunt tribulationes utiles iustis, quoniam hi sunt instar uvarum et olivarum, ex quibus nonnisi sub prelo in torculari educitur vinum et oleum; sunt instar lapidum, qui multis tunsionibus expoliuntur. Tribulationibus iusti purgantur, illuminantur, perficiuntur, ablac-

52) Ps 18 (hebr. 19), 6. 53) Cf. Rom 12, 19. 54) Cf. Nm 35, 10-15; Dt 19, 2-3; Ios 20, 1 sqq. 55) Cf. Ex 2, 15; Nm 16, 43. 56) Cf. 1 Rg 19, 9-20, 1 sqq. 57) Cf. 3 Rg 19, 3 sqq. 58) Cf. Gn 27, 41-45; 28, 5. 59) Eph 6, 12. 60) Cf. Gn 3, 1-6. 61) Cf. Iob 1, 11-2, 1-8. 62) Cf. Mt 4, 1-10; Mc 1, 13; Lc 4, 1-12. 63) Iac 1, 2-4. 64) 5, 3-4. 65) Iac 1, 12. 66) Cf. Lc 16, 19 sqq.

tantur a mundo, ad Deum propius accedunt affectu, sicut Ioab semel et bis vocatus ab Absalom ad eum ire contempsit, quare iussit ille servis suis ut segetes Ioab comburerent;[67] quo facto, statim ad eum abiit. Apostoli, dormiente Christo in navi, orta tempestate, ad Dominum excitandum accessere: *Domine, salva nos, perimus!*[68] Tranquillo mari et secunda fortuna dormit Dominus in cordibus nostris per torporem spiritus; sed in tribulatione excitatur.

et ad Deum propius accedunt;

Peccatoribus etiam utiles sunt; patet in Manasse,[69] in Nabuchodonosor,[70] in Pharaone, qui in prosperitate dicebat: *Quis est Deus ut obediam voci eius?*[71] sed in tribulatione humiliter rogabat Moysen et Aaron ut Deum orarent.[72] Etiam peccatores in tribulationibus abstinent a multis peccatis et, si puniuntur in hoc saeculo, etiam si damnentur postea, ut Pharao,[73] minus punientur in inferno, nam Deus non iudicat bis in idipsum.[74] Quare opus misericordiae est ut puniantur in hoc mundo: Qui percussit *Pharaonem et virtutem*, idest exercitum *eius in mari Rubro, quoniam in aeternum misericordia eius.*[75]

peccatores etiam, dum in hac vita tribulantur, a peccatis abstinent et minus puniuntur in futura.

IV. ALIA HOMILIA

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere, etc.[1]

I. Cum mortale odium mortalemque persecutionem pateretur Christus a Iudaeis, patienter fert tam crudelem persecutionem dans locum irae et furori.[2] *Quaerebant eum Iudaei interficere*: qua de causa? *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius?*[3] Cum in spiritu praevidisset Regius Vates mortalem hanc Iudaeorum in Christum persecutionem, non potuit non mirari et obstupescere, cum ex divina revelatione

Hodiernam Iudaeorum persecutionem contra Christum praevidit Regius Vates;

67) Cf. 2 Rg 14, 29-30. 68) Mt 8, 25. 69) Cf. 2 Par 33, 1-16. 70) Cf. Dn 4, 28 sqq. 71) Ex 5, 2. Vulg.: *Quis est Dominus ut audiam vocem eius?* 72) Cf. ibid. 8, 8. 25-28; 9, 27-30; 10, 16-17; 12, 31. 73) Cf. ibid. 14, 23 sqq. 74) Axioma theologicum deductum a Nh 1, 9 ex Translat. Septuaginta, de quo cf. L. Ferraris *Prompta Bibliotheca*, sub voce: *Forus.* 75) Ps 135 (hebr. 136), 15.

1) Io 7, 1. 2) Cf. Rom 12, 19. 3) Ps 2, 1-2.

cognovisset magnam ac superhumanam Christi sanctitatem, quam in *primo Psalmo* cecinit: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* qui nullum vel minimum peccatum admisit, *sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte; et erit tanquam lignum,* etc.[4] Sic Christum describit virum optimum omni virtute omnique sanctitate praeditum. Hinc cum, post acceptam revelationem divinae sanctitatis Christi, revelata ei fuisset passio et mortalis persecutio ipsius Christi, magnum odium hominum contra Christum admirans et obstupens ait: *Quare fremuerunt gentes?* Virtus, inquit, bonitas, sanctitas est obiectum amoris; obiectum odii non est nisi malum. In Christo nullum est malum, omne reperitur bonum. Quare ergo odio habetur? Cur patitur mortalem persecutionem? *Quaerebant eum Iudaei interficere; Me* mundus *odit.*[5] Hoc autem etiam ipsi Christo mirum quodammodo visum est, cum in cruce ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*[6] Quam ob causam permisisti me talem ac tantam pati a Iudaeis persecutionem?

describit enim Christum omni sanctitate praeditum,

et maxime miratur tantam virtutem obiectum esse mortalis odii.

Et vere mirandum est, nam Deus diligit Christum super omnia; hoc testatus est ipsemet in Iordane: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui;*[7] hoc ipsum in monte sancto, in die transfigurationis testatus fuit.[8] Diligit eum super omnia tanquam unicum filium et potest omne quod vult: *Non est impossibile apud Deum omne verbum.*[9] Novit etiam omnia, etiam secreta et arcana humanorum cordium. Cur ergo Christum non defendit? Cur talem tantamque persecutionem permisit? *Quaerebant eum Iudaei interficere.* Si vel non potuisset aut nescisset aut minime eum dilexisset, mirum non esset; sed potuit, scivit, dilexit, benevolentia summa eum prosecutus est, et permisit ei talem tantamque persecutionem, passionem et mortem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quare fremuerunt gentes?*

Hoc revera mirabile est Deum, qui Christum super omnia dilexit, permisisse ut talem tantamque persecutionem pateretur.

II. Mirantur multi quod Deus bonis permittat mala, malis autem det bona mundi huius, ut eis omnia pro voto succedant. Beatus Iob, de quo Divina Scriptura ait quod *erat vir . . . simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo,*[10] et de quo ipsemet Deus ad satanam

Multi mirantur Deum bonis mala permittere,

4) Vrr. 1-3. 5) Io 7, 7. 6) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 7) Mt 3, 17. 8) Ibid. 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 9) Lc 1, 37. Vulg.: *Non erit impossibile,* etc. 10) Iob 1, 1.

ait: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo?* [11] positus tamen in magna tribulatione non poterat non mirari impiorum prosperitatem: *Quare ... impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis? ... Domus illorum securae sunt et pacatae et non est virga Dei super illos.* [12] Regius Vates ait valde hac de re miratum fuisse: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns ... Quomodo scit Deus et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.* [13] Ieremias item ad Deum ait: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui ... inique agunt?* [14] Habacuc etiam hac de re conqueritur cum Deo dicens: *Mundi sunt oculi tui ne videas malum... respicere ad iniquitatem non potes: Quare respicis super iniqua agentes et taces, devorante impio iustiorem se, et facies homines sicut pisces maris et quasi reptile non habens principem?* [14a] Pisces maiores sine culpa minores devorant, piscatores omnes piscantur pisces quos possunt hamo, retibus, sagenis, tridentibus aliisque instrumentis, sine scrupulo conscientiae; num, inquit, sic impii absque peccato possunt iustos persequi, sicut lanius occidit oves et agnos? *Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis,* [15] idest ad macellum destinatae ut occidantur, et sine culpa utique occiduntur; num sic iusti ab impiis occidi possunt? [16]

malis autem bona concedere,

sicut Iob,

Regius Vates,

Ieremias et Habacuc;

11) Ibid. vr. 8. 12) Ibid. 21, 7-9. 13) Ps 72, 2-12. 14) 12, 1. 14a) 1, 13-14.
15) Ps 43, 22. 16) In margine haec adiecta fuerunt: « Non est nova quaestio quomodo, si mundus divina providentia regitur, boni mala patiuntur. Haec disputatio est inter Beatum Iob et amicos; illi enim iustum a Deo affligi impossibile putabant. Hanc quaestionem Gedeon Angelo movit dicens: *Si Dominus nobiscum est*, quomodo invenerunt nos mala ista? SENECA *ad Lucillum* scribit librum hoc argumento: quomodo, si mundus providentia regitur, multa bonis viris accidunt mala. Agnoscit autem ibi SENECA quod inter Deum et iustos amicitia et similitudo est, imo quod boni sunt filii Dei; sed Pater est, inquit, virtutum non lenis exactor. Docet autem quod iusto nil accidit mali, sed sicut mare vincit omnia flumina et in se convertit, sic bonus vir omnia vincit adversa suntque illi adversa tanquam excitamenta athletis, nam: Marcet sine adversario virtus. Docet quod Deus erga bonos viros non maternum, sed patrium habet affectum, cumque illorum sit amantissimus cupiatque quam optimos esse et excellentissimos, fortunam illis cum qua exerceantur assignat et quod si quam Deus capere potest voluptatem, uti nos in spectaculis, hoc dignum eo spectaculum est vir fortis cum mala fortuna compositus. Docet etiam non esse externa haec vera bona aut mala, sed ficta, vana; quod adversa non sunt bonis viris mala, sed pro ipsis sunt sicut medicamenta infirmis. Item quod adversitas hominem indicat magna virtute praeditum, alioquin non dignare-

sed Christus docet Deum duo tempora statuisse consolationis et afflictionis:

Sed si mirum visum est Sanctis quod Deus persecutiones et mala permittat iustis et electis, quanto magis quod talem tantamque permiserit Christo, unico, dilectissimo ac sanctissimo Filio suo, passionem et mortem? Respondet tamen Christus: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum... Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* [17] Statuit, inquit, Deus duo tempora, noctem et diem, pro duobus mundi hemisphaeriis; quando in hoc dies est, in alio nox est; quando autem ibi dies, hic nox. Non potest unum hemisphaerium habere perpetuum diem aut perpetuam noctem. Statuit tempus aestatis et hiemis; quando in uno hemisphaerio est hiems, in alio est aestas, et e contra. Ordinavit Deus in lege festivitates et vigilias, in quibus ante festivitates affligerent fideles animas suas ieiuniis, orationibus et poenitentia. [18] Instituit tum iustis tum iniustis tempora consolationis et afflictionis; sed sicut in hieme profunda dies quidem brevissimus est, nox autem longissima, in aestate autem media nox est brevissima, dies autem longissimus, ita reprobis dat Deus in praesenti saeculo consolationes breves, daturus electis consolationes aeternas in futuro saeculo. Ordinavit Deus ut electi faciant in hoc mundo vigiliam, ut in coelo possint celebrare festum.

in praesenti breves dat reprobis consolationes et electis passiones, daturus in futuro illis supplicia aeterna, his gaudium aeternum.

Disposuit Deus in hoc mundo tribulationes,

III. Voluisset quidem Deus ut homo felix viveret etiam in hoc saeculo, hinc *posuit eum in paradiso voluptatis;* [19] sed quis experimento cognovit noxiam esse homini carnis voluptatem, quoniam est peccatorum occasio, ut etiam in Saule, [20] Davide, [21] Salomone [22] et aliis patet,

tur eum fortuna, sicut nec strenuus gladiator dignatur cum inerte milite manus componere, et quod sicut imperator exercitus honorat ducem aut militem quem ad ardua opera mittit, sic Deus honorat quod affligit. Non cognoscitur virtus nisi in difficultate, gubernator navis in tempestate, miles in certamine; quod non est arbor fortis nisi in quam frequens ventus incursat. Docet etiam nec bona esse nec mala quae mundus appetit aut formidat, nam si bona essent, nonnisi bonis tribueret illa Deus, et si mala, nonnisi malis. Quod vera bona veraque mala virtutes animi sunt et vitia. Hinc boni viri externa contemnunt, adversa desiderant ad virtutis exercitium; quod qui falsis bonis circumdati felices videntur exterius, interius miseri sunt et sordidi, ad similitudinem parietum, qui extrinsecus culti sunt, ita ut non sit vera felicitas, sed crusta et quidem tenuis felicitatis. Hinc Deus quos amat probat, indurat, ad labores exercet; improbos autem quibus indulgere et parcere videtur, molles servat venturis malis. Nemo exceptus est a perpessione malorum. Quisquis dimissus videtur, damna sustinebit; dilatus enim est, non dimissus ».

17) Io 7, 6-8. Vulg.: *Ego autem non ascendo .... quia meum tempus,* etc.
18) Cf. Lv 23, 27-32.
19) Gn 2, 15.
20) Cf. 1 Rg 15, 1-9.
21) Cf. 2 Rg 11, 1-4.
22) Cf. 3 Rg 11, 1-9.

hinc voluit ut per desertum electi pergerent in terram promissionis:[23] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[24] Si enim mundum hunc mille miseriis et calamitatibus plenum tantopere diligimus, quid ageremus si paradisus esset deliciarum? Si populus Dei maximis tribulationibus afflictus in Aegypto a Pharaone et servis eius,[25] vix adduci potuit a Moyse ut inde egrederetur in terram promissionis, quid egisset si ibi cuncta prospera ei successissent? Nam in deserto recordati carnium et piscium fructuumque Aegypti, iterum ad durissimam illam servitutem reverti voluerunt.[26] Quandiu Iacob bene visus fuit in domo Laban, nunquam cogitavit ut in domum patris sui reverteretur; at male visus, tunc regredi cogitavit.[27] Loth cum ab Angelis cognovisset quod civitas disperdenda erat igneque coelesti comburenda, adhuc morabatur et exitum differebat, ita ut opus fuerit ut Angeli per manus eum apprehenderent et quasi vi eum inde extraherent,[28] quoniam civitas erat deliciis affluens. Quid si nescisset futuram tribulationem? Prosperitas mundana facit, inducit homines ut Dei obliviscantur. Ephraim et Manasses fratres sunt, o p u l e n t i a et o b l i v i o.[29]

quia voluptas occasio est peccatorum, et prosperitas mundana facile inducit homines ad mundi amorem et Dei oblivionem;

In tribulationibus facile recurrimus ad Deum; hinc tribulationibus Deus vult nos veluti ablactare a mundo, nam amaritudine ablactatur infans incipitque solido cibo uti. Abraham, cum ablactavit filium suum Isaac, convivium fecit, diem festum celebravit.[30] Tunc gaudet Deus, cum nos ablactatos videt a mundo; hinc nos vult gustare amaritudinem mundi et hanc ob causam voluit ut etiam Christus gustaret[31] amaritudines has: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam,*[32] ne possent iure conqueri fideles de tribulationibus a Deo immissis, videntes quod etiam unigenitus Filius Dei per viam tribulationum pervenit ad perpetuas gloriae consolationes.

tribulatio autem ab amore mundi avertit et ad Deum accedere compellit.

Sic voluit Christus vigiliam ante festum celebrare. Hinc invitatus a suis ad festum mundi noluit ire dicens: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum . . . Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum*

Propterea Deus amaritudines dat electis suis,

23) Cf. Ex 13, 17-18. 24) Act 14, 21. 25) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 5 sqq. 26) Cf. ibid. 16, 3; Nm 11, 4-6; 21, 5-6. 27) Cf. Gn 31, 1-17. 28) Cf. ibid. 19, 1 sqq. 29) Sic enim latine haec nomina interpretantur. 30) Cf. Gn 21, 7-8. 31) Ms.: *Gustare.* 32) Lc 24, 26.

et ne conqueri possint, voluit proprium Filium suum in hoc mundo pati, quia praesens tempus est poenitentiae, futurum autem felicitatis.

istum, quia tempus meum nondum impletum est. Quasi diceret quis: non possum celebrare Pascha priusquam finita sit quadragesima. Si catholicus ab haereticis invitaretur ut in die Palmarum aut in Parasceve ageret diem Paschae, diceret utique: Tempus paschae nondum advenit. Tempus vitae praesentis quadragesima est, tempus poenitentiae et afflictionis. Populus Dei, peracto itinere quadraginta annorum in deserto, transito Iordane, cum in terram promissionis ingressus fuisset, tunc celebravit pascha. [33]

Docet Christus dari non posse perpetuum gaudium in hoc mundo et in futuro.

Vide, homo, quid eligas: mundus prius agit festum temporale, ut postea cum epulone agat aeternam vigiliam; Christus vero vigiliam hic egit cum Lazaro mendico, nunc autem aeternum festum agit in coelo. Non datur in mundo perpetuus dies aut perpetua nox. Qui in nocte est diem expectat; qui autem in die, non potest nisi noctem expectare. Epulo in hoc mundo habuit diem et Lazarus noctem. Nunc autem e contra: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* [34] Vide, inquam, homo, quid eligas: festum mundi an vigiliam Christi. Nam cum ex animo Christus desideraret festum agere in coelo, voluit facere vigiliam in terra, unde invitatus ad festum mundi renuit. Si tu, o homo, vere ex animo desideras festum celebrare cum Christo in aeterna vita in coelo, cur invitatus ad mundi festum non renuis? cur acceptas? In terra et in coelo festum celebrare non poteris. Non potuit Christus, et tu poteris? *Christum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam,* quoniam sic Deus decreverat, et te nil pati oportebit ad consequendam gloriam paradisi? Cur putas oportuisse Christum pati?

Voluit Deus Christum multa mala pati in mundo, ut illius exemplo leviores nobis fierent tribulationes;

IV. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius;* [35] ergo propter nos passus est. Voluit Deus ut Christus multa mala pateretur in mundo, ut leviores essent nobis tribulationes, ut Christi exemplo dulcis fieret tribulationum et poenitentiae amaritudo, sicut amarissimae aquae Mara dulces factae fuerunt populo in deserto. [36] Existimas, homo, quod te magis quam Christum unicum Filium suum diliget Deus? Stulte, insane, amens,

33) Cf. Ios 5, 1-10. 34) Lc 16, 25. Vulg.: *Fili, recordare*, etc. 35) 1 Petr 2, 21.
36) Cf. Ex 15, 23-25.

quid cogitas? Si princeps proprio filio non parcit, cui parcet? Si, facto aliquo decreto inviolabili iure servando, nec filium unicum excipit, quem excipiet? Si vult ut etiam filium ad portam civitatis solvat censum et vectigal, quis a tali solutione liberum se poterit reputare?

Deus enim si pro Filio suo ita disposuit, ab hac lege servos non liberabit,

Rex Saul decretum fecit ne quisquam sub mortis interminatione in die certaminis quicquam gustaret, sed inimicos persequerentur omnes. Inventus fuit filius eius primogenitus Ionathas, qui nesciens patris decretum parum mellis gustavit, et decrevit severus rex ut moreretur. Tulit in eum mortis sententiam mortuusque fuisset, nisi eum populus liberasset de manibus regis. [37] Quid si quis alius decretum illud violasset? Si nec proprio filio suo parcere voluit, quomodo alienis pepercisset? Ita, inquam, si Deus Christo non pepercit, nec tibi parcet. Num existimas quod sine morte intrare poteris in paradisum et vitam perpetuam consequi? Non utique, quoniam sic Deus decrevit. Hinc nec Christo quidem licuit, sed ex Patris decreto mori eum oportuit. At sicut decrevit Deus ne quis, morte non intercedente, vitam consequatur aeternam, ita etiam de poenitentia decrevit et patientia in tribulationibus, unum est idemque decretum, ut in Christo patet. Nam oportuit eum non solum mori sed etiam multa pati: *Quaerebant eum Iudaei interficere... Me... odit* mundus, sicut Cain Abelum Deo dilectum. [38]

et sicut ad vitam futuram non transitur nisi per mortem, sic ad coelum non pervenitur nisi per poenitentiam.

V. Non tantum permisit persecutiones Deus dilecto Filio suo, sed semper in dies maiores, sicut Iobo prius quidem satanas a Deo permissus abstulit oves, armenta, camelos; postea filios, filias, domum; tandem ipsum pessimo ulcere vulneravit [39] ad probandam omni ex parte animi virtutem, ne calumniari posset diabolus virtutem Christi, sicut Iobum calumniatus fuit dicens: *Nunquid Iob frustra timet Deum?* [40] Mercenarius, inquit, est, mercedis intuitu Deum colit, sua interest ut magna cum prosperitate cumules. Non te diligit propter te, sed propter bona quae accipit a te. Hanc ob causam Deus multis tribulationibus probat tentatque suos in mundo hoc, ut manifeste constet virtutis vera soliditas; sic enim aurum in fornace probatur

Deus permittit electis suis semper maiores evenire tribulationes, ad probandam omni ex parte animi virtutem;

37) Cf. 1 Rg 14, 1 sqq. 38) Cf. Gn 4, 3-8. 39) Cf. Iob 1, 14-2, 1-10.
40) Ibid. 1, 9.

et sub malleo in incude; maioribusque tentationibus semper utitur, sicut Abrahamo iussit ut egrederetur de terra sua, sed magna praemia promisit;[41] postea, ut seipsum circumcideret et filios suos, quod maius est;[42] adhuc, ut ancillam uxorem cum filio eiceret a domo sua, quod sensui Abrahami valde displicuit;[43] tandem, ut unicum filium suum Isaac dilectissimum Deo in holocaustum offerret;[44] quo facto, ait: *Nunc cognovi quod timeas Dominum, eo quod non pepercisti unigenito tuo propter me.*[45]

vult enim tribulationibus iustorum peccata purgare, a futuris praeservare, ab amore mundi avertere, virtutem probare et merita augere;

Et quidem, quantum ex Sacris Litteris conicere possum, permittit Deus electis suis varias afflictiones vel ad purgationem delictorum admissorum, vel ad praeservationem futurorum quae admitti possunt rebus prospere succedentibus, sicut flagellavit Abimelech ne cum Sara adulterium admitteret,[46] vel ad ablactandos eos ab amore mundi, sicut Hebraeos in Aegypto afflixit,[47] vel ad probationem virtutis, sicut afflixit Abraham, Iob et alios, vel tandem ad augmentum meriti, sicut affligi permisit Sanctissimam Virginem,[48] Ioannem Baptistam,[49] Apostolos Spiritu Sancto plenos[50] innumerosque martyres ad dandas eis palmam coronamque martyrii.

Christum autem tanta pati permisit ad satisfactionem peccatorum nostrorum.

Christo autem permisit afflictiones non quidem ad purgationem suorum delictorum, nam *peccatum non fecit,*[50*] sed ad purgationem et satisfactionem nostrorum peccatorum: *Posuit... in eo iniquitatem omnium nostrum... Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum.*[51]

Tribulationes nostrae magnae nobis videntur, quia caritas nostra imperfecta est.

VI. Tribulationes quas patimur saepe nobis magnae videntur ob modicam imperfectamque caritatem et animi virtutem. Si Deo adhaereremus ut cum eo unus spiritus essemus,[51*] vix sentiremus tribulationes. Cum sol nobis proximus est supra caput nostrum, corpus nullam vel minimam facit umbram, sed cum longe est in oriente vel in occidente, mane aut sero, maximas facit umbras. Qui Deo coniunctus est, spiritu totoque desiderio ad coelestem patriam anhelat, dicit utique quod *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram*

41) Cf. Gn 12, 1-3. 42) Cf. ibid. 17, 11. 43) Cf. ibid. 21, 9-14. 44) Cf. ibid. 22, 1-2. 45) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Quod times Deum et non pepercisti filio tuo unigenito,* etc. 46) Cf. ibid. 20, 1-3. 47) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 5 sqq. 48) Cf. Mt 2, 13-15; Lc 2, 34-35. 41-48; Io 19, 25-27. 49) Cf. Mt 11, 2; 14, 3-11; Mc 6, 17-28; Lc 3, 20. 50) Cf. Act 2, 1-4. 50*) 1 Petr 2, 22. 51) Is 53, 5-6. Ordine inverso affert hos vrr. 51*) Cf. 1 Cor 6, 17.

gloriam quae revelabitur in nobis. [52] Sicut Iacob pauci visi sunt dies servitutis pro Rachel, quia eam ardentissime amabat et maximi faciebat. [53]

Tribulationes, quas Christus et Sancti omnes passi sunt, ostendunt qualis et quanta sit gloria paradisi. Ager est, in quo absconditus est thesaurus, pretiosissima margarita. [54] Vendenda sunt omnia ut haec emantur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum... ut locuples fias.* [55] Et tamen Sancti, cum tanta passi sint [56] propter Deum, dicunt quod donata illis potius est quam vendita: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* Hinc Christus post resurrectionem suam dixit duobus discipulis: *Quae?* [57] Quaenam facta sunt in Ierusalem? quaenam passus est magister vester? quasi oblitus vel nihil significans esse omne [quod] passus fuerat ut intraret in gloriam suam.

Tribulationes Christi et Sanctorum ostendunt magnitudinem coelestis gloriae.

Non potuit Iacob Rachelem pulcherrimam habere uxorem, nisi post Liam, quae l a b o r interpretatur, non quidem admodum pulcra, sed valde fecunda. [58] Sic adversitas valde fecunda bonorum operum est, multas exercet virtutes: fidem, spem, caritatem, patientiam, humilitatem. Hinc Christus ait quod Deus ad instar agricolae omnem palmitem qui fert fructum purgat, *ut fructum plus afferat.* [59] Nocere videtur agricola viti dum eam putat, dum ramos vivos praecidit; sed iuvat, meliorem reddit. Hinc minitatur Deus synagogae apud I s a i a m relicturum se vineam domus Israel, ut non fodiatur neque putetur; [60] ita ut qui a Deo tribulationibus minime visitatur iure existimare possit se vineam esse a Deo derelictam, ut tandem igne succendatur.

Adversitas fecundissima est bonorum operum et multas exercet virtutes.

Hinc legimus omnes Sanctos multa passos tum in Veteri tum in Novo Testamento et multo maiora in Novo quam in Veteri, sicut multo graviora mala passi fuerunt Hebraei in Aegypto postquam descendit Deus Moysique in rubo apparuit pro ipsorum salute, quam antea paterentur. [61] Venit enim Christus in mundum ut Ecclesiae esset non sponsus deliciarum sed sanguinum, sicut Moyses. [62] Quicunque voluerit esse Beniamin, *filius dexterae*, valde dilectus patri,

Hinc omnes Sancti tum Veteris tum Novi Testamenti et Christus ipse multa passi sunt.

52) Rom 8, 18. 53) Cf. Gn 29, 15-30. 54) Cf. Mt 13, 44-46. 55) Apc 3, 18.
56) Ms.: *Sunt.* 57) Lc 24, 19. 58) Cf. Gn 29, 20 sqq. 59) Io 15, 2.
60) Cf. 5, 5-6. 61) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 5 sqq. 62) Cf. ibid. 4, 25.

necesse est ut prius sit Benoni, *filius doloris* matri; [63] in mundo, inquam, hoc, ut per desertum iter faciat quisque voluerit cum populo Dei in promissam terram ingredi lacte et melle fluentem. [64] Post luctam Iacob ab Angelo benedictus fuit; [65] Samson, occiso leone, favum mellis in ipsius ore invenit; [66] David, victo philisthaeo, in Ierusalem cum triumpho exceptus fuit. [67]

63) Gn 35, 18. 64) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 5; Lv 20, 24; Nm 13, 28; 16, 14.
65) Cf. Gn 32, 26-29. 66) Cf. Idc 14, 5-9. 67) Cf. 1 Rg 17, 48-51; 18, 6-7.

FERIA QUARTA DOMINICAE PASSIONIS

Festum encaeniorum significat renovationem spiritus.

I. In amoenissimo tempore veris floridi et ridentis, cum in arietem sol ingressus fuerit effundens super mundum hunc nostrum copiosiorem lucem vivacioremque radiis suis calorem, nostro hemisphaerio propior factus, renovatur universa natura, terra novis se induit herbis, arbores floribus frondibusque et animalia omnia novis fetibus in terra, mari, et aere mundum implent. Et ecce hodie in sacrosancto Evangelio festum nobis encaeniorum, idest renovationis, proponitur: *Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat.* [1] O utinam nos spiritu mentis renovemur expoliantes nos *veterem hominem* novumque induentes, *qui secundum Deum creatus est!* [2]

Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu, etc. [3]

Singulis annis celebrabatur festum dedicationis templi renovati post babylonicam captivitatem.

II. Cum [4] templum illud magnificentissimum a Salomone aedificatum [5] una cum civitate Ierusalem destructum igneque combustum ab impio rege Babylonis fuisset, [6] post babylonicam captivitatem a Zorobabele et Iesu sacerdote magno, Esdra item et Nehemia reaedificatum fuit ac Deo iterum dedicatum consecratumque, [7] unde renovati huius templi dedicatio per singulos annos magna cum festi-

1) Io 10, 22. 2) Eph 4, 22. 24. 3) Pericope huius diei Io 10, 22-38. Cf. Missale Rom. 4) In margine haec adiecta fuerunt: « In templi aedificio designatur hominis creatio, quoniam ad hoc creatus fuit homo, ut esset templum Dei per gratiam; in ruina templi lapsus hominis, in reaedificatione vero reparatio humani generis. Aedificavit templum Salomon ex lapidibus pretiosissimis et metallis optimis. Sic in homine Deus pretiosiora quaeque totius universi reposuit: *Magna erit gloria domus... novissimae.* Paulus *ad Romanos* ait quod per Christum multo maiora bona accepimus quam per Adam amisimus ». 5) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1-4, 1 sqq. 6) Cf. 4 Rg 25, 1-22; 2 Par 36, 17-20. 7) Cf. 2 Par 36, 22 sqq.; 1 Esr 1, 1 sqq.; 5, 2; 6, 14 sqq.

vitate celebrabatur. Hoc est: *Facta sunt encaenia in Ierosolymis.* Sicut autem Deus, antequam templum illud aedificaretur, dedit Davidi exemplar totius aedificii,[8] quemadmodum et Moysi exemplar tabernaculi dedit;[9] sic Ezechieli dedit exemplar templi reaedificandi et renovandi, ut simillimum esset priori aedificio.[10] Aggaeus autem vaticinatur et dicit: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.*[11]

Homo in Baptismo per gratiam Spiritus Sancti templum Dei constituitur, quia iustitiae originali restituitur;

Sed quis nesciat haec plena esse divinis mysteriis? *Templum... Dei sanctum est, quod estis vos;*[12] *Vos . . . estis templum Dei vivi.*[13] Quilibet homo iustus templum Dei est, in quo habitat Deus per fidem, spem, caritatem et gratiam Spiritus Sancti. In Baptismo fit homo templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, baptismali aqua suscepta, quae quoad meritum vitae aeternae aequivalet iustitiae originali. Adam in paradiso in iustitia creatus et gratia, positus fuit ibi ut templum esset Dei in terra.[14] Sed impius rex Babylonis, Lucifer, templum illud igne pravae concupiscentiae combussit atque destruxit per peccatum.[15] Sic homo in Baptismo per gratiam Spiritus Sancti templum Dei constituitur; templum vero partibus tribus distinctum: atrio, sancto et sancto sanctorum. Sunt enim in homine tria: sensus, ratio, et mens angelica atque divina, in qua imago et similitudo Dei[16] consistit. Sic tria sunt etiam genera virtutum, quas omnes gratia complectitur et secum affert. Sunt virtutes morales, quae externos hominis motus actionesque componunt; sunt cardinales, quae in ratione consistunt tanquam in propria sede; et tandem sunt theologicae virtutes, quae in mente, suprema hominis parte, reponuntur. Virtutes morales duo praecipue obeunt munera: reprimere inordinatos motus animalis sensus et a sordibus vitiorum indecentiumque morum vitam purgare. Hinc in prima tabernaculi templique divini parte duo praecipue erant: altare sacrificiorum et mare aeneum, vas magnum plenum aquis ad abluendas sordes. In secunda autem, qui sacratior locus erat solisque sacerdotibus patebat, erant lucernae ardentes et illuminantes in signum prudentiae, panis propositionis, sive facierum,[17]

gratia autem Spiritus Sancti secum affert omnes virtutes morales, cardinales et theologicas.

8) Cf. 2 Rg 7, 1-16; 1 Par 28, 1-19. 9) Cf. Ex 25, 1-27, 1 sqq. 10) Cf. Ez 40, 1 sqq. 11) 2, 10. Vulg.: *Plusquam primae.* 12) 1 Cor 3, 17. 13) 2 Cor 6, 16. 14) Cf. Gn 2, 7-15. 15) Cf. ibid. 3, 1-6. 16) Cf. ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 17) Cf. 3 Rg 7, 48. לֶחֶם הַפָּנִים enim, idest *panes propositionis*, significat etiam: *panes facierum*, a פָּנֶה. Cf. infra, Feria Quarta Palmarum, pag. 250, not. 3.

in signum iustitiae, et aureum altare incensi, quod designat cor humanum cum temperata concupiscibili et forti irascibili. Tandem in suprema parte erat arca, [18] quae nostram designat mentem, in qua reposita est fides, spes, caritas, sicut ibi volumen legis, [19] virga Moysi [20] et vas mannae. [21]

Sed per peccatum templum istud destruitur, renovatur autem per poenitentiam.

Sed per peccatum destruitur templum istud a rege Babylonis, renovatur autem per poenitentiam; aedificatur autem a Zorobabele, quod interpretatur a l i e n u s a c o n f u s i o n e, a Iesu magno sacerdote Dei, ab Esdra, quod est a u x i l i u m d i v i n u m, et a Nehemia, quod est c o n s o l a t i o d i v i n a, a Christo enim, qui verus est Zorobabel, ab omni confusione peccati alienus, verus Iesus, sacerdos magnus, qui *sempiternum habet sacerdotium,* [22] verus Esdras, auxiliator, et Nehemias, consolator divinus, reparatur domus ista. Ad hoc enim ipse in mundum venit, ad praedicandum poenitentiam, per quam reparatur domus haec Dei; a poenitentia enim Christus praedicationem suam exorsus fuit dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [23] Sic reparatur templum humani generis cum homo, dimissa vetustate peccati, in novam creaturam conversus dedicatur Deo.

Huius spiritualis renovationis figura fuit Enoch.

In Enoch, quod d e d i c a t i o interpretatur, proponit nobis Divina Scriptura humani generis reparationem. In homine enim, si non peccasset, duo futura erant in perpetuum: vitae sanctitas et incorrupta immortalitas. Ambo autem haec in Enoch videmus, quoniam Deo se totum dedicavit. Sic enim de eo legimus: *Ambulavit* Enoch *cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus.* [24] Non dicitur de eo sicut de omnibus aliis, quod *mortuus est,* [25] sed quod *tulit eum Deus* ad perpetuam vitae immortalitatem, sicut tulit Eliam. [26]

Novitate et renovatione Deus maxime delectatur; quod ostendit in natura.

O nos felices, fratres, si encaenia haec celebremus! Deus enim novitatis et renovationis summus amator est. Hinc per singulos annos renovat tempora, imo per singulos menses. Hinc enim mensis חדש [27] dicitur Hebraeis, quod est n o v u m, et ירח quod est l u n a,

18) Cf. Ex 40, 1-31; 3 Rg 6, 14-36; 7, 21 sqq. 19) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 20) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. *Virga Moysi* non, sed virga Aaron. Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 462, not. 69. 21) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 22) Hebr 7, 24. 23) Mt 4, 17. 24) Gn 5, 24. 25) Cf. ibid. vrr. 5 sqq. 26) Cf. 4 Rg 2, 11. 27) Ms.: חדש et: ירח.

In festis Antiquae Legis ab eo institutis.

quia per singulos menses renovatur luna et per consequens tempus, quod magna ex parte a motu ipsius lunae dependet. Deus autem iussit ut ob hanc renovationem Hebraei singulis quorumvis mensium calendis festum novilunii ac renovationis celebrarent;[28] per singulas hebdomadas iussit super mensam propositionis novos panes offerri;[29] in solemnitate paschali secundo die azymorum, novas spicas;[30] in solemnitate pentecostes novos panes ex novo frumento, et in praecipua maximaque solemnitate septimi mensis ascendentes in templum Domini tenebantur deferre primitias novarum frugum.[31] Sic novitate delectatur Deus. In diebus Noe videns inveteratum mundum, aquis diluvii vetustatem destruens renovavit illum;[32] in diebus Moysi videns populum suum inveteratum in Aegypto, voluit eum renovare novis signis atque portentis,[33] nova lege, nova religione et cultu,[34] novi tabernaculi constructione;[35] cum tabernaculum Moysi inveteratum fuisset, constructum fuit novum templum Salomonis;[36] istud ipsum vetus factum, destructum fuit et a fundamentis renovatum. Synagoga iam vetustate confecta, misit Deus Filium suum ad novam Ecclesiam aedificandam novamque legem, novum sacerdotium, novum cultum et religionem instituendam. Cum mundus iste inveteratus fuerit, destruet illum Deus in die iudicii et novum coelum novamque terram creabit.[37]

In multis etiam factis populi hebraici,

In institutione Ecclesiae, synagoga extincta, et in renovatione mundi, veteri destructo in die iudicii.

Hanc renovationem praedicat Divus Paulus.

Hinc P a u l u s spiritualem renovationem tantopere praedicat: *Renovamini . . . spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ;*[38] *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum . . . qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum.*[39] Haec est encaeniorum festivitas.

Triplicem templi dedicationem legimus:

III. *Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat.* Triplicem templi dedicationem legimus in Divinis Litteris: primam, cum templum iam a Salomone aedificatum dedicatum fuit Deo, quae quidem dedicatio facta fuit septimo mense, idest Septembri,

28) Cf. Nm 28, 11. 29) Cf. Lv 24, 5-8. 30) Cf. ibid. 23, 9-12. 31) Cf. ibid. vrr. 15 sqq. 32) Cf. Gn 7, 1 sqq. 33) Cf. Ex 3, 1-12, 1 sqq. 34) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 35) Cf. ibid. 25, 1 sqq. 36) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1 sqq. 37) Cf. 2 Petr 3, 13. 38) Eph 4, 23-24. 39) Col 3, 9-10.

ut legimus *3 Regum;*[40] altera, cum templum, post babylonicam captivitatem reaedificatum, iterum Deo dedicatum fuit tertia die mensis Adar,[41] qui quidem mensis Februarius est, Hebraeis duodecimus anni mensis;[42] dedicatio vero tertia fuit tempore Machabaeorum, cum templum a Gentibus profanatum esset, destructum fuit altare vetus novumque erectum ac dedicatum fuit vigesimo quinto die mensis Novembris.[43]

Salomonis, Esdrae et Machabaeorum.

Hodierna autem festivitas non erat dedicationis primi templi, sed secundi; nam illa celebrata fuit in principio autumni. Sed iuxta Chrysostomum,[44] Theophylactum[45] et Euthymium[46] solemnitas erat secundae dedicationis; quamvis Alcuinus[47] et Beda[48] probabiliter teneant festum fuisse tertiae dedicationis, quae in principio hiemis facta fuit, in ingressu capricorni; nam hanc solam quotannis celebrandam institutum legimus. Sed quaecunque fuerit, nos mysterium requirimus.

Sive secundae sive tertiae fuerit festum hodiernum, mysterium requirendum est.

Hiems erat. Utraque dedicatio secundi templi hieme facta fuit: secunda quidem in fine hiemis, tertia vero in principio. Sed quis nesciat quod hieme incipit renovari annus? Tunc enim sol, qui pater est generationis, incipit ad nos accedere, qui autumno longissime a nostro polo abscesserat. *Hiems erat,* magnum frigus; iam caritas refriguerat, quoniam *Sol iustitiae*[49] ab eorum cordibus longissime aberat; *et ambulabat Iesus,* renovator mundi, reparator humani generis, *ambulabat in templo, in porticu Salomonis,* in prima templi parte, in atrio. Templum illud mundum hunc designabat; tres partes illius templi tres partes huius mundi: terram, coelum et paradisum. Iesus, Deus verus, ambulabat, factus homo, in templo huius mundi, sed *in porticu Salomonis,* factus homo passibilis et mortalis pro reparatione humani generis. *Ambulabat:* sic Deus post Adami peccatum ambulabat *in paradiso ad auram post meridiem*[50] in humana specie; *ambulabat* sicut Ioseph errans in campo et fratres suos quaerens, qui *oderant eum.*[51] *Ambulabat in templo, in porticu Salomonis,* ut ostenderet se verum esse Salomonem sapientissimum regem, magni huius templi

Utraque dedicatio hieme facta fuit, hiems autem refrigerationem caritatis significat;

templum mundum figurat;

40) Cf. 8, 1 sqq. 41) Cf. 1 Esr 6, 15 sqq. 42) Cf. Est 3, 7; 8, 12; 9, 1; 13, 6; 16, 20. 43) Cf. 1 Mach 4, 42 sqq. 44) *In Ioannem,* hom. 61, (P. G. 59, 336). 45) *Enarrat. in Evang. Ioannis,* ibid. 124, 78. 46) *Comment. in Ioannem,* ibid. 129, 1331. 47) *Comment. in Ioannem,* (P. L. 100, 891). 48) *In S. Ioannis Evang.,* ibid. 92, 770. 49) Mal 4, 2. 50) Gn 3, 8. 51) Ibid. 37, 4-17.

Christus autem in porticu ambulans ostendit se esse conditorem et regem mundi;

Dei conditorem, naturae universae et auctorem et regem. Nam hodie ipsemet Christus se vitae aeternae auctorem esse ostendit: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea.* [52] Ostendit se regem esse omni creatura superiorem: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego* autem *et Pater unum sumus.* [53]

probat insuper hodie se esse verum Deum.

Nec tantum dicit, sed etiam probat se Deum verumque Filium Dei esse: *Nonne scriptum est in lege vestra: . . . Ego dixi : Dii estis?* [54] Nonne, inquit, omnes filii Israel ratione divini cultus et legis acceptae dicti sunt filii Dei, imo dii? Sed si Scriptura, quae falsa esse non potest, deos dixit homines *ad quos sermo Dei factus est*, quibus data est divina lex, quanto magis Messias, *quem Pater sanctificavit* omni sanctitate tum increata tum creata, *et misit in mundum* per humanitatis assumptionem, dici Filius Dei potest et debet? Quomodo ergo blasphemum me dicitis, *quia dixi : Filius Dei sum ? Si non facio opera* divina, *nolite credere* [55] me Filium Dei esse, at si facio opera, quae nonnisi divina virtute fieri possunt, cognoscite ab effectibus causam, a fructibus arborem; sic enim cognoscetis et credetis me esse in Patre et Patrem in me, [56] idest me et Patrem unum idemque esse, me Patri consubstantialem, coaeternum et coaequalem esse. Sic probat Christus se verum Salomonem esse, de quo scriptum est: *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium.* [57] *Ambulabat* autem *in templo,* in loco ubi erat altare sacrificiorum, quod Christi passionem designabat, unde hic hodie Christum Iudaei iterum lapidare voluerunt. [58]

Vetustas, a qua renovari nos oportet, est triplex peccatum: cordis, oris et operis.

IV. Sed videamus vetustatem peccati, a qua renovandi sumus. Est peccatum triplex: cordis, oris et manus. Peccatum cordis hodie Christus exprimit dicens: *Loquor vobis et non creditis . . . quia non estis ex ovibus meis :* [59] ecce cordis obstinata malitia et incredulitas, nam: *Corde . . . creditur ad iustitiam.* [60] Peccatum oris, mendacium et blasphemia est. Ecce mendacium: *Circumdederunt* Christum *Iudaei : In circuitu impii ambulant,* [61] et dixerunt ei: *Quousque animam nostram*

52) Io 10, 28. 53) Ibid. vrr. 29-30. 54) Ibid. vr. 34. 55) Ibid. vrr. 35-37. 56) Cf. ibid. vr. 38. 57) 1 Par 28, 6. Refert ex Hebr 1, 5. 58) Cf. Io 10, 32. 59) Ibid. vrr. 25-26. 60) Rom 10, 10. 61) Ps 11, 9.

tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam ?[62] O quot mendacia in paucissimis verbis! Fingunt se nimium anxios esse ex desiderio cognoscendae veritatis, causamque huius anxietatis et suspensionis Christum esse, quoniam non locutus sit palam, non dixerit manifeste se Christum esse; sed id non credere ob id quod non manifeste locutus sit; credidissent, si palam dixisset; se credituros, si manifeste dixerit. Quae omnia mendacia sunt et fraus. Volebant Christum capere in sermone,[63] ut si manifeste dixisset se Christum regem esse, accusarent eum. Dicunt etiam hodie Christum blasphemum, quod maxima blasphemia est. Tertio, peccatum manus et operis: *Sustulerunt . . . lapides . . . ut lapidarent eum,*[64] quoniam dixerat: *Ego et Pater unum sumus.* Quovis horum peccatorum destruitur templum Dei.

Ad renovationem autem requiruntur bona opera, bona verba et bonum cor,

Ad reaedificandum autem hoc templum requiruntur bona opera, bona verba et bonum cor: *Diligite . . . orate* et *benefacite;*[65] requiritur credere in Christum, audire vocem Christi, sequi Christum per imitationem. Sic enim reparatur templum istud quod in Adam corruit, quoad perpetuam vitam tum corporis tum animae, tum carnis tum spiritus: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea,* quoniam potentius Deo nil est in mundo: *Pater meus* qui *dedit mihi,* maior *omnibus est . . . Ego* autem *et Pater unum sumus ; Deus erat Verbum.*[66] Non caro, non mundus, non diabolus, non infernus cum omnibus daemonibus vi potuerunt vel unam tantum animam per peccatum rapere de manu Christi, quia homo cogi non potest, nonnisi volens peccare potest, invitus peccare non potest; gratia autem Dei nonnisi per peccatum amitti potest, sicut peccando amisit eam Adam, amisit eam David.[67] Destructum fuit templum Dei in eo, sed per poenitentiam iterum reparatum, reaedificatum et in pristinum statum redactum fuit.[68]

idest Christum sequi per imitationem et veram poenitentiam.

Saepe homo sanctius vivit post peccatum quam antea.

Saepe etiam accidit ut multo maiori cum sanctitate vivat homo post peccatum quam antea viveret, antequam peccaret. Sicut enim Iob diaboli opera ad nihilum pene redactus,[69] postea ex Dei gratia duplo quam antea ditior feliciorque factus fuit,[70] ita saepe peccatoribus accidit, ita Davidi, ita Petro, ita Paulo, ita Matthaeo, ita

62) Io 10, 24. 63) Cf. Mt 22, 15; Mc 12, 13; Lc 20, 20. 64) Io 10, 31. 65) Mt 5, 44. 66) Io 1, 1. 67) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 68) Cf. ibid. 12, 1-14. 69) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 70) Cf. ibid. 42, 10 sqq.

Mariae Magdalenae accidit. O felices, qui sic per poenitentiam renovantur! Hi celebrant festa encaeniorum et Christus in templo isto reaedificato praesens est *ambulatque in porticu Salomonis*, ubi Salomon, aedificato templo, oravit ad Deum. [71]

Ostenditur hodie Christus creator et reparator generis humani.

V. *Ambulabat... in templo, in porticu Salomonis* tanquam verus Salomon huius templi, non tantum aedificator, sed etiam reparator: humani generis non tantum creator est Christus, sed etiam reparator. Sapientissimum utique Salomonem Christus se hodie ostendit dum ait: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, ubi ostendit Christus se cognoscere secreta omnia divinae praedestinationis et praescientiae, qui liber est ille quem nulla creatura, nec in coelo quidem, aperire potuit: [72] *Ambulabat... in porticu Salomonis* et *circumdederunt... eum Iudaei et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Tentant Christum, sicut regina Saba tentavit Salomonem; [73] sed illa ex desiderio sciendi, isti autem ex odio et cupiditate nocendi. Hinc Christus videns corda eorum ait: *Loquor vobis*, dico vobis *et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium*, etc. [74]

Salomone sapientior et potentior:

Ambulabat... in porticu Salomonis. Templum illud materiale aedificavit quidem Salomon, sed non reparavit destructum, quoniam mortuus tunc erat; Christus autem, quoniam aeternus est, et conditor est et reparator huius templi. Ad aedificandum templum illud magnis opus fuit divitiarum thesauris, nec minoribus ad reparandum; hinc multo humilius reparatum post captivitatem fuit, unde nec comparari quidem cum illo poterat, quod totum ex auro et pretiosis lapidibus conditum fuit. [75] Istud autem magnis divitiis potentiae, sapientiae et bonitatis conditum fuit, nec minoribus misericordiae, iustitiae et caritatis reparatum. Hinc ait: *Maior erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* Ad hominem enim iustificandum non tantum infinita potentia, sapientia, et bonitas requiritur ad creandam gratiam, sed etiam misericordia, iustitia et caritas ad largiendam.

solus enim Deus potest hominem iustificare.

Reperitur igitur Christus omnipotens Deus et homo in solemnitate encaeniorum, quoniam ipse est auctor spiritualis renovationis. Deus

71) Cf. 3 Rg 8, 15-61. 72) Cf. Apc 5, 3. 73) Cf. 3 Rg 10, 1-10; 2 Par 9, 1-12.
74) Io 10, 25. 75) Cf. 3 Rg 6, 20-32; 2 Par 3, 1-4, 1 sqq.

Pater mundi creator per singulos annos renovat in mundo naturam, abolita vetustate corruptionis. Quis non videat in fine hiemis et veris initio universam naturam renovari? Deus autem Filius, Christus, per singulos annos in Ecclesia, quae sacer est mundus, renovat gratiam, deposita vetustate peccati vitiique; per sacramentalem enim Poenitentiam omnis fidelis renovatur et, accepta remissione peccatorum, sanctificatur. Hoc enim est renovari, sanctificari, unde Hebraeis inter חדש, quod est renovare, et קדש,[76] quod est sanctificare, magna est sympathia. Et Paulus fidem vivam, iustificantem et sanctificantem vocat *novam creaturam: In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura.*[77] Baptismum etiam vocat *sacramentum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[78] Poenitentia autem sacramentalis veluti alter Baptismus est. Hinc Regius Vates aiebat: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor;*[79] et iterum: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*[80] Et alio adhuc loco, cum dixisset de Deo: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum,* subiunxit: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua.*[81]

Sicut Deus in mundo renovat naturam, sic Christus in Ecclesia renovat gratiam sanctificando fideles per sacramentalem Poenitentiam.

VI. Vetustatem[82] autem, quam relinquere debemus, in Iudaeorum vitiis hodie videmus. Cernimus enim peccata cordis, oris et operis in eis. Novitatem autem ostendit Christus dicens: *Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me.*[83] *Oves* appellat Christus electos suos, nam in Divinis Scripturis per munda animalia designantur electi, per immunda vero reprobi. Munda animalia in gressibilibus erant quae simul ruminant et ungulas habent divisas, in natatilibus quae simul alas sive pinnulas habent et squamas, in volatilibus autem quae non sunt rapacia nec carnivora aut lucifuga et nocturna.[84] Haec est vitae novitas, ut anima avis sit, lucis veritatis amica, temperata et non rapax per vehemens desiderium mundanarum rerum; ut fugiat avaritiam

In Iudaeorum peccatis cernitur vetustas, quam relinquere oportet,

in symbolo vero mundorum animalium novitas induenda.

76) Ms.: חדש et: קדש. 77) Gal 6, 15. 78) Tit 3, 5. Vulg.: *Lavacrum regenerationis,* etc. 79) Ps 50, 9. *Domine* adicitur ex Liturgia Ecclesiae. 80) Ibid. vr. 12. 81) Ps 102, 3-5. 82) Ms.: *Vetustas.* 83) Io 10, 27. 84) Cf. Lv 11, 1 sqq.; Dt 14, 1-20.

et cupiditatem, quae *radix* est *omnium malorum;* [85] ut sit piscis habens squamas virtutum defendentium a malis et pinnulas, quae sunt veluti alae et branchia piscium, quibus natant; necesse est ut anima sit cauta ad fugiendum mala et prompta ad faciendum bona. Tandem ovis sit ruminans et findens ungulas: cibus noster est fides, ruminatio est meditatio; findere autem ungulas est dare *quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,* [86] corpori quae sua sunt et animae quae sua sunt, mundo quae sua sunt et Deo quae sunt sua. Sic inquit: *Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me,* pastorem bonum, qui *animam meam pono pro ovibus meis.* [87]

II. ALIA HOMILIA

Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis. [1]

His verbis ostenditur quisnam sit verus Messias et quinam veri christiani.

I. In sacrosancto hodierno Evangelio proponit nobis Ioannes petitionem a Iudaeis Christo propositam: *Si tu es Christus, dic nobis palam,* et responsionem a Christo factam Iudaeis: *Loquor vobis et non creditis; opera quae ego facio in nomine Patris mei,* etc. [2] In qua quidem responsione Christus ostendit se vere esse Messiam; nec tantum hoc, verum etiam personam atque naturam virtutemque et potestatem, nec non et opera ipsius Messiae declarat. Et praeter haec declarat etiam Dominus quinam sint veri christiani.

Christus ostenditur verus Messias ex operibus supernaturalibus.

Primo igitur Dominus ostendit se vere Messiam esse: *Dixi vobis et non creditis ; Opera quae ego facio... ipsa testimonium perhibent de me* quod sim vere Messias. Nam a fructibus cognoscitur arbor, a radiis sol, ab effectibus causa; sic, inquit, miracula, quae divina virtute operatus sum ad probandum me verum esse Messiam a Deo missum, ipsa satis superque probant et luce clarius ostendunt me esse Messiam. Sunt enim opera supernaturalia, non enim potest universa natura caecum illuminare nec mortuum suscitare; at ipsi vidistis me

85) 1 Tim 6, 10. 86) Lc 20, 25. 87) Io 10, 15.

1) Io 10, 27-28. 2) Ibid. vv. 24-25.

multos illuminasse caecos, [3] sanasse infirmos a languoribus omnibus,[4] mortuos etiam suscitasse, [5] quae plane omnia sunt opera supra naturae vires.

quae nec universa natura nec ipsi daemones operari possunt.

Quod si natura universa haec operari non potest, profecto nec daemones, siquidem hi mira quaedam operari possunt, sicut egerunt magi Pharaonis, [6] sed virtutibus naturalibus utuntur applicando activa passivis; non enim possunt daemones supra naturae vires aliquid sua virtute creare, sed rerum naturalium viribus utuntur et sua arte citius operantur quam natura secundum ordinarium cursum. Aliquando sensus praestigiis deludunt, ut vera videantur esse quae non sunt. At Christi miracula et supra naturam erant et vera erant. Non enim caeci, quos Christus illuminavit, illuminati videbantur et non erant, aut infirmi sanati et mortui suscitati, sed ipsi experiebantur se vere videre, sanos esse et vivere.

Prophetae miracula operabantur non ut probarent se deos esse, sed Prophetas Dei;

Quamvis autem Prophetas inveniamus qui divina virtute miracula operati sunt, cum tamen meri homines fuerint, non dii, sciendum est Prophetas non fecisse miracula ad probandum se deos esse, sed ad probandum se Dei prophetas esse. Sic Moyses, [7] sic Elias, [8] sic Eliseus. [9] Erant autem vere Prophetae Dei, ut miracula ipsa testabantur. At Christus operabatur miracula ad probandum se verum esse Messiam. Igitur, cum Deus nullo pacto possit esse testis falsitatis, Christus Dominus noster vere esse Messias credendus est, sicut Deus miraculis divinis testatus est. Hinc ait: *Opera quae ego facio . . . ipsa testimonium perhibent de me. Opera,* inquit, plurali numero, quia ad veritatem hanc comprobandam Christus innumerabilia operatus miracula fuit, non unum aut alterum, sive pauca quaedam, ut Prophetae, Moyses, Elias, Eliseus et alii, sed sine numero, quae divinam Christi virtutem ostendebant non solum ex opere operato, sed multo magis ex modo operandi, quia solo iussu et imperio, [10] nonnunquam solo tactu vestium, [11] solo nutu voluntatis, [12] non tantum praesens,

Christus autem ut probaret se verum esse Messiam innumerabilia operatus fuit miracula et multis modis,

3) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 4) Cf. Mt 8, 17; 9, 8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 5) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 6) Cf. Ex 7, 11-12. 22; 8, 7. 7) Cf. ibid. 7, 10. 20-21; 8, 5-6. 17; 9, 6. 10-11. 23-25; 10, 13-15. 22-23; 12, 29-30. 8) Cf. 3 Rg 17, 1 sqq.; 18, 36 sqq.; 4 Rg 1, 9-14; 2, 8. 9) Cf. 4 Rg 4, 1-7, 1 sqq. 10) Cf. Mt 8, 26; 9, 6-7; Mc 5, 41-42; Lc 6, 6-10; 7, 12-15; Io 5, 6-9; 11, 43-44. 11) Cf. Mt 9, 20-21; 14, 36; Lc 6, 19. 12) Cf. Mt 8, 2-3.

verum etiam absens, [13] et mediis contrariis, sicut illuminavit caecum.[14]

et quidem specialiter ad hoc probandum et testificandum.

Maxime vero omnium a fine miracula Christi probabant eum esse verum Messiam, quoniam ad hoc testificandum et comprobandum ea operabatur. Hinc in fine hodierni Evangelii ait Christus: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi ; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre.* [15]

Ostenduntur in hoc Evangelio actiones Christi.

II. Sed praeter opera miraculorum in sacrosancto hodierno Evangelio habemus alias adhuc Christi actiones vere divinas. Ait enim: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum.* [16] *Cognosco,* inquit, *oves* et do eis vitam aeternam. Solus Deus corda hominum novit et secreta mentium. Christus autem ait: *Cognosco oves meas* ab ovibus satanae: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eas.* [17] Cognosco omnes electos Dei et praedestinatos, omnes iustos, viros fide et caritate Dei praeditos, cognosco cognitione divinae praedestinationis et cognitione electionis, amicitiae, amoris benevolentiae, sicut Deus Moysi dixit: *Novi te ex nomine et invenisti gratiam coram me ;* [18] sicut etiam per A m o s dicit Israelitis: *Tantum cognovi vos ex omnibus cognationibus terrae,* [19] quia solum gentem israeliticam elegit. Nec tantum, inquit, *cognosco eas,* sed etiam *vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum.* Liberare ab aeterna morte et dare hominibus vitam sempiternam opus plane solius divinae est potestatis.

Christus bene novit oves suas cognitione praedestinationis, electionis, amoris et benevolentiae.

Ostenditur etiam potentia Christi

Non solum autem opera Christi in sacrosancto hodierno Evangelio ostenduntur, verum etiam et virtus et potestas Christi, de qua ait: *Et nemo rapiet eas quisquam de manu mea,* nam *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.* [20] Habeo, inquit, eandem virtutem eandemque potestatem qua Deus praeditus est, ideo sicut divina potentia maior est omni pote-

13) Cf. ibid. 8, 13; 15, 28; Lc 17, 14. 14) Cf. Io 9, 1-7. 15) Ibid. 10, 37-38.
16) Ibid. vrr. 27-28. 17) Ps 48, 15. Vulg.: *Depascet eos.* 18) Ex 33, 12.
19) 3, 2. Vulg.: *Tantummodo vos cognovi,* etc. 20) Io 10, 28-29. Vulg.: *Et non rapiet eas,* etc.

state creata, adeo ut Deo nil fortius et potentius sit, sic etiam nil fortius et potentius manu mea esse potest. Est Deus sicut primum ac supremum coelum quod, sicut maximum omnium est, sic omnium potentissimum rapitque sua virtute omnes alios inferiores coelos, et sicut sol in coelo maxima virtute praeditus est super omnes stellas, ita Deus super omnes creaturas; divina autem natura sicut omnium maxima est, ita et potentissima. Coelum maius est terra infinitis prope partibus, siquidem terra coelo comparata vix puncti magnitudinem habet; ex omnibus enim terrae partibus conspicitur integra coeli medietas et sex signa Zodiaci cernuntur, ac si terrae diameter nullius magnitudinis esset, sed quasi subtilissima pagina. At vero universum coelum comparatum infinitae Dei magnitudini puncto minimo profecto multo minus est, quoniam finiti ad infinitum nulla est proportio.[21] Sic igitur ait: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est*, quia *data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*[22]

prorsus divina et infinita.

Tandem ostendit personae Christi divinam naturam: *Ego et Pater unum sumus*,[23] hoc est una natura unaque essentia. Quod quidem intelligentes Iudaei lapidare eum voluerunt tanquam blasphemum: *Quia*, inquiunt, *tu homo cum sis facis teipsum Deum.*[24] At Christus divinitatem suam probat dicens: *Nonne scriptum est in lege vestra : . . . Ego dixi : Dii estis ? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?*[25] Si, inquit, homines Dei verbo et lege sanctificatos[26] lex et Scriptura Divina, quae falsum continere non potest, deos appellat, quanto magis Messias ipse, *quem Deus sanctificavit et misit in mundum*, verus cum sit Deus divinaque sanctitate ab aeterno praeditus, appellari absque blasphemia Deus potest? *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Ego, inquit, non tantum verbis dico me Deum esse, sed divinis etiam miraculis et operibus comprobo. Si verbis meis, quibus me Deum esse affirmo, fidem adhibere non vultis, adhibete operibus et miraculis, ut ex his *cognoscatis et credatis quia in me est Pater et ego in Patre*, hoc est quia *ego et Pater unum sumus*, una natura, una essentia, quamvis plures Personae.

Ostenditur tandem divina natura personae Christi.

21) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 12, a. 1, ad 2. 22) Mt 28, 18. 23) Io 10, 30. 24) Ibid. vr. 33. 25) Ibid. vrr. 34-36. 26) Ms.: *Sanctificati*.

III. Sic in sacrosancto hodierno Evangelio ostenditur esse, posse et operari ipsius Christi; quod sit Messias, quid sit Messias, quid possit Messias et quid operetur Messias; quod est verus Deus, divinam habens potestatem et divinam operationem, sed praecipue cognoscere et dare vitam aeternam electis. Ostenditur etiam esse, posse et operari fidelium Christi. Esse: *Oves meae ;* posse: *Vocem meam audiunt,* habent auditum bonum, cognoscunt auditu vocem meam: operari: *Et sequuntur me* per imitationem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* [27] *Exemplum . . . dedi vobis ut quemadmodum ego feci . . . ita et vos faciatis.* [28] Imitari perfecta Christi opera, nam *Dei perfecta sunt opera;* [29] Christus autem Deus est. Fecit Deus mundum circulari et sphaerica figura, quoniam haec perfectissima est omnium figurarum. Christi autem opera per rotas apud Ezechielem designantur ob perfectionem: Et erat *rota in medio rotae,* [30] quia actionum Christi quaedam erant internae et quaedam externae, sicut hodie ait: *Ego cognosco eas :* haec actio interna est; *et vitam aeternam do eis :* haec autem externa.

Sic in hodierno Evangelio ostenditur esse, posse et operari Christi et etiam fidelium electorum.

Opera fidelium perfecta esse debent, sicut opera Christi perfectissima fuerunt.

Ad faciendam autem circularem figuram circino opus est aperto, ita ut unus pes pro centro constituendo immobilis maneat, alter vero faciat coronam in gyro circa centrum; sic ad imitandum perfecta Christi opera duo necessaria sunt: bona voluntas, firma et stabilis in sancto proposito et bona operatio; opus est constantia et labore. Hoc est quod Paulus ait: *Deus est . . . qui operatur in vobis . . . velle et perficere pro bona voluntate.* [31] Hic est circinus nobis necessarius: velle et perficere. Hoc est quod hodie Christus dicit de ovibus suis: *Vocem meam audiunt et sequuntur me,* habent bonam voluntatem, voluntati meae in omnibus conformem, *et sequuntur me* per bona opera.

Ad imitandum opera Christi opus est bona voluntate et bona operatione.

IV. Quoniam vero opposita iuxta se posita magis elucescunt, [32] ostenditur etiam esse, posse et operari reproborum. Esse: *Non estis ex ovibus meis,* [33] sed ex ovibus infernalibus; non estis oves, sed lupi: *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos,* [34] ubi Christus reprobos appel-

Ostenditur etiam esse, posse et operari reproborum.

27) Mt 11, 29. 28) Io 13, 15. 29) Dt 32, 4. 30) 10, 10. 31) Phil 2, 13.
32) Axioma philosophicum, de quo cf. part. 2 huius *Quadragesimalis*, pag. 286, not. 3.
33) Io 10, 26. 34) Lc 10, 3. Vulg.: *Sicut agnos*, etc.

lavit *lupos*, quoniam filii sunt diaboli, qui lupus est infernalis. Posse: *Vos* autem *non creditis,*[35] hoc est: non potestis credere, sicut ipse Ioannes ait: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiae prophetae impleretur quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis et non intelligant corde et convertantur et sanem eos;*[36] et: *Quomodo... potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?*[37] Sic enim *non potest... arbor mala bonos fructus facere.*[38] Operari autem: *Circumdederunt* Christum, decipere voluerunt inique dicentes: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam;* et tandem lapidare voluerunt: *Sustulerunt... lapides Iudaei ut lapidarent eum.*[39] Primo *circumdederunt... eum,*[40] nam: *In circuitu impii ambulant.*[41] Circulus fit cum linea circa centrum protracta redit ad punctum unde incepit. Sic dixit Deus homini, post peccatum: *Pulvis es et in pulverem reverteris.*[42]

Iusti recta tendunt in coelum, peccatores semper circa terram versantur cogitatione, verbo et opere.

Iusti recta tendunt in coelum, peccatores semper circa terram versantur cogitatione, verbo et opere; quia etiam in peccato concepti natique sunt et in peccato moriuntur: *Vos de mundo hoc estis... de deorsum estis... in peccato vestro moriemini.*[43] Ambulant in circuitu, quoniam semper revertuntur ad idem, nunquam mutant vitam et mores, semper secundum carnem vivunt, quod fecerunt heri faciunt hodie. Iudaei ergo circumdederunt Christum ob impietatem, ne posset de medio eorum effugere, sicut Saul cum suo exercitu in modum coronae circumdedit montem, ubi manebat David, ne posset effugere,[44] faciunt circulum, quoniam perfecta eorum malitia erat: *Sapientes ut faciant malum, bene autem facere nesciunt,*[45] non possunt credere et lapidare volunt.

Christus hodie se pastorem appellat,

V. *Vos autem non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt et ego,* etc. His verbis Dominus se pastorem dicit, sicut fuit Iacob,[46] Moyses[47] et David,[48] nam paulo ante haec

35) Io 10, 26. 36) 12, 37-40. 37) Ibid. 5, 44. 38) Mt 7, 18. 39) Io 10, 31. 40) Ibid. vr. 24. 41) Ps 11, 9. 42) Gn 3, 19. 43) Io 8, 21-23. Ordine inverso affert hos vrr. 44) Cf. 1 Rg 23, 26. 45) Ier 4, 22. Vulg.: *Mala... nescierunt.* 46) Cf. Gn 37, 12; 47, 3. 47) Cf. Ex 3, 1. 48) Cf. 1 Rg 16, 11; 17, 34.

de quo Regius Vates vaticinatur *Psalmo 22.*

verba dixerat: *Ego sum pastor bonus.* [49] Pastor ille Christus est, de quo Regius Vates ait: *Dominus regit me,* secundum Hebraicam Veritatem: *Dominus pastor meus, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit. Deduxit me super semitam iustitiae propter nomen suum. Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum; et calix meus inebrians quam praeclarus est! Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae: Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* [50]

In eo *Psalmo* tria proponuntur consideranda circa divinam praedestinationem.

Quoniam vero vocat hic Christus oves suas Dei electos et praedestinatos, in divina quidem praedestinatione, quae liber est septem sigillis signatus in *Apocalypsi,* [51] liber scriptus intus et foris apud Ezechielem, [52] liber Dei in *Exodo,* ex quo delere noluit Moysen, [53] in divina, inquam, praedestinatione tria consideranda sunt: principium, media et finis. Principium est divina bonitas, finis divina gloria, medium divina gratia.

Principium praedestinationis est divina bonitas;

In *Psalmo* isto quoad principium dicitur: *Dominus pastor meus, pastor bonus;* voluit ab aeterno Deus pastor esse electorum suorum aeternaque pascua eis praeordinavit. Finis est: *Ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum; beati qui habitant in domo tua, Domine.* [54] Media vero sunt: *Nihil mihi deerit* ad salutem consequendam necessarium, *Super aquas refectionis educavit me, animam meam convertit.* Hoc fit specialiter in Baptismi sacramento, cuius aqua fit *fons aquae salientis in vitam aeternam;* [55] ibi enim, deleto originali peccato et si quod est aliud, convertitur anima ad Deum et datur Spiritus Sanctus. *Deduxit me super semitas iustitiae:* haec est divina lex, quae via iustitiae est, pro cuius observantia semper adest divinum auxilium ad superandos omnes inimicos salutis nostrae: *Si ambulavero in medio umbrae mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

medium divina gratia, quae datur in Baptismo et Poenitentia

49) Io 10, 11. 50) Ps 22 (hebr. 23), 1 sqq. Vulg.: *Super semitas iustitiae... in longitudinem dierum.* 51) Cf. 5, 1. In margine haec adiecta fuerunt: « Praedestinationis mysterium est sicut Seraph ab Isaia visus, habens opertum caput, opertos pedes, sed apertum pectus. Non potest scire homo an sit praedestinatus: ecce caput absconditum; nec minus an sit praescitus: ecce absconditi pedes; sed pectus Dei apertum ac revelatum est, Dei utique voluntas, Dei cor, Dei desiderium, Dei amor, quod Deus vult omnes homines salvos fieri ». 52) Cf. 2, 9. 53) Cf. 32, 32. 54) Ps 83, 5. 55) Io 4, 14.

Deinde, pro augmento gratiae, praeter eam quae datur in Baptismo vel in sacramento Poenitentiae, quae veluti alter Baptismus est et secunda tabula post Baptismum,[56] datur sacramentum Eucharistiae: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* De Poenitentiae quidem sacramento ait: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt;* in hoc enim Sacramento corrigitur anima et flagello linguae, qua confitetur propria peccata magna cum verecundia, veluti flagellatur et percutitur; sed *ipsa me consolata sunt,* quoniam tribuit remissionem peccatorum et gratiam Spiritus Sancti. Sed post hoc est sacramentum Eucharistiae, quod cibus est animae et panis dans vitam aeternam.[57] Hinc Ecclesia dicitur *locus pascuae;* extra Ecclesiam autem non est salus,[58] quoniam ipsa est arca Noe.[59] Hoc est: *In loco pascuae ibi me collocavit.* Hinc vera fides, quoniam Ecclesia *columna* est *et firmamentum veritatis;*[60] haec *domus Dei et porta coeli;*[61] hic sunt Sacramenta iustificantem et sanctificantem gratiam conferentia. — et augetur in Eucharistia.

Praeter gratiam autem antecedentem, qua Deus nos vocat ad veram fidem et collocat nos *in loco pascuae* absque nostris meritis, datur etiam gratia subsequens: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae.* — et duplex est: antecedens et subsequens;

Tandem, finis praedestinationis, quem Dominus in hodierno Evangelio posuit: *Vitam aeternam do eis,* ponitur a Regio Vate: *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* Finis beatitudo est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*[62] — finis tandem est divina gloria et aeterna beatitudo.

VI. Tria autem haec, quae in praedestinatione consideranda sunt, paucissimis verbis Christus expressit dicens: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.* Principium est: *Ego cognosco eas,* sicut pastor discernit oves a lupis, et etiam a capris et haedis: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[63] *Ego . . . pastor bonus . . . cognosco :* — Tria haec Christus expressit in hodierno Evangelio,

56) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 84, 6 c. 57) Cf. Io 6, 50-59. 58) Notum est axioma theologicum: extra Ecclesiam non esse salutem. Quo sensu vero accipiendum sit cf. H. Hurter *Compendium Theologiae Dogmaticae*, vol. 1, tract. 3, *De Ecclesia*, pag. 265-266. 59) Cf. Gn 7, 1 sqq. 60) 1 Tim 3, 15. 61) Gn 28, 17. 62) Ps 83, 5. 63) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.*

divina bonitas et sapientia principium sunt praedestinationis; media: *Vocem meam audiunt et sequuntur me;* finis: *Vitam aeternam do eis.*

sicut alibi expressit in sententia quam in die iudicii pro iustis laturum se dixit,

Haec tria alibi Christus sic expressit: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.*[64] Praedestinatio est aeterna regni coelestis praeparatio, quod paratum est vobis ab origine, ante mundi originem, antequam mundus esset. Sed a quo praeparatum est? A Patre meo, a paterna caritate Dei, non ex meritis, ex infinita Dei caritate et bonitate. Parat pater filio hereditatem, rex mox conceptum filium, antequam natus sit, instituit regni heredem. Cur, quaeso? Quid ille mereri potuit, antequam nasceretur?

claris verbis ostendens bonitatem divinam principium esse praedestinationis,

Sed a paterna caritate fit illa institutio, quia pater diligit filium, quia pater ipsius est; non diligeret autem nisi cognosceret; sed quia filium suum agnoscit et diligit, heredem regni instituit, modo tamen ne filius sit iniquus et ob scelera exheredari mereatur. Sic Deus ex sapientia et bonitate caritateque paterna auctor est divinae praedestinationis.

finem gloriam sempiternam,

Finis autem: Percipite regnum;[64a] *Et ibunt... iusti... in vitam aeternam.*[65] *Regnum* dicit et *vitam aeternam,* quoniam beatitudo consistit in vita immortali et gloria sempiterna, gloria quasi filiorum Dei. Media vero: *Venite, benedicti Patris mei,* venite iusti, benedictione et gratia Patris mei iustificati et sanctificati, *quia esurivi et dedistis mihi manducare;*[66] *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*[67] A natura ad gloriam transeundum per gratiam est, quae scala est per quam a terra per coelum ascenditur in paradisum; ab Aegypto per sacrum desertum filii Israel in terram promissionis pervenerunt;[68] sacerdos ab atrio per sanctum intrabat in sanctum sanctorum.[69] Media ad finem consequendum necessaria sunt: *Ibunt... iusti... in vitam aeternam,* iusti declinantes a malo et facientes bonum,[70] oves animalia innoxia et valde utilia ac fecunda, quae pastori obediunt ipsumque sequuntur.

medium gratiam sanctificantem.

VII. Dat hodie autem Christus signum ad cognoscendum quisnam sit praedestinatus et quis praescitus: *Loquor vobis et non creditis;*

64) Mt 25, 34. Vulg.: *A constitutione mundi.* 64a) Breviarium Rom. Com. Mm. *ad Matutinum,* respons. 8. 65) Mt 25, 46. 66) Ibid. vr. 35. Vulg.: *Esurivi enim,* etc. 67) Ibid. 5, 7. 68) Cf. Ex 13, 17-18; Ios 3, 1 sqq. 69) Cf. Ex 40, 16-30; 3 Rg 6, 15-36; 8, 64. 70) Cf. 1 Petr 3, 11.

opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Vos autem non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Non inquit Christus quod omnes qui credunt sint electi et praedestinati, sed qui credunt fide viva, *quae per dilectionem operatur* [71] et nunquam desistunt audire vocem Christi et eum sequi, hi sunt praedestinati; non autem qui fidem tantum mortuam habent et de operibus bonis nil curant.

Dat etiam Christus hodie signa ad cognoscendos praedestinatos et praescitos.

Sed, inquit, *vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,* nam ut in *Actis* legimus: *Crediderunt omnes quotquot praedestinati erant ad vitam aeternam.* [72] Omnes enim praedestinati ad vitam aeternam, habentes media efficacia et sufficientia ad fidem, credunt in Christum. Ait ergo: Si vos ad vitam aeternam praedestinati essetis, cum habueritis media sufficientia et efficacia, imo efficacissima et abundantissima, profecto credidissetis, cum fides necessaria sit ad salutem: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [73] At vos non solum non creditis mihi, sed etiam odio me habetis et persequimini, occidere me et lapidare cupientes. Ergo *non estis ex ovibus meis.* Alibi dixit Christus: *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [74] Omnis igitur qui eo animo praeditus est ut non solum non audiat verbum Dei, non placeat ei vita christiana secundum normam Evangelii, sed potius odio habet, displicet ei, cui duro et obstinato corde peccare magis libet quam bene agere, vitium ei magis placet quam virtus, qui veritatem odio habet, signum est quod non sit praedestinatus.

Praedestinati censendi sunt qui fide viva credunt et caritate vera operantur, non qui fidem mortuam habent et de bonis operibus nil curant.

Deus enim electis suis dat bonam animam, cor docile, animum ad pietatem facile propensum, qui, si quando peccant, vel fragilitate vel ignorantia peccant, a diabolo decepti vel gravi tentatione oppressi; non habent malum animum. Hoc est quod Christus ait: *Non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Si enim ex ovibus meis essetis, haberetis cor ad fidem meam dispositum, sicut est cera mollis ad suscipiendum characterem sigilli et sicut lignum aridum dispositum est ut facile in eo accendatur ignis.

Signum praedestinationis est etiam cor docile, ad pietatem propensum et ad poenitentiam facile dispositum.

Videat ergo quisque an bono hoc animo praeditus sit, cui placeat virtus, qui vel desideret bonam et sanctam ducere vitam

71) Gal 5, 6. Vulg.: *Quae per caritatem operatur.* 72) 13, 48. Vulg.: *Erant praeordinati ad,* etc. 73) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum,* etc. 74) Ibid. 8, 47.

et conversationem; nam cor durum et impoenitens signum est reprobationis. Hinc P a u l u s ait: Tu *autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die irae et... iusti iudicii Dei.* [75] Habebant Iudaei hodie corda lapidea, ideo sustulerunt lapides ut lapidarent Christum. [76] Quod si cor lapideum sentis te habere, Deum instanter ora ut auferat a te cor lapideum et det tibi cor carneum; [77] ora cum D a v i d e : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis ... et spiritu principali confirma me.* [78]

Cor autem durum et impoenitens signum est reprobationis.

III. ALIA HOMILIA

Facta sunt... encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis, etc. [1]

Adesse vult Christus festo encaeniorum ut significet se praesentem esse iis qui renovantur a vetustate vitiorum.

I. Celebrabatur festum dedicationis templi renovati. [2] O felices, qui templa corporum suorum – nam corpora nostra templa sunt Spiritus Sancti, [3] – renovant a vetustate vitiorum, renovantes cor, linguam et manus a malis cogitationibus, desideriis, verbis et operibus, et Deo dedicant per bonas cogitationes, desideria, verba et opera. Enoch, qui *cum Deo ambulavit* et vivens raptus ob virtutem in paradisum fuit, [4] d e d i c a t i o interpretatur. Cur Enoch raptus fuit in paradisum unde Adam eiectus fuit? [5] Utique quia renovavit se a vetustate peccatorum et vitiorum ac seipsum totum in sacrum templum Domino dedicavit. Qui autem hoc agit Christum praesentem habet. Nam ad hoc Christus interesse voluit huic festivitati, ad insinuandum quod quisquis templum est renovatum et dedicatum Deo, Deum habet inhabitantem per gratiam.

In oratione Christus multa confert beneficia.

Et ambulabat Iesus in templo : non sedebat, non manebat otiosus, sed *ambulabat,* operabatur, et *in porticu Salomonis,* in loco ubi Salomon oravit. [6] In oratione Christus multa confert beneficia, sicut

75) Rom 2, 5. Vulg.: *Secundum autem,* etc. 76) Cf. Io 10, 31. 77) Cf. Ez 11, 19. 78) Ps 50, 12-14.

1) Io 10, 22-23. 2) Cf. supra, hom. prima huius Feriae, pag. 102-103, not. 40-48. 3) Cf. 1 Cor 6, 19. 4) Gn 5, 22-24. 5) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 6) Cf. 3 Rg 8, 22-61; 2 Par 6, 13 sqq.

contulit Salomoni, qui multo ampliora bona a Deo accepit quam petierit; sapientiam petiit, et una cum maxima sapientia maximam etiam gloriam et divitiarum copiam accepit. [7]

Ambulabat Iesus, quia ad hoc venit in mundum, ad faciendum encaenia, ad renovandum et dedicandum Deo templum mundi huius sicut, postquam peccavit homo et peccando divinum hoc templum destruxit, ambulabat Deus in paradiso; [8] venit ad dirutum templum reparandum, quod utique per poenitentiam effecit. *Ambulabat* sicut Ioseph errabat in campo quaerens fratres suos, qui eum oderant et occidere cupiebant. [9] Ecce mystici templi destructio: *Hiems erat*, illa utique hiems: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas;* [10] maxima erat penuria luminis et caloris, divinae cognitionis et amoris. Christus Deus est. Ecce hiems: *Circumdederunt... eum Iudaei* et dixerunt: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* [11] Non cognoscunt Christum nec diligunt, sed potius odio habent, hinc dicunt: *Dic nobis palam* te Christum regem esse, ut accusare eum possent quod se regem faciebat, hoc est frigus hiemis; *Quoniam abundabit iniquitas*, hoc coenum est hiemis. Ecce iniquitas abundans: *Circumdederunt... eum*, quoniam *in circuitu impii ambulant*, [12] quorum perfecta est iniquitas ex amore proprio, qui aedificant babylonicam civitatem usque ad odium et contemptum Dei. [13] Cogitationes et desideria impiorum non recta tendunt in Deum, sed ad seipsos reflectuntur, quoniam nonnisi *quae sua sunt quaerunt* [14] et cupiunt. Hinc ratione proprii interesse desiderant Christum perdere ne statum perderent, nam: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* [15] Sic *hiems erat*, sol ab eorum animis longissime distabat.

Christus venit in mundum ut eum renovaret per poenitentiam.

Tempus hiemale huius festi significat defectum fidei et amoris Iudaeorum erga Christum.

Sed in hiemis principio, sole capricornum ingrediente, incipit novus annus, renovari incipit natura, incipiunt nova tempora, novi dies clariores et calidiores. Age, in hieme sumus, tempus est ut renovemur spiritu mentis nostrae. [16] Vita haec nostra in naturali calore

Renovari ergo oportet spiritu mentis, fugiendo frigus iniquitatis

7) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 8-12. — 8) Cf. Gn 3, 8. — 9) Cf. ibid. 37, 4-15. — 10) Mt 24, 12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Abundavit*. Cf. *Biblia Lovaniensis*. 11) Io 10, 24. 12) Ps 11, 9. 13) Cf. Gn 11, 3-4. 14) Phil 2, 21. 15) Io 11, 48. 16) Cf. Eph 4, 23.

et quaerendo calorem caritatis, in quo vita animae consistit.

consistit, mors enim caloris extinctio est.[17] Hinc hieme quaeritur calor, fugitur frigus; amatur ignis, libenter homines prope ignem sedent ad calefaciendum se; bonis etiam vestibus se induunt ut a frigore defendantur; tenent fenestras domus clausas. Sic cum magna diligentia omnibus quibus possumus modis fugere nos oportet frigus iniquitatis et quaerere calorem divinae caritatis, in hoc enim calore vita animae nostrae consistit. Sicut enim solis calore universa renovatur natura et calor causa est omnium bonorum quae in natura gignuntur, sic divinae caritatis calor renovat animam nostram novamque vitam inducit et causa est omnium bonorum operum. Sicut autem frigus hiemis causa est sterilitatis terrae et arborum ac animalium, ita frigus iniquitatis steriles animas efficit.

De hac spirituali renovatione agit etiam Regius Vates *Psalmo 29*

II. *Facta sunt encaenia.* Legimus *Psalmo 29,*[18] cuius titulus est: *Pro dedicatione domus: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me,* sive *attenuasti me,* non tamen *laetificasti inimicos meos super me, quoniam clamavi ad te et sanasti me* ab infirmitate peccati mortalis, unde *eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum;* unde pro hoc tanto beneficio *psallite Domino sancti eius et confitemini memoriae sanctificationis eius, quoniam ira in indignatione,* sive *momentum in ira eius et vita in voluntate eius; quoniam ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia;* non enim pro peccatis diuturnam et gravem valde poenitentiam requirit. Causa autem peccati mei fuit, quoniam *dixi in abundantia* sive *prosperitate mea: Non movebor in aeternum, quoniam in voluntate tua praestitisti decori meo,* sive *monti meo virtutem:* videbar mihi mons esse immobilis et firmissimus, sed *avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus:* favore specialis gratiae tuae destitutus, levi tentatione statim decidi. Sed tamen res salutis minime desperata est et templum per peccatum destructum, per poenitentiam iterum renovari potest per gratiam et misericordiam tuam; ideo *ad te, Domine, clamabo et ad Deum meum deprecabor. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? Audivit Dominus et misertus est mei, Dominus*

ostendens peccatum causam esse ruinae,

poenitentiam autem medium renovationis.

17) Aristoteles *De Iuventute et Senectute,* cp 4, t. 1, pag. 445. 18) Hebraice Ps 30, 1-12.

factus est adiutor meus. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia. Sic saepe maior est gloria secundae domus quam primae.[19] Per poenitentiam ergo renovatur domus mentis nostrae et Deo dedicatur et sic celebramus mysticum encaeniorum festum.

Vaticinans hodiernam Christi persecutionem David a satellitibus Saul persecutus *Psalmum 58* composuit,

III. *Circumdederunt ergo eum Iudaei.* David sanctus, cum gratis odio haberetur a Saul et gravissimas ab eo persecutiones pateretur, quando domum suam circumdatam vidit a satellitibus Saul ad ipsum capiendum occidendumque missis,[20] composuit *Psalmum* illum: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus,*[21] ubi semel et iterum dicitur: *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes et circuibunt civitatem.*[22] David eo loco Christi typum gerit, Saul diaboli, satellites illius Iudaeorum, qui tanquam ministri satanae hodie Christum circumdederunt ne posset effugere, sed caperent eum. Hoc autem mysterio factum est, quoniam Iudaei propter odium in Christum captivandi erant et per mundum circumquaque vagaturi. Hinc dicitur in eodem *Psalmo: Deus, ostendit mihi super inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua et depone eos, protector meus, Domine.*[23]

et altera vice *Psalmum 56*, cum in spelunca deserti ab iisdem se circumdatum vidisset;

Similiter dum David esset in spelunca, sive in deserto Maon,[24] et Saul cum viris in modum coronae circumdaret montem ad eum capiendum, composuit David alium *Psalmum: Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.*[25] In quo quidem *Psalmo* in persona Christi dicitur: *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum . . . Filii eorum dentes eorum arma et sagittae et lingua eorum gladius acutus . . . Laqueum paraverunt pedibus meis et incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam et inciderunt in eam.* Ubi in hebraico est: *Anima mea est in medio leonum; iaceo inter homines qui flammis exurunt,* etc. *Rete paraverunt pedibus meis ad deiciendum me in terram,*[26] hoc enim est *incurvare animam.*

Stat igitur hodie Christus veluti alter Daniel in medio leonum,[27] et ecce flammae, arma, sagittae, gladii acuti: *Quousque animam nostram*

19) Cf. Agg 2, 10. 20) Cf. 1 Rg 19, 11. 21) 58, 1. 22) Ibid. vrr. 7. 15. 23) Vr. 12. 24) Cf. 1 Rg 23, 25-26. 25) Ps 56 (hebr. 57), 1. 26) Vrr. 5-7. Vulg.: *Filii hominum, dentes eorum,* etc. 27) Cf. Dn 6, 16-19; 14, 31.

sic enim quaerebant Iudaei artibus malignis Christum capere in sermone;

tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Hoc est rete quod parant, haec fovea quam foderunt ut Christus in eam caderet; verbis enim his Christum mordent et sicut Adam in Deum: *Mulier quam dedisti mihi,* [28] peccatum suum in Christum retorquent et simul Christum capere volunt in sermone. [29]

sed vaticinatus est etiam Iudaeorum dispersionem in mundum

Circumdederunt . . . eum Iudaei. Sicut ex eo quod Saul scidit pallium Samuelis, Divinus Vates intellexit quod Deus ablaturus erat ei regnum, unde, viso pallio scisso, dixit: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie,* [30] quare scissio illa signum fuit quod Saul regno privandus erat, sic hodie circumdatio ista signum fuit quod Iudaei propter peccatum perfidiae in Christum circuituri erant mundi civitatem tanquam canes famelici: *Dispergentur ad manducandum; si vero non fuerint saturati,* sive *et non saturabuntur et murmurabunt.* [31] Quoniam vero speciale peccatum horum Iudaeorum hodie mendacium [fuit], non tacuit hoc peccatum D a v i d eodem *Psalmo: Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum et comprehendantur in superbia sua, et de execratione et mendacio annunciabuntur in consummatione, in ira consummationis et non erunt;* sive ex hebraico: *Peccatum oris eorum verbum labiorum ipsorum et capientur ob superbiam ipsorum et ob maledictum et ob mendacium narrabuntur,* idest: Erunt tanquam fabula mundi; *consume in furore, consume et non sint.* [32] Sic luce clarius in Iudaeis impletum videmus, et in verbis eorum hodie superbiam, maledictionem et mendacium invenimus: superbiam, quoniam cum arrogantia loquuntur: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam;* maledictum, quoniam inquiunt: Si non credimus, tu es in causa, quia non dicis palam te Messiam esse; mendacium non unum, sed plura; fingunt enim desiderium sciendi veritatem, fingunt se animo suspensos, mentiuntur quod Christus non clare dixerit se esse Messiam. Quod si dixisset, credidissent. Sed Dominus irrisit eos, sicut eodem *Psalmo* dicitur: *Dominus autem irridebit eos,* etc., hebraice: *Et subsannabit eos ad omnes gentes.* [33]

propter eorum perfidiam contra Christum.

IV. *Facta sunt. . . encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Praesens est Christus festo

28) Gn 3, 12. 29) Cf. Mt 22, 15; Mc 12, 13; Lc 20, 20. 30) 1 Rg 15, 28. 31) Ps 58 (hebr. 59), 16. 32) Ibid. vrr. 13-14. 33) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Domine, deridebis eos.*

renovationis templi, quoniam super omnia renovatione Ecclesiae delectatur. Vetera odit Deus, diligit nova: mense novarum frugum eduxit populum suum de Aegypto [34] divinaque lege et cultu renovavit [35] novoque pane cibavit [36] et nova aqua potavit. [37] Et ad hoc novus homo venit in mundum, vas novum Elisei plenum sale, [38] ad renovandum mundum, ad dandam novam legem, nova Sacramenta, novum spiritum, novum cor, novas linguas, ad faciendum omnia nova: *Ecce nova facio omnia.* [39] In secundo item adventu ad hoc veniet Christus, ad renovandum mundum. In primo venit ad renovandas animas, in secundo veniet ad renovanda corpora per resurrectionem ad vitam immortalem; in primo ad renovandum mundum per gratiam, in secundo ad renovandum eum per gloriam.

Diligit Deus omnia nova, odit autem vetera; ideo Christus in primo adventu renovavit mundum per gratiam, in secundo renovabit per gloriam.

V. *Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis,* sicut Deus in humana figura ambulabat in paradiso post Adami peccatum; venit enim ad renovandum templum quod per peccatum corruit. Templum hoc tribus praecipue partibus constat: fide, spe et caritate. Fides veluti fundamentum est, quoniam *substantia est sperandarum rerum,* [40] spes muri, caritas tectum. Homo vero contra fidem peccavit, quoniam serpenti magis quam Deo credidit; hinc a fundamentis templum corruit. Christus autem ad hoc reparandum templum venit. Nam ipse, qui naturae conditor est, voluit etiam reparator esse. Ecce templum dirutum: *Circumdederunt . . . eum Iudaei* et dixerunt: *Quousque animam nostram tollis?* etc. *Loquor vobis et non creditis . . . Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [41] Iudaei populus Dei, sed sine fide, increduli, perfidi; corruit templum a fundamentis. In fine autem Evangelii ostenditur constructum: *Ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater et ego in Patre.* [42] Destructum fuit templum cum homo extendit manum in lignum vetitum ob incredulitatem; destructum ostenditur hodie cum Iudaei ob incredulitatem et perfidiam manus extendunt ad lapidandum Christum: *Sustulerunt . . . lapides Iudaei ut lapidarent eum;* [43] reaedificatum vero cum ait: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me.* [44]

Templum mysticum dirutum a peccato, renovatur fide, spe et caritate.

34) Cf. Ex 12, 1 sqq. 35) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 36) Cf. ibid. 16, 12 sqq. 37) Cf. ibid. 17, 1-6; Nm 20, 2-11. 38) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 39) Apc 21, 5. 40) Hebr 1. 11. Vulg: *Est sperandarum substantia rerum.* 41) Io 10, 25-26. 42) Ibid. vr. 38. Vulg.: *Quia Pater in me est,* etc. 43) Ibid. vr. 31. 44) Ibid. vr. 27.

Festum dedicationis renovati templi et altaris post babylonicam captivitatem

VI. *Facta sunt encaenia,* etc. Hodiernum festum potius est dedicatio renovati templi et altaris, quam renovatio et reparatio templi destructi. Templum hoc Salomonis post destructionem et captivitatem babylonicam reparatum,[45] ab impio rege Antiocho non quidem destructum, sed profanatum fuit et daemonibus quodammodo dedicatum, ita ut super altare templi non Deo, sed daemonibus sacrificia offerrentur;[46] quare, destructo postmodum profanato altari, novum constructum fuit factaque est dedicatio altaris et templi magna cum populi exultatione.[47]

figura fuit mystici templi per Adae peccatum destructi et per gratiam Christi renovati.

Templum humanitatis nostrae per Adami peccatum destructum, per Christum reparatum est per sacramentum gratiae, regenerationisque et renovationis lavacrum;[48] reparatur hoc templum in Baptismo. At cum homo post Baptismum mortaliter peccat, non destruitur hoc templum, quoniam per peccatum mortale homo non amittit fidem et spem, sed tantum caritatem; quare profanatur templum fitque ex templo Dei templum satanae. Purgandum est itaque templum hoc et Deo iterum dedicandum, ut rite celebremus encaeniorum solemnitatem. *Facite vobis cor novum,* inquit Deus per Ezechielem,[49] quoniam, inquit Christus, vinum novum nonnisi in utres novos mitti debet.[50]

Hic aperte Christus loquitur de mysterio divinae praedestinationis,

VII. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,* idest ex electis et praedestinatis ab aeterno, nam has oves Christus statuet a dextris suis, quibus dicet: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*[51] Quibus verbis ostendit Dominus quod praedestinatio causa est fidei et gratiae virtutisque et tandem gloriae. Nam sequitur: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.*[52] De ineffabili mysterio divinae praedestinationis hic Dominus manifeste loquitur. Divus Paulus saepe de hoc mysterio verba facit: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[53] Et *ad Corinthios : Loquimur Dei sapientiam in mysterio quae abscondita est, quam prae-*

de quo saepe etiam Divus Paulus verba facit;

45) Cf. 1 Esr 5, 1-6, 1 sqq. 46) Cf. 1 Mach 1, 21 sqq. 47) Cf. ibid. 4, 42 sqq. 48) Cf. Tit 3, 5. 49) 18, 31. 50) Cf. Lc 5, 38. 51) Mt 25, 34. 52) Io 10, 27-28. 53) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* etc.

destinavit Deus ante saecula in gloriam nostram.[54] Et *ad Ephesios: Elegit nos in* Christo *ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae.*[55] Et alibi pertractans hoc mysterium in personis Iacob et Esau ait: *Cum... nondum nati essent aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas* est *apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo cui miserebor.*[56]

haec designatur in Sacris Litteris per *librum iustorum*

Divina praedestinatio in Sacris Litteris per *librum iustorum* scriptum a Deo solet metaphorice designari, nam *librum iustorum* legimus *Iosue*[57] et *2 Regum.*[58] De hoc ait Moyses: *Aut dimitte* populo *hanc noxam, aut... dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui Dominus respondit: Qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo.*[59] Regius Vates ait: *Deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur.*[60] Paulus ait: Qui *mecum laboraverunt in Evangelio... quorum nomina sunt in libro vitae.*[61] Daniel ait: *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.*[62] In *Apocalypsi* Christus ait: *Qui vicerit hic vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae.*[63] Sic saepe in *Apocalypsi* legimus *librum vitae: Adoraverunt bestiam omnes... quorum nomina non sunt in libro vitae Agni;*[64] *Mirabuntur* omnes, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitae a constitutione mundi;*[65] *Qui non est inventus in libro vitae scriptus missus est in stagnum ignis;*[66] et *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum... nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.*[67] Hic liber est signatus septem sigillis, scriptus intus et foris, quem nemo hominum aut Angelorum aperire et legere potuit, nisi Christus;[68] etenim solus Christus secreta novit divinae

et in *Apocalypsi* per librum vitae

qui dicitur scriptus intus et foris propter duplicem praedestinationem.

54) 1 Cor 2, 7. 55) 1, 4-6. 56) Rom 9, 11-15. Vulg.: *Nati fuissent... praestabo cuius miserebor.* In veteribus autem editionibus Vulgatae legitur: *Praestabo cui miserebor.*
57) Cf. 10, 13. 58) Cf. 1, 18. 59) Ex 32, 31-33. Vulg.: *Cui respondit Dominus*, etc.
60) Ps 68, 29. 61) Phil 4, 3. 62) 12, 1. 63) 3, 5. Vulg.: *Sic vestietur*, etc.
64) 13, 8. Vulg.: *Non sunt scripta nomina*, etc. 65) Ibid. 17, 8. 66) Ibid. 20, 15. Vulg.: *Qui non inventus est*, etc. 67) Ibid. 21, 27. Vulg.: *Aliquod coinquinatum*, etc.
68) Cf. ibid. 5, 1-8.

praedestinationis. Dicitur autem *liber scriptus intus et foris*, propter duplicem praedestinationem. Nam sunt praedestinati simpliciter et sunt praedestinati secundum praesentem iustitiam. Hi sunt fideles, qui aliquandiu gratia Dei potiti sunt Sacramentorum participatione, sed postea cum Iuda decidunt.[69]

Docet Christus praedestinationem causam esse omnium bonorum gratiae et gloriae,

VIII. Non sine mysterio Christus in porticu Salomonis de hoc mysterio loquitur, sed quia ipse cum verus sit Salomon sapientissimus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[70] Dei, loqui potuit de imperscrutabili hoc mysterio. In summa autem hic Christus primo docet de hoc divino mysterio, quod principium et causa est omnium bonorum tum gratiae tum gloriae. Hinc ait: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, ex electis meis. *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me*, idest credunt mihi, obediunt, imitantur: haec sunt bona gratiae, *et ego vitam aeternam do eis :* haec sunt bona gloriae.

et effectum esse merae bonitatis Dei,

Secundo, docet Christus quod praedestinatio non est ex meritis praevisis aut praevisione meritorum, quia ipsa est causa et origo meritorum, sed ex mera Dei bonitate et gratia: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te ;*[71] opus amoris est: *Iacob dilexi ;* opus misericordiae: *Miserebor cui miserebor ;* sicut enim esse mereri minime potuimus, ita nec bene esse. Tertio, quod finis praedestinationis est vita salusque aeterna: *Vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum.* Quarto, quod necessaria sunt media ad finem hunc consequendum: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me.* Quinto, quod omnes praedestinati certissime salvantur: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*, licet praedestinatio non imponat necessitatem. Sexto, quod ipse salvare omnes vellet, nam Deus *vult omnes homines salvos fieri*,[72] hinc omnibus dedit necessaria ac sufficientia media ad salutem: Ecclesiam, Sacramenta, Scripturas, intellectum ad cognoscendum bonum, voluntatem ad diligendum. Septimo tandem, quod quicunque perit sua culpa perit: *Perditio tua, Israel ; tantum in me auxilium tuum.*[73] Hinc hodie, cum Iudaei causam suae incredulitatis in Chri-

finem autem aeternam gloriam, media fidem et caritatem; vere praedestinatos certissimo salvari, Deum omnibus conferre media sufficientia ad salutem,

69) Cf. Mt 26, 14-16; Mc 14, 10. 18-20; Lc 22, 3-6; Io 18, 2-3. 70) Col 2, 3. 71) Mt 11, 26. Vulg.: *Sic fuit placitum*, etc. 72) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 73) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me*, etc.

stum referrent dicentes: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam,* Christus ostendit quod sua culpa sunt perituri: *Loquor vobis et non creditis ; opera quae ego facio,* etc. [74] Quibus verbis ostendit Dominus quod peccatum tantummodo causa est perditionis: *Qui peccaverit mihi delebo eum de libro vitae. Nunquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus?* [75] *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur . . . et vivat ;* [76] tamen: *Anima quae peccaverit ipsa morietur.* [77]

sed peccatum et malam voluntatem causam esse perditionis;

Nonnisi peccatum, fratres, causa est damnationis et perditionis aeternae, mala voluntas, cor durum et impoenitens, nam Deus vult omnes homines salvos esse et neminem vult perire: [78] *Perditio tua, Israel.* Quis non videat hodie in Christo magnum salutis nostrae desiderium? Deambulat in porticu Salomonis; sicut Eliseus per domum deambulabat ut suscitaret mortuum filium sunamitidis mulieris, [79] sic Christus deambulat in festivitate encaeniorum utique ad renovandum mundum, ad abolendam vetustatem peccati, ad salvandum peccatorem. Hoc autem tam vehementi et ardenti desiderio, ut hodie in discrimen vitae venerit, nam *tulerunt . . . lapides Iudaei ut lapidarent eum.* Ad promovendam salutem nostram non satis ei fuit [80] dedisse templum, sacrificia, sacerdotes, sacramenta, legem, Prophetas, utique ad renovandum hominem a vetustate peccati ad novitatem gratiae; voluit ipsemet venire ad celebrandum hoc festum, ad praedicandum Evangelium, ad docendam fidem, ad promovendam quam potentissime et efficacissime salutem nostram, ita ut pro salute nostra, post multos labores, sanguinem etiam fuderit mortemque crucis passus fuerit, pro salute inquam totius mundi.

Deus enim vult salutem omnium,

et ad hoc misit Filium suum qui sanguinem fudit et mortem crucis passus est pro salute totius mundi.

IX. Sed tamen nonnisi oves suas salvabit tandem, ovibus suis vitam dabit: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Non inquit: Non estis oves, sed: Cum sitis oves, *non estis ex ovibus meis ;* oves estis satanae: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos ;* [81] *Erravi sicut ovis quae periit ;* [82] non estis ex ovibus Iacob, dilecti Dei, sed ex ovibus Laban, servi diaboli. Oves Iacob ad nutum

Omnes sumus vel oves Christi vel satanae;

74) Io 10, 25. 75) Ez 18, 23. 76) Ibid 33, 11. Vulg.: *Mortem impii,* etc.
77) Ibid. 18, 4. 20. 78) Cf. 2 Petr 3, 9. 79) Cf. 4 Rg 4, 33-35. 80) Ms.: *Fuerit.*
81) Ps 48, 15. 82) Ps 118, 176.

qui sunt Christi, ipsum audiunt per fidem, sequuntur per imitationem et ideo salvabuntur;

ei magno quodam miraculo obediebant; si enim agnos albos desiderabat, albos pariebant; si nigros, nigros; si diversicolores, diversicolores, prout ante eas virgas in canalibus ponebat, albas, nigras vel varias.[83] Tales sunt oves Christi, ad nutum ei obediunt: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me;* mihi credunt et obediunt, me sequuntur, me imitantur. Oves autem satanae Christo minime credunt, minime obediunt, sed pastori ac patri suo satanae; *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio.* [84] Oves satanae contemnunt Christum cupiuntque perdere Christum; hinc Iudaei lapidibus petunt hodie Christum, lapidare eum tanquam blasphemum volunt. Vide, homo, cuiusnam [85] sis ovis: Christi an satanae, et scito quod nonnisi oves Christi vita aeterna sunt donandae: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum.* Oves ergo satanae in aeternum peribunt, vita aeterna perpetuaque felicitate privabuntur, et cum suo pastore in aeternum ignem mittentur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* [86] Nonnisi oves suas statuet a dextris, quibus dicet: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum,* etc.

qui autem sunt satanae, Christum contemnunt et odio habent, ideoque peribunt.

Satagamus igitur, fratres, ut simus oves Christi, et Christus noster pastor procul dubio erit. Nam si boni nos fuerimus, malus ipse nobis esse non poterit. Regius Vates ait Deo loquens: *Cum sancto sanctus eris . . . et cum perverso perverteris,* [87] ubi ostendit quod Deus instar speculi est: qualem te Deo exhibes, talem se demonstrat. Si scire vis qualis tu scis apud Deum, vide qualis es in te, in conscientia tua; vide qualis est apud te Deus, quomodo tu diligas et colas Deum.

Satagamus ergo ut simus oves Christi, et ipse erit pastor noster.

83) Cf. Gn 30, 31-42. 84) Io 8, 44. Vulg.: *Et desideria patris,* etc. 85) Ms.: *Quisnam.* 86) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 87) Ps 17, 26-27.

FERIA QUINTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Sicut speculum ex puro et immaculato crystallo, in quo imagines et simulacra naturalium rerum naturaliter depinguntur atque sculpuntur multo felicius quam possit unquam vel excellentissimus pictor suo penicillo finissimis coloribus et summa arte in tela, vel sculptor manu et arte daedalica in vivo marmore, ferro efformare, versum terrae nonnisi terram, lapides, paleas, lutum stercoraque ostendit, sed versum ad coelum nonnisi coelestia demonstrat, sic anima nostra est creata tanquam speculum in qua divina imago et similitudo semper resplenderet, conversa per affectum cordis ad terram, nonnisi vitiis et peccatis plena sit, conversa autem ad Deum virtutibus coelestibus omnibusque donis Spiritus Sancti et gratia divina. Hoc hodie clarissime in evangelica hac muliere videmus; quandiu enim terram, carnem et mundum amavit, vitiis omnibus plena fuit: *Mulier . . . in civitate peccatrix,*[1] sed conversa ad Deum per veram poenitentiam, omnibus virtutibus plena fuit: *Fides tua te salvam fecit;*[2] *Dilexit multum;*[3] *Stans retro secus pedes* Domini, etc.[4]

Anima nostra versa ad terram nonnisi terrena demonstrat, versa autem ad coelum nonnisi coelestia.

Hoc cernitur hodie in muliere prius peccatrice et postea conversa.

Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit.[5]

II. Ecce[6] hodie Maria soror Moysi, prius leprosa, deinde a

1) Lc 7, 37. 2) Ibid. vr. 50. 3) Ibid. vr. 47. 4) Ibid. vr. 38.

5) Pericope huius diei cf. Lc 7, 36 sqq. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Quidam de Pharisaeis*, etc.

6) In margine haec adiecta fuerunt: « Sedens ad mensam Christus salutem Magdalenae operatur, quia hic cibus Christi est quo, sicut Isaac venatione, libenter vescitur. Sic enim ait in conversione samaritidis: *Meus cibus est: ut faciam voluntatem Patris mei, qui in coelis est.* Et multo libentius Christus cibum hunc spiritualem sumit quam corporalem, licet esuriens; hinc rogatur ut manducet, non autem ut peccatricem salvet; imo cibum relinquit et potum ut eam consoletur. Sic erat mensa parata ante divinum propitiatorium ad significandum quod ita libenter Deus peccata dimittit, iniurias divinae maiestatis, sicut homo esuriens cibum sumit, imo multo libentius ».

Duas Marias legimus in Evangelio: unam speculum virginum, alteram poenitentium.

lepra divinitus mundata;[7] lepra enim peccatum est: *Mulier . . . in civitate peccatrix*, sed dimissa sunt *ei peccata multa ;* [8] *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* [9] In coelo hoc duo luminaria magna videmus: unum ad illuminandum diem, alterum ad illuminandum noctem. Ita in Sancta Ecclesia duas Marias: unam quae speculum est virginum,[10] alteram quae speculum quoddam lucidissimum est poenitentium: *Mulier . . . in civitate peccatrix*, cuius haec erat ars et professio peccatis operam dare: *In civitate peccatrix ;* sicut hic quidem pictor dicitur, ille sculptor, alius faber, sutor, fabricator, etc., sic *mulier . . . in civitate peccatrix*, publica, omnibus nota, peccatrix famosa.

De hac Christus septem daemonia eiecit, quae ad omnia vitia eam perducebant.

Ecce mulier . . . in civitate peccatrix. Mulier manu Dei formata, ad ipsiusmet Dei imaginem et similitudinem condita fuit;[11] sed diaboli arte peccatrix facta est a serpente decepta: *Serpens decepit me,*[12] hinc comedit de vetito ligno.[13] De hac autem muliere praecipue dicitur quod Christus ab ea septem daemonia eiecit.[14] Daemones sunt qui tentant ut perducant ad vitia. Sunt autem capitalia vitia septem; hinc septem daemonia habebat quae[15] eam ad vitia omnia provocabant. Primum ad superbiam et vanam gloriam per pompas et vanitates; secundum ad avaritiam per immodicum lucri illiciti desiderium; tertium ad luxuriam accendendo carnis concupiscentiam; quartum ad invidiam ne a quavis alia muliere in pompis et vanitatibus superaretur; quintum ad gulam, ad fovendam carnem delicatis cibis; sextum ad iram et indignationem contra corripientes et quaerentes salutem honoremque ipsius; septimum ad accidiam, ad otium, quod proprium est mulierum vitium. Sic *mulier . . . in civitate peccatrix*, peccatis omnibus plena arte diaboli, a qua seducta perducta fuit ad omnes peccatorum sordes; sic facta peccatrix est.

Mulier in multis inferior est homine.

Diabolica tentatio praecipua peccati causa fuit. Deinde sexus fragilitas et concupiscentia carnis. Dicitur enim mulier אִשָּׁה, quasi אֵשׁ,[16] i g n i s ob ardorem concupiscentiae.[17] Vir hebraice

7) Cf. Nm 12, 1 sqq. 8) Lc 7, 47. 9) Ibid. vr. 50. 10) Idest Beatissima Virgo Mater Dei. 11) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 12) Ibid. 3, 13. 13) Cf. ibid. vrr. 1-6. 14) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 15) Ms.: *Qui.* 16) Ms.: אשה, et infra: אש, איש, אשה. 17) In margine haec adiecta fuerunt: « Dicitur mulier אשה, *ischah*, i g n e a, quoniam cum amat, ardentissime amat, tota ignis flammaque amoris est. Amor eam peccatricem effecit profanus, sicut sanctus eam sanctificavit: *Quoniam dilexit multum*. Potissima etiam causa ut peccatrix fieret ignorantia fuit, nam, *ut cognovit*, con-

dictus est אִישׁ, ab igne, ob naturae nobilitatem, ignis enim elementorum nobilissimus est, et quia propter coelum creatus est, non propter terram. Mulier vero אִשָּׁה, quinario deficiens a viri nomine,[18] quia etsi eandem sortita est mulier naturae nobilitatem, in quinque tamen homine inferior est: in viribus corporis, in fortitudine animi, non enim ad bellandum apta mulier est; in prudentia iudicii, in vi intellectus ad scientias artesque adipiscendas, et tandem in potestate dominandi, homini enim mulier subiecta est: *Sub viri potestate eris.*[19] Est igitur mulier viro carne et mente multo fragilior, maxime autem cum iuvenis est ardetque vehementer ignis concupiscentiae flammaque amoris. Magdalena autem mulier iuvenis erat, unguentis enim uti iuvenum est.

et multo fragilior et debilior, maxime cum iuvenis est.

Tertio, libertas, erat enim mulier libera, sui iuris; hinc simpliciter *mulier* dicitur, non filia huius aut uxor illius. Quarto, occasio et tentatio mundi; erat enim *in civitate*, ubi non regnat nisi *concupiscentia carnis . . . concupiscentia oculorum et superbia vitae,*[20] ubi non desunt venatores et aucupes diu noctuque insectantes iuvenes pulcrasque mulieres. Hae sunt causae ex quibus peccatrix facta est: *Mulier . . . in civitate peccatrix:* tentationes[21] diaboli, carnis et mundi, occasio et commoditas peccandi, fragilitas, ignorantia et concupiscentia: *Mulier . . . in civitate peccatrix.*

sui iuris et in multis occasionibus constituta.

III. Quamvis autem difficile admodum sit peccandi habitum, qui veluti altera natura est, relinquere et ex corde in veritate ad viam virtutis converti, unde apud Ieremiam legimus: *Si mutare potest aethiops pellem suam aut pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum;*[22] ostendit tamen sacrosanctum hodiernum Evangelium non esse impossibile; mulier enim haec peccatrix hodie facta est sancta. Hoc mihi videtur esse quod, cum Dominus misit Moysen ad educendam peccatricem synagogam ex Aegypto in desertum, prius iussit ut virgam in terram proiceret, quae in serpentem conversa est, at deinde sumptus per caudam serpens iterum in virgam

Difficile admodum est habitum peccandi relinquere, sed non impossibile;

versa ad Christum est. Ignorabat peccati gravitatem, damna, poenas et supplicia; ignorabat extremas miserias, quod peccatum infernum constituit in animo ». 18) Idest littera י, quae arithmetice valet 5. 19) Gn 3, 16. 20) 1 Io 2, 16. 21) Ms.: *Tentatione.* 22) 13, 23.

conversus fuit; iussit ut poneret manum suam ad pectus, quae statim leprosa facta fuit, sed iterum ad pectus reposita mundata fuit a lepra; iussit ut aquam in terram effunderet, quae in sanguinem conversa fuit iterumque in aquam.[23] Voluit hisce signis Dominus ostendere quod possibilis est animae peccatricis conversio, quod sicut potest converti a bono ad malum, ita etiam a malo ad bonum. Sic conversa Magdalena fuit, prius ex virga in serpentem: *Mulier . . . peccatrix*, facta leprosa, aqua clara frigidaque in sanguinem, facta ex virgine meretrix; sed iterum a malo ad bonum conversa est, nec tantum conversa, sed mirabiliter conversa: *Ecce mulier*, ecce res nova. Magnum miraculum! ex lapide educitur aqua virtute divina.[24]

quod quidem ostenditur hodie in conversione huius peccatricis.

Maius miraculum est conversio et iustificatio peccatoris quam mundi creatio.[24a] Ad mundum enim creandum sufficit tantum Dei verbum, quod infinitae virtutis, potentiae, sapientiae et bonitatis est. Sed [ad] iustificandum hominem ut ex peccatore fiat sanctus, non solum infinita potentia, sapientia et bonitas requiritur, sed etiam misericordia, iustitia et caritas Dei infinita. Christus uno verbo creavit mundum, sed non uno verbo recreavit, redemit, convertit. Hodie autem Christus conversionis miraculum operatur et conversionis quidem excellentissimae et perfectissimae.

Maius miraculum est conversio peccatoris quam mundi creatio.

IV. Multas legimus in Divinis Litteris mirabiles conversiones, tum universales tum particulares. Universales quidem, ut conversio totius gentis israeliticae,[25] conversio magnae civitatis Ninive,[26] conversio civitatis Samariae;[27] particulares vero: conversio Davidis[28] et Manasse,[29] conversio Nabuchodonosor,[30] conversio Samaritanae,[31] Matthaei,[32] Zachaei,[33] Petri[34] et tandem Pauli,[35] omnes fuerunt mirabiles conversiones. At vero hodierna omnium est mirabilissima. Synagoga conversa fuit, sed visis miraculis plagisque Aegypti,[36] Ninive audita praedicatione terribili Ionae,[37] Samaria ad praedicationem samaritanae mulieris et tandem ipsius Christi,[38] David cor-

Multas conversiones legimus in Divinis Litteris tum universales tum particulares.

23) Cf. Ex 4, 3-9. 24) Cf. ibid. 17, 6; Nm 20, 11. 24a) Cf. S. Augustinus *In Evangelium Ioannis*, tract. 73, (P. L. 35, 1823). 25) Cf. Ex 14, 31. 26) Cf. Ion 3, 5 sqq. 27) Cf. Io 4, 39. 28) Cf. 2 Rg 12, 13. 29) Cf. 2 Par 33, 13-16. 30) Cf. Dn 4, 31 sqq. 31) Cf. Io 4, 1-29. 32) Cf. Mt 9, 9; Mc 2, 14; Lc 5, 27-29. 33) Cf. Lc 19, 2-10. 34) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 55-62. 35) Cf. Act 9, 1-22. 36) Cf. Ps 77, 41-51; 104, 28-36. 37) Cf. Ion 3, 4. 38) Cf. Io 4, 29. 40-42.

reptus a Nathan propheta,[39] Manasses a Deo afflictus in captivitate,[40] Nabuchodonosor castigatus a Deo et in bestiam conversus,[41] samaritana ad Christi colloquium,[42] Matthaeus vocatus a Christo,[43] Zachaeus invitatus,[44] Petrus aspectus a Christo,[45] Paulus prostratus.[46] Sic multi alii quorum conversionem legimus, uti Cornelii centurionis,[47] eunuchi reginae Candacis,[48] proconsulis Pauli[49] et aliorum.[50] Sed omnes conversi sunt vel visis miraculis, vel audita praedicatione et tacti a Spiritu Sancto.

sed nullam adeo mirabilem ut hodiernam Magdalenae.

Sed in conversione Magdalenae nihil horum legimus, sed tantum: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.*[51] Non legimus miracula, non praedicationem, non externam vocationem, sed tantum occultam internamque inspirationem, veluti cum filio prodigo in se reversa dicens in corde suo: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in coelum et coram te,*[52] iam non sum digna vocari filia tua. Consideravit statum infelicitatis suae, consideravit finem, accepit serpentem a cauda et conversus in virgam est; posuit manum suam ad pectus, examinavit conscientiam suam, vidit lepram manus suae iterumque ad pectus reponens per cordis contritionem mundata est. Cognitio haec causa fuit conversionis ipsius: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo pharisaei.*

Causa istius conversionis fuit cognitio propriae infelicitatis;

O cognitio bonorum omnium causa! Erat prius Magdalena sicut abyssus tenebrosa, sed dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.*[53] *Ut cognovit* Deum, seipsam, diabolum, peccatum, mortem, infernum, divinaeque iustitiae severitatem divinaeque misericordiae infinitam clementiam; *ut cognovit* aeternae mortis periculum, cucurrit ad salvatorem; *ut cognovit* mortalem infirmitatem, venit ad medicum; *ut cognovit* se ab antiquo serpente

ut cognovit enim omnia mala et pericula peccatorum suorum,

39) Cf. 2 Rg 12, 1-12. 40) Cf. 2 Par 33, 1-13. 41) Cf. Dn 4, 26-30. 42) Cf. Io 4, 1-26. 43) Cf. Mt 9, 9; Mc 2, 14; Lc 5, 27. 44) Cf. Lc 19, 5. 45) Cf. ibid. 22, 61. 46) Cf. Act 9, 3-4. 47) Cf. ibid. 10, 1 sqq. 48) Cf. ibid. 8, 27-39. 49) Cf. ibid. 13, 7-12. 50) Cf. ibid. 17, 34. 51) Lc 7, 37-38. Vulg.: *Quod accubuisset*, etc. *Iesus* lect. cod. 52) Ibid. 15, 17-19. 53) Gn 1, 3-4.

veneno infectam, venit ad serpentem aeneum;[54] *ut cognovit* peccatorum suorum maculas, venit ad fontem aquae vivae ad eas abluendas, venit ad Christum sicut homicida ad civitatem refugii,[55] sicut debitor ad asylum; hinc Christus duorum debitorum in sacrosancto hodierno Evangelio parabolam ponit.[56] Venit ad Christum sicut esuriens ad panem vitae, sitiens ad fontem aquarum, frigens ad ignem, ovis perdita ad pastorem, filia ad patrem. *Attulit alabastrum unguenti* odoratissimi contra fetorem peccatorum suorum *et stans retro secus pedes* Domini: iacuerat prius in sordibus peccati, nunc vero stat; habebat prius inverecundam frontem meretricis, nunc ex verecundia stat retro, non sustinens videre Christi faciem, sicut homo qui diu in tenebris mansit, non potest clarum lumen solis intueri. Erat Christus tanquam divinissimum speculum, in quo vidit utique Magdalena omnem turpitudinem suam, omnia peccata et scelera sua. Splendebat Christi facies tanquam lucidissimus sol, cuius ardentissimos radios ferre non valens Magdalena, abscondit se sub umbra sacrosanctae humanitatis Christi. *Stans retro*, quasi dicens: Usquemodo carnem mundumque secuta sum; nunc, Domine, parata sum tua sequi vestigia. *Stans retro secus pedes* Domini: ecce humilitas sanctae huius peccatricis: *secus pedes* Domini, quasi dicens: Tu, Domine, figulus meus es, ego autem figmentum tuum, vas a te ex luto formatum. Sed vas istud mea culpa confractum tu iterum reformare potes.

venit ad Christum tanquam filia ad patrem,

in cuius sanctitate clarius vidit turpitudinem suam,

Stans secus pedes Domini. Pedes Domini iustitia et misericordia sunt. Pes misericordiae format spei vestigium, pes vero iustitiae vestigium timoris. Magdalena non stat secus pedem, sed *secus pedes*; amplectenda est enim non sola misericordia vel sola iustitia, ne vel nimia fiducia efferatur animus in praesumptionem differendo poenitentiam, aut nimius timor impellat in barathrum desperationis. Sed *stans . . . secus pedes* Domini tanquam Semei ad pedes David veniam petens,[57] tanquam mulier sunamitis ad pedes Elisei pro morte unici filii.[58] *Lacrimis coepit rigare pedes eius:* iuxta pedes Domini posita Magdalena lacrimatur; petra tacta virga Domini dedit aquas, glacies posita iuxta ignem solvitur in aquam, nix radio solis percussa liquescit, herbae positae in vase distillatorio ad ignem solvuntur in aquam. *Lacrimis coepit rigare*

et in Dei misericordia confidens illiusque iustitiam simul timens,

ad pedes eius veniam humiliter petit,

54) Cf. Nm 21, 9. 55) Cf. ibid. 35, 6; Ios 20, 1 sqq. 56) Cf. Lc 7, 41-42.
57) Cf. 2 Rg 19, 18. 58) Cf. 4 Rg 4, 25 sqq.

pedes eius : ascendunt a terra vapores in coelum et inde fit pluvia. Ascendebant in corde Magdalenae cogitationes peccatorum vitae praeteritae: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae;* [59] hinc pluvia lacrimarum. Flebat sicut Esau, quoniam paternam benedictionem amiserat;[60] flebat sicut Ezechias, quia mors sibi denunciata fuerat. [61] *Lacrimis coepit rigare pedes eius:* diluvio aquarum Deus mundum purgavit;[62] in aquis maris Rubri Israel salvus factus fuit et Pharao periit;[63] in aquis Iordanis Naaman mundatus fuit a lepra;[64] in aquis Siloe caecus mundatus a caecitate;[65] in Ierusalem erat piscina, cuius aqua ab Angelo mota curabat hominem *a quacunque detinebatur infirmitate.* [66] Magdalena ex lacrimis vult salutares has aquas Christo proponere.

cogitatione peccatorum suorum tacta lacrimatur

et sordes vitae suae lacrimis lavat.

Lacrimis coepit rigare pedes eius. Oculus hebraice dicitur עַיִן, [67] f o n s . Vult Magdalena oculos suos perennes fontes esse lacrimarum. Dina filia Iacob vana oculorum curiositate ducta, turpiter corrupta fuit. [68] Lascivia oculorum praecipua mulieribus causa est omnium malorum. Nunc peccatrix ista non vult aliud habere obiectum suos oculos, nisi pedes Christi. *Et capillis capitis sui tergebat :* fuerant capilli eius funes ad ligandas pertrahendasque animas in barathrum peccati. *Et osculabatur pedes eius :* hos Christi pedes sui vult esse obiectum amoris. Dilexerat mundum, nunc solum vult diligere Christum: *Dilexit multum.* Capilli huic mulieri fuerant prius causa perditionis, sicut Absalomo, [69] sed nunc ex tactu sanctissimorum Christi pedum facti sunt ei causa salutis, sicut Samsoni qui in capillis divinam fortitudinem habebat repositam. [70] Os Magdalenae prius profanum et immundum erat, nunc autem tactu pedum Christi sanctificatum est, sicut os Isaiae prophetae. [71] *Osculabatur pedes eius et unguento ungebat :* expenderat prius pretiosa quaeque in servitium carnis et mundi, nunc autem omnia in servitium Christi. Sicut synagoga ex pretiosioribus suis bonis, quae ex Aegypto asportaverat, [72] in honorem Domini tabernaculum ipsi Deo sacramque domum con-

Luxuria oculorum et vanitas comae fuerant ei causa et occasio perditionis.

Ideo nunc oculis lacrimatur et capillis tergit pedes Christi.

59) Is 38, 15. 60) Cf. Gn 27, 30-36. 61) Cf. 4 Rg 20, 1-3; Is 38, 1-3. 62) Cf. Gn 7, 10 sqq. 63) Cf. Ex 14, 21 sqq. 64) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 65) Cf. Io 9, 7. 66) Ibid. 5, 2-4. 67) Ms.: עִין. 68) Cf. Gn 34, 1-2. 69) Cf. 2 Rg 18, 9. 70) Cf. Idc 16, 17 sqq. 71) Cf. Is 6, 6-7. 72) Cf. Ex 3, 22; 12, 35-36.

struxit,[73] sic utique videmus excellentissimam et perfectissimam peccatricis huius conversionem.

Ecce mulier, singularis inter omnes, quia alii beneficia corporalia petituri ad Christum accedunt, haec sola salutem animae quaesitura.

V. *Ecce mulier.* O res nova, o magnum miraculum! Haec unica videtur esse phoenix.[74] Multi homines multaeque mulieres accesserunt ad Christum, sed omnes ad corporalia beneficia petenda ab eo, omnes pro salute corporis; sola haec una accessit pro salute animae, pro remissione peccatorum suorum. Praecipue septem mulieres in decursu quadragesimali a Sancta Ecclesia in Evangeliis proponuntur: chananaea,[74a] mater filiorum Zebedaei,[75] mulier adultera,[76] socrus Simonis,[77] mulier samaritana[78] et tandem Martha et soror eius Maria,[79] quae est mulier ista peccatrix.[80] Sed inter septem has Magdalena est tanquam sol inter septem planetas.

Ii salvantur qui a mundo ad Deum convertuntur.

Ecce mulier, altera Rahab meretrix, quae, auditis mirabilibus operibus a Deo factis pro salute Israelis, conversa ad Deum seipsam universamque domum suam salvavit.[81] Mundus enim iste Iericho est, civitas maledicta, quae divino miraculo funditus eversa corruit igneque cremata est.[82] Cum enim *mundus* iste *totus in maligno positus*[83] sit, ex eo soli illi salvantur qui ex toto corde ad Deum convertuntur: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.*[84]

Conversio autem a veritatis cognitione ut oriatur necesse est:

73) Cf. ibid. 36, 2-5. 74) Alludit ad proverbium: « Phoenice rarior », de quo cf. Paulus Mannuccius *Adagia*, col. 949. 74a) Cf. Missale Rom. Feria Quinta Dom. Primae Quadrag. 75) Cf. ibid. Feria Quarta Dom. Secundae Quadrag. 76) Cf. ibid. Sabbato Tertiae Quadrag. 77) Cf. ibid. Feria Quinta Dom. Tertiae Quadrag. 78) Cf. ibid. Feria Sexta Dom. Tertiae Quadrag. 79) Cf. ibid. Feria Sexta Dom. Quartae Quadrag. 80) Disputant Interpretes an Maria, soror Lazari, sit illa peccatrix a qua septem daemonia Christus eiecit. Sancta Evangelia, ubi loquuntur de hac peccatrice, de Maria Magdalena et de Maria sorore Lazari, non satis clare dicunt an in his tribus mulieribus videre debeamus unam eandemque personam. In hac controversa quaestione solummodo nobis suppetit traditio, cuius testimonia auctoritate et numero praevalere videntur in affirmatione unam esse tantum personam. Opinio haec fere generalis est in Ecclesia. Cf. Clemens Alex. *Paedagogus*, lib. 2, cp. 8, (P. G. 8, 466); S. Cyrillus Alex. *In Ioannem*, ibid. 74. 38; S. Augustinus *De Consensu Evang.*, lib. 2, cp. 79, (P. L. 34, 1154-1155); S. Gregorius M. *Hom. in Evang.*, lib. 2, hom. 23, ibid. 76, 1239-1240; S. Beda *Exposit. in Evang. S. Lucae*, lib. 3, ibid. 92, 423-424; Druithmarus Monachus *Exposit. in Matthaeum*, cp. 56, ibid. 106, 1472. Aliqui Patres hanc opinionem quidem impugnarunt, at etiam in Oriente a multis christianis susceptam fuisse testatur Origenes *Comment. in Matthaeum* (P. G. 13, 1721). Cf. Aug. Calmet *Dissertatio in tres Marias*, in principio *Comment. in S. Lucae Evang.*, pag. 365-373; G. Fouard *Vita di N. S. Gesù Cristo*, vol. 1, lib. 4, cp. 4, pag. 331-332. 334; Hadr. Simon *Praelectiones Biblicae, Novum Test.*, vol. 1, pag. 336-338. 81) Cf. Ios 2, 1-15; 6, 25. 82) Cf. ibid. 6, 11 sqq. 83) 1 Io 5, 19. 84) Lc 13, 5. Vulg. *Si poenitentiam non egeritis omnes similiter peribitis.*

Ut cognovit; Rahab enim ideo conversa fuit, quoniam auditis mirabilibus divinis, cognovit, ut ipsa ait, quoniam *Dominus . . . Deus . . . ipse est Deus in coelo sursum et in terra deorsum.* [85] Primum opus Dei fuit illuminatio abyssi tenebrosae: nam *Tenebrae erant super faciem abyssi . . . Et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* [86] Erat prius Magdalena abyssus tenebrosa, nunc autem illuminata est: *Ut cognovit;* nam Deus, *qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu.* [87] Lucem autem concomitatur calor; sic boni cognitionem sequitur amor eiusque fruendi desiderium. Hinc *attulit alabastrum unguenti; Manus tuae stillaverunt myrrham.* [88]

Ut cognovit: conversio oritur a cognitione veritatis et ab amore Dei.

Stans retro secus pedes eius. Ruth moabitis conversa ad Deum [89] posuit se ad pedes Booz, cupiens fieri eius sponsa, sicut a Noemi socru edocta fuerat. [90] *Stans retro secus pedes* Domini *lacrimis coepit rigare pedes eius:* sic Sunamitis videns mortuum unicum filium, cucurrit ad Eliseum, ob cuius merita illum susceperat, ad eiusque pedes se prostravit magnis cum lacrimis. [91] Illi tanti causa doloris fuit mors corporalis filii, huic mors spiritualis animae et spiritus proprii. Diligit autem homo suapte natura seipsum super omnia. Peccatum autem homini infinitorum est causa malorum maximisque nos privat bonis et super omnia Deo, quod summum est bonum.

Stans retro lacrimatur, quia novit maximum malum peccati,

In libro *Iudicum* legimus quod, cum viri tribus Dan depraedassent domum Michae omniaque pretiosiora ei abstulissent una cum idolis, quae ipse ut deos colebat, re cognita, Micha coepit clamare post eos. Qui cum dixissent ei: *Quid . . . vis, quid clamas? . . . respondit: Deos meos . . . tulistis . . . et dicitis: Quid tibi est?* [92] Sic Magdalena amarissimo tenebatur dolore, quoniam per peccata sua Deum amiserat. Deum enim amisisse omnium bonorum thesaurum infinitum, causa utique est infiniti doloris.

novit enim se per peccatum Deum amisisse,

Hoc est quod in *1 Regum* legimus de nuru Heli, magni sacerdotis, et uxore Phinees. Cum enim partus doloribus teneretur, qui sunt omnium maximi, nunciatumque ei esset quod vir eius Phinees una cum Ophni fratre mortuus esset vidissetque socerum suum summum

qui est omnium bonorum thesaurus infinitus.

85) Ios 2, 11. 86) Gn 1, 2-3. Vulg.: *Dixitque Deus*, etc. 87) 2 Cor 4, 6. Vulg.: *Lucem splendescere . . . ad illuminationem*, etc. 88) Ct 5, 5. 89) Cf. Ruth 1, 15-17. 90) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 91) Cf. 4 Rg 4, 25 sqq. 92) 18, 23-34. Vulg.: *Cur clamas*; etc.

pontificem subito mortuum, hisce omnibus nihil fere commota fuit. Sed audiens quod arca Dei, quae Dei sedes erat, capta esset a Philisthaeis, acutissimo doloris gladio per medium cor transverberata est mortuaque fuit prae nimio dolore, haec verba dicens et replicans: *Translata est gloria* Domini *de Israel, quia capta est arca Domini . . . Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Domini.*[93] Hinc infinitus erat hodie dolor cordis Magdalenae, quod Deum amiserat infinitum thesaurum bonorum.

Haec mulier peccatrix facta fuerat diabolo obediendo.

VI. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* Quaerit Deus apud Isaiam: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis . . .? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum conversum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.*[94] Sive: Quomodo conversa est in cauponam, nam זונה[95] hebraice et meretricem et cauponam significat, et Rahab, quae *meretrix* dicitur,[96] cauponam tenebat ad hospitandum advenas. Loco autem iudicii et iustitiae contraponit cauponam, locum iniustitiae et fraudum, ubi vinum miscetur aqua et multa fraudantur ob turpe lucrum. Sic nos quaerere possumus quomodo facta est peccatrix Magdalena. Profecto quia primam mulierem est secuta obediendo serpenti. Sed quomodo conversa est? Ait eodem loco Deus: *Convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum . . . Post haec vocaberis civitas iusti, urbs fidelis.*[97] Sic Christus igne amoris Magdalenam purgavit: *Quoniam dilexit multum.*

conversa est quia Christus in eius corde amorem accendit, qui diabolum expulit.

Admirabile Christi stratagema ad convertendam Magdalenam.

Egit hodie Christus sicut princeps sapientissimus et militaris artis peritissimus. Volens recuperare arcem ab inimicis proditione occupatam, quam quidem posset vi reacquirere bellicis tormentis eam oppugnando, sed sic oppugnando destrueretur arx, vult nobili strategemate eam capere. Facit secretam minam subterraneam, ponit pyricum pulverem in medio arcis, dat ignem, qui quidem accensus occidit habitantes mittens eos in aera, sed arcem minime destruit. Quare sic princeps sapientissimus arcem salvam reacquirit, destructis

93) 4, 21 sq. Vulg.: *Arca Dei.* 94) 1, 21-22. Vulg.: *Versum est,* etc. 95) Ms.: *Zonach.* Cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radicibus: זון et: זנה. 96) Cf. Ios 2, 1.

97) Is 1, 25-26.

inimicis. Hoc eodem modo Christus hodie Magdalenam acquisivit: ignem divini amoris accendit in corde ipsius, cuius flamma expulit ab anima ipsius omnia daemonia, nam secundum M a r c u m [98] septem daemonia Christus eiecit a Magdalena.

Facta est Magdalena peccatrix et devenit in manus diaboli, quoniam *in civitate* erat: *Mundus totus in maligno positus est.* In civitate autem, etsi multi reperiuntur boni, quoniam vero maxima pars mali sunt, hos secuta fuit, quoniam procliviores sumus ad malum quam ad bonum. Hoc est quod A g g a e u s quaerit a sacerdotibus an tangens homo carnem sanctificatam sanctificetur? Et dixerunt quod non. Sed quaerenti an tangens quid immundum contaminaretur, responderunt quod sic, [99] quoniam propensiores sumus ad vitium quam ad virtutem.

Procliviores sumus ad malum quam ad bonum.

II. ALIA HOMILIA

Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit, etc. [1]

I. Videmus hodie divinae misericordiae magnitudinem: suscipit Christus peccatricem, sicut clementissimus pater filium prodigum. Et ille quidem dixit: *Pater, peccavi in coelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus;* [2] peccatrix vero haec nec verbum quidem loquitur ore, sed corde, animo, oculis, operibus loquitur. Sicut autem pater ille clementissimus occurrit revertenti filio misericordia motus eumque amplexatus et osculatus fuit statimque iussit primam stolam afferri, anulum et calceamenta, magnumque convivium parari ad epulandum et gaudendum, [3] quia salvum filium recepit, quoniam filius eius *mortuus erat et revixit, perierat et inventus est,* [4] sic Christus hodie clementissime recipit peccatricem hanc. Non improperat eamque nil arguit de peccatis suis tam gravibus, tam multis, sed laudat de bonis operibus recens factis, et in signum laetitiae convivari hodie Christus voluit.

Christus benigne peccatricem hodie recipiens ostendit divinae misericordiae magnitudinem.

98) Cf. 16, 9. 99) Cf. 2, 13-14.

1) Lc 7, 36. Vulg.: *Quidam de Pharisaeis*, etc. 2) Ibid. 15, 21. 3) Cf. ibid. vrr. 20-23. 4) Ibid. vrr. 24 sqq.

Videmus ante divinum propitiatorium paratam hodie mensam.[5] Isaac daturus benedictionem suam filio, quem summopere diligebat, prius convivari voluit.[6] Ostendit hodie Christus hoc esse suum convivium, hunc suum cibum: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius*, [7] salutem animarum. Reliquit Christus hodie cibum et potum, ut conversam hanc peccatricem salvaret, consolaretur, laudaret, praeferendo ipsi pharisaeo conversam peccatricem.

Cibus Christi est salus animarum.

II. *Duo debitores erant cuidam feneratori ; unus debebat ei denarios quingentos et alius quinquaginta.* [8] Omnes homines sunt debitores Deo. Est autem alter alteri debitor, vel quia aliquid ab eo mutuo accepit, vel quia furatus aliquid illi est. Sic nos dupliciter Deo debitores sumus: ex beneficiis ab eo acceptis et ex peccatis et maleficiis contra Deum commissis. Utroque autem modo non habemus unde Deo reddere possimus, sive maiora vel minora beneficia acceperimus, sive maiora vel minora peccata commiserimus, quoniam ex nobis nihil possumus, nihil sumus.

Omnes debitores Deo sumus ob beneficia accepta et maleficia contra illum commissa.

Quicunque autem maiora acceperit beneficia, vel maiorum pluriumque peccatorum [remissionem], gratior Deo esse debet Deumque magis tenetur diligere. Magdalena autem multo se gratiorem Deo ostendit quam pharisaeus utroque modo; hinc multo maiorem gratiam meruit: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* [9] Tu multo maiora a Deo beneficia accepisti quam mulier haec, et tamen *intravi in domum tuam : aquam pedibus meis non dedisti*, etc.;[10] haec autem cum multo minora beneficia acceperit, multo se mihi gratiorem exhibuit. Et si plura quam tu peccata commisit, cognoscens magnitudinem divinae pietatis in remissione multorum peccatorum suorum, gratiorem se Deo exhibuit, unde meruit ut non tantum quoad culpam, se etiam quoad poenam multa ei dimittantur peccata multoque maior gratia ei detur quam tibi. In remissione enim peccatorum datur gratia, sed his quidem minor, illis autem maior, iuxta mensuram contritionis; hoc est: *Quoniam dilexit multum ; Fides tua te*

Sed cui maiora beneficia collata fuerunt vel maiora peccata remissa, Deum magis diligere tenetur.

Magdalena praefertur pharisaeo, qui cum plura beneficia a Deo accepisset, minus tamen Deum diligebat.

5) Cf. Ex 40, 3-4. 19-21. 6) Cf. Gn 27, 1-29. 7) Io 4, 34. 8) Lc 7, 41.
9) Ibid. vr. 47. Vulg.: *Remittuntur ei*, etc. 10) Ibid. vr. 44.

salvam fecit, vade in pace. [11] Ostendit Christus se divinum propitiatorium esse: *Dimittuntur tibi peccata*[11a] tua; *Fides tua te salvam fecit; Desponsabo te mihi in fide.* [12]

Iussit Deus Oseae prophetae ut mulierem meretricem in uxorem acciperet; Vates autem divinum mandatum executus fuit. [13] Sic Christus hodie, qui verus Oseas, salvator, [14] est, meretricem mulierem hodie in spiritu sibi desponsat per fidem: *Fides tua te salvam fecit;* fides autem cum caritate coniuncta: *Quoniam dilexit multum.* Hoc est quod per Oseam Dominus ait, dum de spirituali sponsalitio loquitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te mihi in iudicio et iustitia ... in misericordia et ... miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* [15] Non enim per solam fidem sine ceteris virtutibus fit anima peccatrix sponsa Christi, sed per fidem et caritatem simul.

Per fidem et caritatem anima fit sponsa Christi.

O animam vere felicissimam ac ter quaterque beatam! Ex mancipio diaboli fit sponsa Christi, sicut Esther facta fuit sponsa regis Assueri et magna regina mundi, [16] et fit similis mirabili illi mulieri quam Ioannes vidit in coelo supra lunam, sole amictam stellisque coronatam. [17] Si habet in capite coronam, ergo regina est; sed est corona stellarum, quae perpetua aeternitate praeditae sunt. Sic anima peccatrix ad Christum conversa aeterna fit regina in coelo. Sole autem esse amictam mulierem profecto est maxima summaque gloria donatam esse.

Magna profecto huius peccatricis felicitas, quia ex mancipio diaboli facta est sponsa Christi et regina in coelo.

Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae. [18] Loquitur Vates de templo Dei a Chaldaeis destructo [19] et a Zorobabele et Iesu sacerdote magno pro viribus reparato. [20] Et primum quidem templum significat animam innocentem, secundum vero animam poenitentem. Saepe multo maior est gloria animae poenitentis quam innocentis. Fuit Martha innocens virgo, sed Magdalena mulier peccatrix. At vero maior multo est gloria Magdalenae quam Marthae quoniam, inquit, *cui ... minus dimittitur, minus diligit,* [21] ardentius

Saepe maior est gloria animae poenitentis quam innocentis, sicut ostenditur in sororibus Martha innocente et Maria peccatrice.

11) Ibid. vr. 50. 11a) Ibid. vr. 48. Vulg.: *Remittuntur*, etc. 12) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 13) Cf. ibid. 1, 2-3. 14) Sic latine hoc nomen interpretatur. 15) 2, 19-20. Vulg.: *In iustitia et iudicio*, etc. 16) Cf. Est 2, 1-18. 17) Cf. Apc 12, 1. 18) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.* 19) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 17-19. 20) Cf. 1 Esr 4, 1-3; 6, 14-15; Agg 1, 14. 21) Lc 7, 47.

Christum Magdalena quam Martha dilexit; gloria autem caritati et gratiae debetur, maiori autem gratiae maior gloria.

Ostenditur hodie conversio animae a terrena in coelestem.

III. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo pharisaei, attulit,* etc.[22] Duas mirabiles mulieres vidit Ioannes in sacra *Apocalypsi:* alteram quidem in coelo, alteram vero in terra. De prima dicit: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim;*[23] alteram vero, quam appellat *Babylon,*[24] vidit *sedentem super bestiam coccineam... habentem capita septem et cornua decem;*[25] ipsa vero induta purpura, auro et margaritis, habebat in manu vas aureum *plenum... immunditia fornicationis suae.*[26] Sed hodie in sacrosancto Evangelio utranque mulierem in una sola videre mihi videor, imo terrenam mulierem conversam in coelestem. Si consideremus Magdalenam in priori statu, antequam veniret ad Christum: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix,* profecto terrenam videmus mulierem; bestia enim illa peccatum significat et septem capita septem vitia capitalia, decem vero cornua impugnationem decem mandatorum divinae legis, aureum vero vas plenum immunditia fornicationis muliebris est pulcritudo, sed venalis et meretricia. Mulier sedebat super bestiam habens vas aureum in manu: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix;* sed conversa est in mulierem coelestem.

Res utique mirabilis est conversio animae a peccato ad sanctitatem.

IV. *Signum magnum,* res utique mirabilis est conversio peccatricis animae, ut fiat ex peccatrice sancta. Dicit hodie Christus huic mulieri: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace; fides,* sed utique viva, *quae per dilectionem operatur:*[27] *Quoniam dilexit multum.* Fides autem res est supernaturalis, hinc mulier supra lunam; induit nos Christo, hinc *amicta sole;* habet duodecim articulos, hinc *in capite eius corona stellarum duodecim. Signum magnum,* profecto magnum miraculum: terra conversa est in coelum, desertum in paradisum terrestrem, imo infernus in coelestem paradisum. Siquidem veluti infernus erat prius cor Magdalenae; infernus enim [est] daemonum habitatio.

22) Ibid. vr. 37. Vulg.: *Quod accubuisset,* etc. 23) 12, 1. 24) Ibid. 17, 5.
25) Ibid. vr. 3. 26) Ibid. vr. 4. 27) Gal 5, 6. Vulg.: *Quae per caritatem,* etc.

Sed a Magdalena Dominus septem daemonia eiecit;[28] fecit autem eam templum Spiritus Sancti et Dei per fidem vivam: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Paradisus autem Dei et pacis locus est.

Sed per quam, quaeso, scalam Magdalena hodie ascendit a terra in coelum, ab inferno ad paradisum, a diabolo ad Deum? Per scalam utique verae poenitentiae: *Cognovit... attulit alabastrum unguenti*, stetit *retro secus pedes* Domini, *lacrimis coepit rigare pedes eius... capillis,* suis *tergebat... osculabatur pedes eius et unguento ungebat.*[29] *Cognovit,* credidit, quia *fides tua,* et dilexit, *quoniam dilexit multum : Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Suscitavit hodie Christus Magdalenam in spiritu, sicut fratrem ipsius Lazarum suscitavit in carne; non enim minus mortua erat Magdalena in spiritu quam Lazarus in carne; fetebat ille quatriduanus in monumento,[30] sed haec *erat in civitate peccatrix.*[31]

Poenitentia scala fuit qua Magdalena a terra in coelum ascendit.

Sicut autem infirmitas Lazari non fuit ad mortem, *sed pro gloria Dei, ut* glorificaretur *Filius Dei per eam,*[32] sic et peccatum Magdalenae pro gloria Dei fuit. Permisit Christus Lazarum infirmari, languorem gravissimum fieri; permisit mori, sepeliri, corrumpi et putrescere in monumento, ut in suscitatione eius multo magis claresceret virtus divinitatis suae. Sic permisit Magdalenam peccare magnamque et publicam peccatricem fieri pro gloria sua, ut *ubi... abundavit delictum* superabundaret et *gratia.*[33] Fuit magnum miraculum suscitatio Lazari, sed multo maius conversio Magdalenae; haec enim non tantum suscitata est a morte peccati ad vitam gratiae, sed ex terrena conversa est in coelestem mulierem sole amictam.

Christus permisit Magdalenam peccatricem fieri, ut ostenderet gratiam suam in eius conversione.

V. *Quicunque... in Christo baptizati estis, Christum induistis,*[34] qui *Sol* est *iustitiae.*[35] Magdalena aquis lacrimarum hodie baptizata est. Lacrimae fuerunt ei diluvium submergens omnia peccata;[36] lacrimae mare Rubrum, ubi Israel salvatus est, Pharao autem cum exercitu suo periit;[37] lacrimae aquae Iordanis ubi Naaman mundatus fuit a lepra;[38] lacrimae aqua piscinae, quae mota ab Angelo omnem

Lacrimae fuerunt Magdalenae alter baptismus per fidem

28) Cf. Mc 16, 9. 29) Lc 7, 37-38. 30) Cf. Io 11, 1-44. 31) Cf. not. 80 praec. hom., pag. 136. 32) Io 11, 4. 33) Rom 5, 20. 34) Gal 3, 27. 35) Mal 4, 2. 36) Cf. Gn 7, 1 sqq. 37) Cf. Ex 14, 21 sqq. 38) Cf. 4 Rg 5, 1-14.

sanabat curabatque infirmitatem;[39] lacrimae natatoria Siloe, ubi caecus illuminatus fuit.[40] Aqua lacrimarum baptizata est Magdalena et in hoc baptismo fidem suscepit: *Fides tua te salvam fecit.* Sic novum hominem Christum induit, non tantum per fidem, sed etiam per caritatem: *Dilexit multum.*

et per caritatem qua ad Christum venit et quem super omnia dilexit, mundo et mundanis iudiciis contemptis.

Caritas autem facit ut Christus super omnia diligatur, supra totum mundum, ut homo super omnia et supra seipsum diligat Christum. Haec est *luna sub pedibus;* nam anima, quae Christum vere diligit, calcat et contemnit ex corde mundum. Sic fecit Magdalena hodie: contempto mundo, venit ad Christum; contempsit ex alto omnes mundanos respectus, nil verita est hominum iudicia. Non cogitavit intra se: Quid dicet mundus si sic ad Christum pergam humilis, despecta, sine pompis et vanitatibus meis? Quid dicent convivantes videntes me ad pedes Christi flentem et lacrimantem, solutis crinibus? Despexit omnes mundanos humanosque respectus, qui multos retinere solent ne ad Christum cum Magdalena veniant, sed nondum sole amicti sunt per vivam fidem et veram caritatem.

Curare debent mulieres non ut mundo placeant sed Christo.

Nostrae mulieres, etiam cum ad Ecclesias veniunt, propter mundanos respectus ornatus, pompas et vanitates minime relinquunt. Quid dicet mundus? Sed curandum est ut Christo cum Magdalena placeamus, non mundo. Honesta mulier nonnisi viro suo placere debet. Christus autem sponsus est animarum nostrarum. Videmus igitur hodie lunam mundi sub pedibus Magdalenae. Hinc a Christo corona aeternarum laudum coronata est, laudata de fide et de caritate. Fides autem duodecim articulos habet, caritas duodecim praecepta, decem Veteris Legis, et duo Legis Novae, quae tota caritas est.

Trium personarum actiones proponuntur in hodierno Evangelio:

VI. *Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit. Et ecce,* etc. Trium personarum actiones proponuntur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio: Christi, pharisaei et mulieris peccatricis, sicut M o y s e s in paradiso terrestri proponit nobis Deum, Adamum et Evam;[41] et Deum quidem homini similem; hominem etiam similem Deo, factum *ad imaginem*

39) Cf. Io 5, 2-4. 40) Cf. ibid. 9, 7-8. 41) Cf. Gn. 2, 15 sqq.

et similitudinem[42] Dei; Evam similiter formatam Adamo ac proinde Deo quam similem. Sic, inquam, in hodierno convivio, qui locus deliciarum est, videmus tres personas: Christum, qui verus est Deus et homo, Deus verus factus vere homo; pharisaeum virum sicut Adam, et Magdalenam mulierem[43] sicut Evam. Sed ibi Deus in maiestate, hic in humilitate, adeo ut nec propheta quidem credatur a pharisaeo: *Hic si esset propheta sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est.*[44] Homo ibi, sed innocens, Deo quam similis; homo hic, sed Christo homini quam dissimilis, nam Christus, cum sanctissimus esset Deus, erat tamen ob *similitudinem carnis peccati*[45] veluti homo peccator; unde pharisaeus non prophetam, idest virum sanctum, sed peccatorem eum reputat. Pharisaeus autem peccator cum esset, unde Christus in parabola peccatorem eum significat sub nomine debitoris, tamen iustus sibi et aliis videbatur, quoniam pharisaeus, qui viri religiosissimi habebantur. Mulier ibi proponitur, sed principium peccati, prius sancta, deinde peccatrix; hodie mulier princeps poenitentium, prius peccatrix, deinde sancta: *Dimittuntur tibi peccata* tua, *vade in pace.*

Christi, qui verus Deus et homo ostenditur;

pharisaei viri religiosi sed tamen peccatoris;

mulieris prius peccatricis sed postea sanctae.

Sunt autem harum trium personarum actiones et mores: pharisaeus rogat Christum ut manducaret cum illo; et hoc quidem bonum fuit opus, sed multis circumstantiis ad bonitatem requisitis caruit, nam ait: *Aquam pedibus meis non dedisti... oleo caput meum non unxisti... osculum mihi non dedisti,*[46] haec enim in Palaestina fieri solebant iis, qui amicitiae causa ad convivium invitabantur.[47] Deinde, opus fuit bonum extrinsecus, sed non intrinsecus in animo, nam intrinsecus murmurabat de Christo: *Hic si esset propheta.* Temere etiam iudicabat Magdalenam: *Quia peccatrix est,* cum tamen non esset amplius, sicut Heli iudicabat Annam, matrem Samuelis coram divino propitiatorio orantem, quoniam non ore sed corde loquebatur, intenta mente et summo cum spiritus fervore.[48] Sic pharisaeus hodie temere iudicavit Magdalenam. Tertio, pharisaeus recte iudicat

In pharisaeo ostenditur falsa iustitia;

42) Ibid, 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 43) Ms.: *Pharisaeus vir... Magdalena mulier.*
44) Lc 7, 39. 45) Rom 8, 3. 46) Lc 7, 44-46. Ordine inverso affert has pericopas.
47) Cf. Corn. a Lapide *Comment.*, h. l.; Aug. Calmet *Comment.*, h. l; Io. St. Menochius *Comment.*, h. l.; Io. Buxtorfius *De Conviviis Veterum Hebraeorum*, vol. 30, col. 1099-1103; Blas. Ugolinus *Thesaurus Antiquitatum*, dissert. *De Vet. Hebr.*, cp. 3, vol. 33, col. 1240.
48) Cf. 1 Rg 1, 10-14.

uter debitorum magis diligat creditorem liberalem et pium, sapiens est et prudens. Multi bonum habent iudicium in his quae mundi sunt, sed non bonam erga Deum voluntatem. Sic est etiam hypocritarum falsa iustitia fictaque sanctitas.

In Christo ostenditur potentia,

Christi vero quattuor sunt opera: discubuit cum pharisaeo; permittit se a peccatrice tangi, lavari, tergi, osculari et ungi; arguens pharisaeum laudat peccatricem, proposita parabola, et tandem dimittit peccatricem sanctificatam, dimissis eius peccatis. Ubi videmus Christi potentiam qua trahit ad se peccatricem, a qua septem daemonia eiecit, eamque sanctificat et templum Spiritus Sancti efficit; qua creat gratiam et peccatricem sanctificat; sapientiam, qua cognoscit secreta cordis pharisaei, qua proponit parabolam, qua discernit qui plura aut pauciora peccata commiserit, quis dignior venia sit, quis Deum plus diligat: *Scrutans corda et renes Deus ;*[49] misericordiam [50] erga peccatricem, excipit enim eam sicut benignissimus pater filium prodigum, non reprehendit mala praeterita, sed laudat bona praesentia eique omnia dimittit peccata, quae quidem non pauca, sed multa valde erant; tandem iustitiam, [51] qua arguit pharisaeum nec eius, etsi pauciora quam Magdalenae, dimittit peccata ex defectu dilectionis: *Cui enim minus dimittitur, minus diligit.* [52] Sic plus hodie placuit Christo humilis peccatrix quam superba pharisaei iustitia, sicut etiam ostendit Dominus in parabola humilis publicani et superbi pharisaei. [53]

sapientia, misericordia et iustitia;

n Magdalena tandem conversio perfecta interna et externa ad Deum et vera poenitentium vita.

Magdalenae vero quinque opera legimus: duo interna et deinde tria externa. Interna quidem: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit.* etc.; alterum vero: *Quoniam dilexit multum.* Tria vero externa Christus recenset: *Lacrimis rigavit pedes meos et capillis . . . tersit . . . non cessavit osculari pedes meos . . . unguento unxit pedes meos.* [54] Haec vera est poenitentium vita: ad Dominum exterius interiusque converti, sicut per Ioelem ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* [55] Magdalena conversa est *in toto corde,* quia *cognovit* et *dilexit ; in ieiunio,* quia, discumbente pharisaeo, ipsa ieiunabat ad pedes Christi; *in fletu et . . . planctu,* quia *lacrimis coepit rigare pedes eius.*

49) Ps 7, 10. 50) Ms.: *Misericordia.* 51) Ms.: *Iustitia.* 52) Lc 7, 47. 53) Cf. ibid. 18, 10-14. 54) Ibid. 7, 44-46. Vulg.: *Quod accubuisset,* etc. *Iesus* lect. cod. 55) 2, 12.

III. ALIA HOMILIA

Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Iesus *accubuit in domo* Simonis, etc. [1]

I. Proponitur nobis hodie Sancta Maria Magdalena a peccatis suis ad Christum in toto corde suo conversa, tanquam exemplar et speculum poenitentiae. Ipsa enim poenitentium omnium princeps est, luna inter nocturnas stellas in firmamento. Videtur autem mihi quod poenitentia alchymia quaedam sit praestantissima convertens lutum in aurum optimum; convertit tenebras in lucem, mortem in vitam: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* [2]

Proponitur hodie Magdalena tanquam speculum et exemplar poenitentiae.

Proponit nobis hodie Evangelista Sacer peccatricis huius poenitentiam tanquam admirandum spectaculum, ideo ait: *Et ecce mulier.* Vult ut contemplemur peccatricis huius poenitentiam, ut ab ea discamus eamque imitemur, ut sicut in peccatis ei similes fuimus, sic etiam in poenitentia similes ei simus. Videamus, quaeso, quomodo hodie mulier ista ex peccatrice facta est sancta, ex luto aurum, ex terra coelum pluens hodie lacrimas supra pedes Christi, ex inferno paradisus. Erat prius habitatio daemonum, hodie Spiritus Sancti habitaculum facta est: *Quoniam dilexit multum... Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* [3]

ut eam imitentur qui eam secuti sunt in peccatis.

De ea quidem haec opera legimus: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo* Simonis, *attulit alabastrum unguenti et stans retro secus pedes* Domini *lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.* [4] Omnium vero horum operum opifex fuit amor: *Quoniam dilexit multum;* sed radix fides, hinc ait: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Fide enim opus est ad poenitentiam. Hinc Ninivitae, quia crediderunt Ionae, poenitentiam egerunt; [5] nec infirmus sumeret amaram potionem, nisi crederet medico. Fide opus est, ut peccator credat quod peccatum summa est Dei offensa, quod Deus summo odio prosequitur peccatum, quod illud severissime punit aeternis poenis infinitisque cruciatibus in inferno.

Ad conversionem fide opus est, ut cognoscatur peccatum summum malum esse.

1) Lc 7, 37. Vulg.: *Quod accubuisset,* etc. *Iesus* lect. cod. 2) Eph 5, 8. 3) Luc 7, 47 sqq. 4) Ibid. vrr. 37-38. 5) Cf. Ion 3, 4 sqq.

summam ingratitudinem et summam rebellionem contra Deum.

Opus est etiam cognitione peccati, quatenus Dei offensa est, Dei, inquam, qui pater noster est, *qui possedit... et fecit et creavit* nos. [6] *Possedit* tanquam dominus, nos autem peccando contra Domini voluntatem diabolo obedivimus, sicut Eva serpenti, [7] ipsique servivimus, sicut gentes idolis; *fecit* nos summus benefactor noster, nos autem suismet beneficiis eum offendimus, quod genus est summae ingratitudinis; *et creavit* nos *ad imaginem et similitudinem suam*, [8] nos autem peccando bestiis similes facti sumus, [9] imo ex Angelis paradisi daemones inferni; iusti enim Angelis sunt similes, peccatores autem daemonibus. *Possedit* nos tanquam rex regnum suum, nos autem defecimus ab eo tanquam rebelles ad partes diaboli clavesque fortalitii et praesidii cordis nostri dedimus nostra sponte inimico capitali Dei; qui *fecit* nos filios suos, nos autem peccando servi diaboli facti sumus; qui *creavit* nos et propter nos omnia ex nihilo, nos autem peccando ad nihilum redacti sumus. [10]

Vera poenitentia est perfecta animae conversio a mundo ad Deum

II. *Ut cognovit* quod ex sponsa Dei facta erat concubina diaboli et publica meretrix, omnibus daemonibus exposita summo cum vituperio, venit ad Christum. Haec est poenitentia: converti ex toto corde a mundo ad Christum, hinc venit afferens *alabastrum unguenti... et, fracto alabastro* [11] ex contritione cordis, *domus impleta est ex odore unguenti* [12] poenitentiae salutaris et bonorum operum; hinc laudat eam Christus narrans opera sua bona; et *stans* quae prius iacuerat – haec est poenitentia: surgere a peccatis, – *retro* ex verecundia, sicut sponsa nimium verecundatur nec sustinet videre faciem viri sui, cum ab eo in fragranti reperta est, sed ad eius pedes se proicit dicens: Ignosce aut fac de me quod magis libet, ecce in manus tuas me trado, digna sum morte, fac de me quod vis. *Stans retro, secus:* prius erat longe, nunc facta est prope, [13] sed *secus pedes:* humilis est poenitentia, humiliatur cum publicano anima peccatrix: non audebat publicanus *oculos in coelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori;* [14] sic Magdalena corde dicebat, ore enim prae magnitudine doloris loqui non poterat.

ex contritione cordis et verecunda humilitate,

6) Dt 32, 6. 7) Cf. Gn 3, 1-6. 8) Ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 9) Cf. Ps 48, 13. 21. 10) Cf. Ps 72, 21-22. 11) Mc 14, 3. 12) Io 12, 3. 13) Cf. Eph 2, 13. 14) Lc 18, 13. Vulg.: *Ad coelum levare,* etc.

Stat autem non secus pedem, sed *pedes*, complectitur tum misericordiam tum iustitiam: misericordiam ut obtineat veniam de praeteritis, iustitiam ut caveat a futuris culpis; *lacrimis coepit rigare pedes eius:* haec est vera poenitentia: lavari ab immunditiis peccatorum aquis lacrimarum: *Lavamini, mundi estote;* [15] *et capillis suis tergebat:* vult hisce veluti funibus ligari ad Christi pedes, sic vere poenitens funibus caritatis vult Deo ligari; *osculabatur pedes eius:* poenitentia est pacificari cum Deo, osculum autem signum est pacis et amicitiae; *et unguento ungebat,* unguento pretiosissimo virtutum: *Fides tua; Dilexit multum; Sicut... exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* [16]

et complectitur misericordiam, ut confidendo obtineat veniam de peccatis praeteritis, iustitiam, ut timendo caveat a futuris.

III. *Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo pharisaei,* etc. Scopus sacrosancti hodierni Evangelii est ostendere quam grata et accepta Deo sit peccatricis animae vera poenitentia et qualis quantaqua sit Dei misericordia erga peccatores de peccatis suis dolentes atque contritos vereque ex corde poenitentes. Exemplo autem verae poenitentiae sanctae huius peccatricis hodie vult nos Christus trahere, imo extrahere de lacu peccatorum. Non secus ac fecit Abdemelech, qui cum vellet extrahere Ieremiam prophetam de profundissimo lacu, in quo posuerat eum impius Sedecias rex Iudaeorum, ut ibi moreretur, immisit per funem pannos laceros et vetustate contritos, quos poneret sub axillis brachiorum, sicque apprehensa fune, inde commodius extrahi posset. [17] Pannus autem attritus et vetustate confectus est vita peccatoris, quandiu vixit secundum veterem hominem in desideriis carnis: *Ecce mulier... in civitate peccatrix.* Si autem exemplum sanctae huius peccatricis hodie apprehendemus, facile nos Christi gratia, quae veluti funis est, extrahemur a Christo Domino de profundissimo peccatorum lacu.

Scopus hodierni Evangelii est ostendere bonitatem et misericordiam Dei erga peccatores poenitentes.

IV. *Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo.* [18] Erat Christus pauper et dives: pauper quia homo, hinc ait Z a c h a -

Ostenditur hodie Christus pauper et dives:

15) Is 1, 16. 16) Rom 6, 19. Vulg.: *Membra vestra servire immunditiae, etc.*
17) Cf. Ier 38, 7-12. 18) Lc 7, 36. Vulg.: *Quidam de Pharisaeis, etc.*

qua pauper rogari vult ut accipiat eleemosynam.

r i a s : *Ipse pauper,* [19] et Christus per P r o p h e t a m : *Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea ;* [20] dives autem quia Deus: *Domini est terra et plenitudo eius ;* [21] *Dominus universorum tu es.* [22] Cum autem pauper sit, rogari tamen vult ut accipiat eleemosynam, sicut Esau rogari voluit a Iacob ut acciperet ab eo munera. [23] Abraham rogatus a rege Sedom nihil accipere voluit; [24] Eliseus similiter rogatus a Naaman syro nihil accepit. [25] Christus autem multum rogatus accepit, sicut Esau et sicut Abraham a rege Aegypti [26] et ab Abimelech rege Palaestinae. [27] Quatenus autem dives tribuit non rogatus, tribuit hodie Magdalenae remissionem omnium peccatorum, tribuit copiosum munus fidei, caritatis, gratiae et salutis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ;* [28] *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,* cum tamen Magdalena nihil petierit, nec verbum dixerit, etsi tacita loquebatur, sicut Moyses [29] et sicut Anna mater Samuelis ante arcam Domini et coram divino propitiatorio. [30] Hoc autem est quoniam, ut Paulus Christum dixisse refert: *Beatius est magis dare quam recipere.* [31] Hoc Christus factis hodie ostendit; dat enim spiritualia bona quibus dives erat, sed ex se dat, non rogatus; recipit autem corporalia quibus tanquam pauper egebat, quoniam cum dives esset, egenus propter nos factus est; [32] sed rogatus recipit.

qua dives non rogatus tribuit spiritualia dona.

In mundo oppositum fit.

Non sic fit in mundo; ubi sunt enim pauperes quos rogare oporteat ut recipiant eleemosynam? Et ubi divites qui non rogati rogent potius pauperes ut accipiant eleemosynas? Non recte sentire videtur mundus de hac Domini sententia: *Beatius est magis dare quam recipere.* Christus pauper est qui rogatur ut recipiat, et dives qui rogat ut tribuat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* [33] Venit ad eum Magdalena sitiens et bibit, sitiebat autem et esuriebat iustitiam, et saturata est: [33a] *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

V. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui enim minus dimittitur, minus diligit.* [34] Videntur haec sibi contraria;

19) 9, 9. 20) Ps 87, 16. 21) Ps 23, 1. 22) 2 Mach 14, 35. Vulg.: *Tu, Domine, universorum.* 23) Cf. Gn 33, 8-10. 24) Cf. ibid. 14, 21 sqq. 25) Cf. 4 Rg 5, 15-16. 26) Cf. Gn 12, 16. 27) Cf. ibid. 20, 14-16. 28) Lc 7, 47. 29) Cf. Ex 14, 15. 30) Cf. 1 Rg 1, 12-13. 31) Act 20, 35. Vulg.: *Quam accipere.* 32) Cf. 2 Cor 8, 9. 33) Io 7, 37. 33a) Cf. Mt 5, 6. 34) Lc 7, 47. Vulg.: *Remittuntur ei,* etc.

nunc enim dicit quod magnitudo beneficii causa est maioris amoris erga benefactorem, nunc vero quod magnitudo amoris causa est ut maius recipiat debitor beneficium a feneratore. Prius dicit quod plus diligit *is cui plus donavit,* [35] postea vero quod Magdalena ideo maius accepit donum, quia plus dilexit. Hoc autem est quia in animarum iustificatione haec sese mutuo consequuntur. Legimus enim: *Convertimini ad me... et ego convertar ad vos;* [36] et iterum; *Converte me,* Domine, *et convertar* ad te; [37] *Sana me... et sanabor.* [38] Quid prius est: nos converti ad Deum, an Deum converti ad nos? Quid prius: remissio peccati, an collatio gratiae? Est sicut dum sanatur homo ab infirmitate, simul et semel discedit infirmitas et advenit sanitas; sicut dum calefit aqua, uno eodemque tempore discedit frigus et advenit calor; sicut cum illuminatur aer, simul et semel discedunt tenebrae et advenit lux; sicut dum per fenestram ingreditur ventus in domum, simul et semel aperitur fenestra et ventus intrat. Quid prius est: aperiri fenestram an ventum intrare? Non intrasset ventus nisi aperta esset fenestra, nec aperta esset fenestra nisi ventus intrasset, quoniam a vento intrante aperta fuit; non discessissent tenebrae nisi advenisset lux, et lux quomodo advenisset nisi discessissent tenebrae? Simul igitur necesse est ut fiat remissio peccati et collatio gratiae, ut nos per poenitentiam et conversionem ad Deum abiciamus peccatum et Deus ad nos per misericordiam conversus conferat gratiam.

In iustificatione sese mutuo consequuntur peccati remissio et gratiae collatio,

quia necesse est ut utraque simul fiat ex parte Dei;

Ex parte autem nostra prius quodammodo est abicere peccatum per poenitentiam et cordialem contritionem disponendo cor nostrum ad gratiam; unde qui magis disponitur maiorem recipit gratiam. Sed ex parte Dei prius est per misericordiam conferre gratiam, nam conferendo gratiam dimittit peccatum, sicut sol immittendo lucem eliminat tenebras. Hinc Christus dicit in parabola quod magnitudo doni causa est magni amoris, deinde quod magnus amor causa est magnae gratiae. [39] Nam etiam in peccato reperitur culpa et poena, et prior sententia intelligitur quoad culpam, secunda vero quoad poenam. Magdalena cognoscens multa sibi remissa peccata, tanquam Deo

sed ex parte nostra cor melius per poenitentiam dispositum maiorem gratiam recipit.

35) Ibid. vrr. 42-43. 36) Zach 1, 3. 37) Ier 31, 18. 38) Ibid. 17, 14.
39) Cf. Lc 7, 41-43.

valde grata Deum multum dilexit; quia vero multum dilexit, meruit ut multorum peccatorum poena sibi a Deo relaxaretur.

In parabola hodierna feneratoris Christus ostenditur auctor omnium bonorum naturae et gratiae.

VI. Et quidem parabola haec Salvatoris artificiosissima est; in ea enim continetur universum negotium salutis nostrae. In ea primo designatur Christus tanquam ditissimus fenerator, tanquam auctor naturae et fons gratiae, mundi creator, qui uni dedit quingentos denarios et alteri quinquaginta, ut in parabola talentorum [40] et minarum: [41] dat *unicuique secundum propriam virtutem*, [42] sicut in coelo variis astris varia lumina, non omnibus aequale lumen. Secundo, homines ob accepta beneficia debitores designantur; et omnes homines, omnes enim debitores Dei sumus, sicut servus ille qui debebat regi decem millia talenta. [43] Tertio, quoniam abutimur donis Dei, non sumus solvendo: *Non habentibus illis unde redderent*, [44] cum reddenda sit etiam cum lucro et usura, ut in parabola talentorum. Quarto, ostenditur divina Christi misericordia: *Donavit utrisque*, quia ad hoc venit in mundum ad dimittenda debita, *peccatores salvos facere*. [45] Hoc beneficium est redemptionis humanae, quod multo maius est beneficio creationis quanto Deus maior est mundo, nam seipsum dedit hic Deus intrans in domum Simonis pharisaei factus homo iudaeus. Quinto, quod divina ista misericordia quam maxime homines obligat ad diligendum Deum tanquam summum et clementissimum benefactorem infinitae erga nos caritatis, ut amore nostro pro viribus divinum compensemus amorem. Sexto, quod qui plura ac maiora a Deo accepit beneficia, plus tenetur amare, ut magnitudo amoris respondeat magnitudini beneficii, ne ingratitudinis arguamur. Septimo, quod amor noster nostraque caritas divinum meretur amorem et caritatem, ita ut maior dilectio nostra erga Deum maiorem mereatur dilectionem Dei erga nos multoque copiosiorem gratiam. Hinc ait: *Dimittuntur ei peccata, quoniam dilexit multum.* Sic Christus praefert Magdalenam peccatricem iusto pharisaeo, quod ob cordialem et veram poenitentiam maiorem apud Deum consecuta sit gratiam.

homines autem debitores, qui acceptis beneficiis abusi, postea reddere nequeunt.

Ostenditur etiam divina misericordia in beneficio redemptionis.

VII. *Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix.* Tria nobis consideranda sunt hodie in Magdalena: quomodo venit, quomodo stetit

40) Cf. Mt 25, 14-15. 41) Cf. Lc 19, 12-13. 42) Mt 25, 15. 43) Cf. ibid. 18, 24. 44) Lc 7, 42. 45) 1 Tim 1, 15.

et quomodo abiit. Venit peccatrix, stetit ad pedes Christi poenitens, abiit sancta: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*. Fuit poenitentia Magdalenae mirabilis alchymia, stupenda metamorphosis, qua ex luto in aurum conversa est; conversio multo mirabilior illa qua uxor Loth conversa fuit in statuam salis. [46]

Alia consideranda sunt in Magdalena ad pedes Christi stante.

In Christo autem quattuor consideranda sunt: quomodo suscipit Magdalenam, quomodo permittit eam facere circa se quod libet, quomodo eam defendit a pharisaeo, sicut Deus Ninivem a Ionae murmuratione, [47] et quomodo tandem eam consolatur. Convivatur Christus hodie in signum laetitiae ob inventam ovem quae perierat et drachmam perditam, [48] sicut pater in conversione filii prodigi convivium paravit; [49] convivatur ad declarandum mysterium quod ante divinum propitiatorium semper parata mensa erat, [50] in signum quod ita libenter Deus dimittit peccata sicut homo sedet ad mensam esuriens, imo multo libentius; hinc intermisit hodie Christus cibum et potum ad defendendam, laudandam et consolandam poenitentem peccatricem. Hic enim illi erat multo gratior cibus: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius*. [51] Convivatur ut multo laetior recipiat peccatricem et benedicat eam, sicut Isaac convivari voluit priusquam filium suum primogenitum benediceret. [52]

et alia in Christo Magdalenam suscipiente.

Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix. Sic ad Christum Magdalena venit, *peccatrix*, tota peccatrix intus et extra, in corpore et in anima, carne, spiritu, sensibus corporis, potentiis animae, corde, ore et opere. *Peccatrix*, nullum in ea non erat peccatum, ideo generico nomine *peccatrix* dicitur, non specifico: superba, vana, etc. Stetit autem poenitens vera poenitentia, quam necesse est esse spontaneam, hinc ipsa per se ipsam, sponte sua, non coacta, venit ad Christum; esse cordialem: *Convertimini . . . in toto corde vestro*, [52*] ipsa autem toto ex corde ad Christum conversa est, ut lacrimarum abundantia testatur; esse integram, ut omnibus quibus potest modis pro peccatis satisfaciat, hinc dat caput crines, oculi lacrimas, os oscula, manus unguenta, pedes gressus ad Christum. Toto corpore stat *secus pedes* Christi.

In Magdalena ostenditur vera poenitentia.

Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Convertit

46) Cf. Gn 19, 26. 47) Cf. Ion 4, 1 sqq. 48) Cf. Lc 15, 4-9. 49) Cf. ibid. vrr. 11 sqq. 50) Cf. Lv 24, 5-9. 51) Io 4, 34. 52) Cf. Gn 27, 1-29. 52*) Ioel 2, 12.

qua ex peccatrice conversa fuit a Christo in mulierem coelestem.

Christus terrenum amorem Magdalenae in coelestem. Magnus alchymista est Christus potens lutum et stercus in aurum optimum convertere, vitia in virtutes, etc. Magdalena interpretatur t u r r i s. Erat prius turris Babel, [53] facta est turris David, *quae aedificata est cum propugnaculis ; mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* [54] Plena fide, spe, caritate, virtutibus omnibus. Poenitens Magdalena hodie cum poenitente David ad Christi pedes in spiritu *Psalmum* poenitentiae canit: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam;* [55] multis cum lacrimis veniam petit, lacrimis utens pro verbis: *Auribus percipe lacrimas meas;* [56] *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* [57]

Magnum miraculum fuit conversio Magdalenae;

VIII. *Dimittuntur tibi peccata* tua; [58] *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Proponitur nobis in hodierno Evangelio Magdalenae conversio mirabilis a peccato ad gratiam, a vitio ad virtutem, a carne ad spiritum, a mundo ad Deum, a satana ad Christum. Si magnum fuit miraculum revocare Lazarum, quatriduanum iam putridum in monumento, a morte ad vitam, [59] multo maius fuit revocare et convertere Magdalenam a morte peccati ad vitam gratiae.

hinc in conversione peccatoris magnum gaudium fit in coelo.

Cum templum Domino dedicatum fuit, introducta arca testamenti in sanctum sanctorum, decantabat populus laudem; sacerdotes et levitae laudabant Dominum: *Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [60] Post babylonicam etiam captivitatem, cum dirutum templum iam reparatum pro viribus Domino dedicarunt, magno cum gaudio dedicationem illam celebrarunt. [61] Similiter Machabaei, cum templum a Gentibus profanatum emundassent et sanctificassent novumque altare Domino dedicarent, magna cum laetitia Dominum laudabant ornantesque *faciem templi coronis aureis et scutulis* maiori qua potuere pompa et apparatu dedicationis illius solemnitatem magno cum gaudio celebrarunt. [62] Dominus autem manifeste dicit quod magnum est gaudium in coelo coram Angelis Dei *super uno peccatore poenitentiam agente ;* [63] haec enim est reparati ac renovati templi dedicatio.

53) Cf. Gn 11, 4. 54) Ct 4, 4. 55) 50, 1. 56) Ps 38, 13.
57) Ps 6, 9. 58) Lc 7, 48. Vulg.: *Remittuntur tibi peccata.* 59) Cf. Io 11, 1-44.
60) 2 Par 7, 3. Vulg.: *Quoniam in saeculum,* etc. 61) Cf. 1 Esr 3, 8 sqq.
62) Cf. 1 Mach 4, 52-58. 63) Lc 15, 7.

Laudant Angeli Deum in coelo: *Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius;* laudemus et nos Christum: *Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius; Quoniam ubi abundavit delictum superabundavit* et *gratia.* [64] Quis non videt hodie infinitam Christi clementiam? Accedit ad eum mulier peccatrix, non repulit a se, non iniuriis afficit et probris. Si uxor in adulterio deprehensa ad virum accedat veniam petitura, licet magnis cum lacrimis ad viri pedes prostrata veniam petat, multum obtinet si non occiditur, quoniam honoris iniuria acutissime pungit cor, acerrime et acerbissime mordet animum hominis, ita ut nonnisi sanguine extingui possit ignis irae accensus et ardens in pectore; hinc tot uxores a viris occiduntur. Saepe etiam laesi honoris ergo filiae a patribus interficiuntur. Quod si amantissimus pater amore victus a caede abstinet, non tamen a verberibus, non ab iniuriis, non ab acerrimis correptionibus et increpationibus. Abicit a se, videre eam minime vult, mille modis affligit.

In conversione huius peccatricis elucet infinita clementia Christi,

Non sic Christus, non sic, sed iniuriarum oblitus, lacrimis motus compatitur, miseretur, indulget, veniam largitur, defendit, protegit, consolatur, laudat laetamque et voti compotem dimittit: *Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius; Ubi . . . abundavit delictum superabundavit* et *gratia.* O infinitam Dei clementiam, qua nihili quodammodo facit honoris sui iniuriam, nec sanguinem requirit ad extinguendum ignem irae et furoris sui, sed modica lacrimarum aqua satis ei est! *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [65]

qui lacrimis motus veniam illi omnium culparum largitur,

Mutata quodammodo videtur severissima Dei iustitia in clementissimam misericordiam. Prius nec sanctos ad se permittebat accedere. Moysi enim dixit: Non accedas huc; *solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* [66] Nemo immundus poterat ad templum Domini accedere nec sacerdos, nisi valde purificatus et sanctificatus. [67] Nunc autem mulier peccatrix ad templum accedere et ipsam etiam arcam testamenti videre permittitur et contingere, quod nec sacerdotibus dabatur, nisi tantum summo pontifici semel in anno. [68]

eamque benigne recipit qui prius nec sanctos ad se permittebat accedere.

64) Rom 5, 20. 65) Ps 50, 19. 66) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum*, etc.
67) Cf. Lv 16, 1 sqq.; Nm 19, 1 sqq. 68) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 2; Hebr 9, 7.

Impossibilis est conversio Angeli a peccato, non autem hominis,

IX. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix. Erat*, inquit, sed iam non est, conversa est. In hoc differt homo ab Angelo: quod Angelus peccans a peccato suo converti minime potuit, fuit eius ruina irreparabilis, veluti si vas crystallinum frangatur, reparari non potest; homo autem converti potuit, sicut si frangatur vas argenteum vel aureum. Illud fuit veluti mors, a qua non est ad vitam reditus; hoc autem sicut infirmitas, a qua potest ad sanitatem fieri regressus.

sicut cernitur in Magdalena.

Templum Dei idolorum cultu profanatum iterum Deo potuit dedicari. Fuit autem Magdalena veluti templum Pantheon omnium idolorum:[69] *Mulier... in civitate peccatrix*, de qua septem daemonia Dominus eiecit;[70] hodie autem iterum Deo dedicatum est templum hoc; nec tantum dedicatur emundatum ab omni abominatione: *Dimittuntur tibi peccata* tua... *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*, sed etiam ornatur facies templi huius lacrimis et manus pretioso unguento capillisque in obsequium Christi.

In conversione huius peccatricis elucet magna Dei misericordia, quae tot debita illi remittit

Age, ergo: *Ubi... abundavit delictum, superabundavit* et *gratia*, idest divina misericordia, quae hodie triplici ex capite demonstratur. Primo, quia peccata dicuntur *debita* et multa debita: *Debebat ei denarios quingentos*. Accedit debitrix ad creditorem, et lacrimis tantum loquitur; non audet petere, nisi forte cum debitore illo qui debebat decem millia talenta regi: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.*[71] Sed vide clementiam et pietatem: *Dimisit eum et debitum dimisit ei;*[72] *Donavit utrisque.*[72a] O inauditam benignitatem!

et benignissime eam recipit;

Secundo vero, quia cum peccatum sit adulterium contra Christum admissum, qui sponsus est animae, stuprum contra Deum patrem animarum nostrarum, non arguit, non increpat, sed cum clementissimo patre filium prodigum benignissime suscipit misericordia motus.

et magnum Dei desiderium salutis peccatorum,

Tertio, ex convivio: fecit ille magnum et solemne convivium, cum musica et symphonia, quoniam, inquit: *Filius... hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.*[73] Hanc ob causam convivatur hodie Christus. Erat ante divinum propitiatorium mensa panum, altare

69) Cf. Paulus Diaconus *De Gestis Longobardorum*, lib. 4, cp. 37, (P. L. 95, 570); *Dictionarium Historicum, Geographicum ac Poeticum*, sub voce: *Pantheon*. 70) Cf. Mc 16, 9.
71) Mt 18, 26. 72) Ibid. vr. 27. 72a) Lc 7, 42. 73) Ibid. 15, 24. 32.

incensi et candelabrum aureum semper ardens, [74] quoniam sic grata est Deo peccatorum remissio, sicut lux oculis, suavis odor olfatui, panis gustui. Erat divinum propitiatorium super alas cherubim, [75] quia Deus volat ad dimittenda peccata poenitentibus, quasi oblitus severitatis iustitiae suae; sic Christus hodie contra peccatricem hanc nullum exercet actum severae iustitiae, sed omnem actum misericordiae et clementiae, veluti cum Moyse ad radices montis confringens tabulas legis lapideas, quas in vertice montis acceperat a Deo ipsiusmet digito conscriptas. [76] Sic *ubi abundavit delictum* contra Deum, *superabundavit gratia* et misericordia erga peccatorem.

magna eius laetitia in conversione animae.

Et adhuc gratia etiam Spiritus Sancti in ipso peccatore. *Abundavit delictum* in Magdalena, quoniam *peccatrix in civitate*, commiserat multa peccata corde, ore, opere; sed *superabundavit gratia ;* hinc hodie a Christo praefertur Simoni pharisaeo, viro religioso, spectatae vitae, *quoniam dilexit multum : Intravi in domum tuam*, etc. [77] Ille vix prophetam Christum credebat: *Hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum.* [78] Haec autem Filium Dei esse credidit et verum Salvatorem: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

magna quoque gratia Spiritus Sancti,

Non est impossibile ut homo convertatur a peccato ad gratiam, a mundo ad Deum. Manus Moysi leprosa iterum sanata fuit, [79] sicut et soror ipsius Maria. [80] Virga in serpentem versa iterum facta est virga; [81] templum destructum iterum fuit reparatum, [82] profanatum a gentibus cultu idolorum iterum emundatum Deo dedicatum fuit magna cum laetitia. [83] Imo converti potest ad perfectam virtutem. Deus ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu.* [84] Sic hodie Magdalena conversa est, perfecta utique conversione. Simon comedit, ipsa ieiunat; Simon laetatur, ipsa plangit, lacrimatur: *In ieiunio et... fletu et... planctu.* De hoc templo vere dici potest: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* [85]

cuius virtute magnus etiam peccator ad sanctitatem converti potest.

X. *Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix.* Verbum illud *erat* significat quod iam ob cordis contritionem deleta erant ipsius peccata,

Ostenditur etiam magna virtus poenitentiae,

74) Cf. Ex 40, 2-5. 19-25. 75) Cf. ibid. 37, 6-8. 76) Cf. ibid. 32, 15-19.
77) Lc 7, 44. 78) Ibid. vr. 39. 79) Cf. Ex 4, 6-7. 80) Cf. Nm 12, 10 sqq.
81) Cf. Ex 4, 3-4. 82) Cf. 1 Esr 3, 8-10. 83) Cf. 1 Mach 4, 38-58. 84) Ioel 2, 12.
85) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.*

quae peccata omnia delet et magnam peccatricem perpetuo sanctificat;

quod ex peccatrice facta erat iusta et sancta. Mirabilis alchymista Christus est potens continuo lutum in aurum convertere et transmutare, sicut, e contra, satanas pessimus est alchymista aurum convertens in lutum et stercus. Magdalena interpretatur t u r r i s, nam מִגְדָּל [86] hebraice t u r r i s dicitur. Erat prius turris Babel, hodie facta est turris David, de qua legimus: *Collum tuum sicut turris David, quae aedificata est cum propugnaculis ; mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* [87] Arcem enim hanc Christus cum cepisset, mina facta et igne dato pulveri pyrico sub terra secreto loco, sicque omnes daemones satanae milites ab ea eiecisset, mirum in [modum] munivit, ut arx esset in posterum inexpugnabilis. Nam ne amplius minari posset aquam adhibuit lacrimarum.

Magdalena enim quae prius ꝗ erat abyssus iniquitatis, vi contritionis facta est thesaurus sanctitatis.

Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix. Mala mulier dicta est ab E u r i p i d e penum et thesaurus malorum.[88] Ergo mulier virtute praedita bonorum acervus est. Cor mulieris huius ex malo thesauro, unde omnia mala, factum est bonus thesaurus, unde omnia bona; siquidem: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.* [89] Ex corde lacrimae, ex corde oscula et [ex] corde fides et dilectio: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* ex thesauro iniquitatis facta est hodie thesaurus sanctitatis.

XI. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* Hodie Magdalena instar uxoris Loth conversa est in statuam salis; [90] sicut enim sale

86) Ms.: *Migdal.* 87) Ct 4, 4. Vulg.: *Sicut turris David collum tuum*, etc.
88) In *Medea*, vrr. 408-409:

« Γυναῖκες εἰς μέν ἐσθλ' ἀμηχανώταται
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται »;

idest: « Nos mulieres ad bona quidem ineptissimae,
Malorum vero artifices sapientissimae »;

et alibi in *Fabula incerta* ;

« Δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία
'Αλλ' οὐδὲν δυτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακόν,
Οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτον γραφῇ,
Οὐδ' ἂν λογος δέιξειεν' »;

idest: « Res saeva egestas, saeva sunt mille altera;
Tamen muliere saevius nullum est malum.
Non ullus istam pingat aerumnam color,
Nulla signent verba ».

Incerta, vrr. 135-138. 89) Lc 6, 45. 90) Cf. Gn 19, 26.

conservatur caro et praeservatur a corruptione et insipidis cibis dat saporem, sic Magdalena exemplo suo dat peccatricibus animabus saporem spiritualis dulcedinis et consolationis ob spem divinae misericordiae, sicque multae animae praeservantur a corruptione peccati. Divus Gregorius Nazianzenus libello *De virtute*[91] refert quod, cum quaedam meretrix vidisset pictam imaginem Polemonis atheniensis, qui cum adolescens esset impudicus et lubricus valde, oratione Xenocratis conversus exemplum fuit pudicitiae et honestatis, ut ait Diogenes Laertius[92] et Valerius Maximus libro 6, capite *De Mutatione Morum*, [93] meretrix igitur, visa Polemonis imagine, ad meliorem mentem conversa est vitamque impudicam reliquit. Cur non idipsum agat nobiscum Magdalena?

Exemplo suo Magdalena ad conversionem et spem divinae misericordiae peccatores excitat.

Fides tua te salvam fecit, vade in pace, vade felix. Non potest cum peccato consistere vera felicitas animi: *Non est pax impiis, dicit Dominus.* [94] Nam inordinatus animus infernus sibi ipsi est; deletis poenitentia peccatis, datur cordi vera consolatio. Pluit Deus manna non in Aegypto, sed in deserto; [95] ex spinis oritur nasciturque rosa; sic ex vera poenitentia peccatorum vera cordis consolatio, quies et felicitas animi.

Ex vera poenitentia oritur vera cordis laetitia.

91) Cf. *Poemata Moralia, De Virtute*, carmen 2, vrr. 802-807, (P. G. 37, 737-738).
92) *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 4, pag. 160-161. 93) *Exemplorum Memorabilium*, pag. 589. 94) Is 57, 21. 95) Cf. Ex 16, 13 sqq.

FERIA SEXTA DOMINICAE PASSIONIS

Ostenditur hodie infinita Dei bonitas et summa hominum perfidia.

I. Sicut in mundo hoc, veluti in numismate pulcra imago et pars eius opposita, reperitur coelum et terra, lux et tenebrae, dies et nox, calor et frigus, aestas et hiems, ignis et aqua, sanitas et languor, vita et mors, sic in concilio adversus Christum celebrato, quod sacrosanctum hodiernum Evangelium narrat, videmus et summam infinitamque Dei bonitatem et hominum contra Christum infinitam malignitatem. *Expedit ... ut unus moriatur homo pro populo:* [1] ecce odium contra Christum, malignitas summa, iniustitia infinita; sed hoc *a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit:* [2] [ecce] infinita bonitas et caritas Dei, qui *sic ... mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*, etc. [3]

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium ... et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? [4]

Concilium filiorum Iacob contra Ioseph figura fuit hodierni concilii contra Christum.

II. Horrendum plane concilium illud fuit filiorum Iacob contra innocentem et sanctum fratrem ipsorum Ioseph: *Mutuo loquebantur, ... Venite, occidamus eum;* [5] unde sanctus patriarcha animam iam iam efflaturus ait: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea et in coetu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, et indignatio eorum quoniam dura.* [6] Sed hodiernum multo horrendius est, sicut

1) Io 11, 50. 2) Ibid. vr. 51. 3) Ibid. 3, 16. Vulg.: *Dilexit mundum... credit in eum*, etc. 4) Pericope huius diei Io 11, 47-53. 5) Gn 37, 20. 6) Ibid. 49, 5-7. Vulg.: *In consilium eorum... et in coetu illorum quia dura.*

Christus multo sanctior Iosepho est. Fuit enim Ioseph praeclara Christi figura; ille quidem umbra, sed Christus corpus; Ioseph a patre dilectissimus super omnes fratres, [7] Christus a Deo dilectissimus super omnes creaturas: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ;* [8] qui in sacrosancto hodierno Evangelio *unus* dicitur, homo singularissimus, quia homo divinus, homo mirabilis: *Hic homo multa signa facit.*

Ioseph enim Christum figurabat.

Est homo compendium universi, est imago Dei, est princeps mundi. Christus autem *unus* est homo singularissimus; est autem compendium trium mundorum: parvi, magni et maximi: Ἀναχεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ χριστῷ, τὰ ἐπὶ τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ: [9] *Compendiavit omnia in Christo quae in coelis et quae in terra,* inquit P a u l u s *ad Ephesios.* [10] Igitur *unus homo.* Sic Christus est in quo omne bonum naturae, gratiae et gloriae et divinitatis ipsius: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* [11] Est item imago Christi perfecta in natura, in gratia, in gloria, in deitate; imago quoad humanitatem artificialis et naturalis, sed quoad divinitatem naturalis et connaturalis, consubstantialis, coaeterna et coaequalis.

Christus *unus* dicitur quia homo singularissimus natura, gratia, gloria et divinitate,

Unus homo, princeps mundi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [12] Hunc principatum Christi timebant Iudaei, sicut et fratres Ioseph. Auditis somniis ab ipso Ioseph visis et enarratis, quod manipuli eorum adoraverant manipulum ipsius et quod sol, luna et stellae undecim adoraverant ipsum, [13] ira pleni dixerunt: *Nunquid rex noster eris, aut subiciemur ditioni tuae ?* [14] Hoc idem hodie timebant

quia princeps mundi, cuius principatum timentes Iudaei, illum interficere cogitabant.

7) Cf. ibid. 37, 3. 8) Mt 17, 5. 9) Ms.: *Anachephaleosaste ta panta en to Christo ta en tis uranis che ta epis ghis en auto.* Graece transcripsimus iuxta lectionem textus Eb. Nestle *Novum Test.* h. l. 10) 1, 10. Vulg.: *Instaurare omnia in Christo quae in coelis et quae in terra sunt, in ipso.* 11) Col 1, 19. 12) Mt 28, 18. 13) Cf. Gn 37, 5-9. 14) Ibid. vr. 8. In margine haec adiecta fuerunt: « Mysteria hodierni Evangelii aliis etiam duobus vaticiniis tetigisse visus est sanctus Patriarcha. Primo quidem cum ad Ruben ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui et maculasti stratum eius.* Ob tale peccatum Ruben privatus fuit, ut ait P a r a p h r a s i s C h a l d a i c a, primogenitura, regno et sacerdotio. Deus autem ait: *Filius meus primogenitus Israel.* Hic autem primogenitus maculare voluit cubile Dei, dum pontifex Iudaeorum vult esse principalis sponsus et dominus synagogae: *Et habebimus hereditatem eius ;* propterea bonis omnibus privatus est: *Sicut aqua effusus es.* Sicut enim cum vas aquae evertitur et effunditur aqua, nullum in eo signum remanet, sicut remanet signum olei, vini aut mellis, sic nunc in Iudaeorum populo nullum cernitur signum antiquae nobilitatis et gratiae apud Deum, quoniam voluit pontifex esse absolutus dominus synagogae: *Tollent nostrum locum et gentem.* Illud *nostrum* causa est malorum omnium, propterea Christum de medio tollendum duxit: *Expedit*

Iudaei: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ;*[14*] hinc Christum interficere cogitant, imo determinant hodie: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.*[15]

Sicut autem concilium illud contra Ioseph factum fuit divina dispensatione, sic et hodiernum.

Sed sicut concilium contra Ioseph divina etiam dispensatione factum fuit, sicut ipsemet Ioseph ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum;*[16] *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos ;*[17] sic concilium hodiernum divina etiam dispensatione celebratum est, sicut ipse Evangelista declarat dicens quod non a seipso Caiphas sententiam protulit dicens: *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat . . . sed cum esset pontifex . . . prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.*[18]

Duo concilia videmus hodie: unum humanum in terra,

III. Duo ergo concilia videmus in sacrosancto hodierno Evangelio: unum quidem humanum a Iudaeis factum in terra, alterum vero divinum a Deo factum in coelo. Quoad humanum quinque, imo sex Evangelista consideranda proponit: congregantes: pontifices Caiphas et Anna; congregatos: principes sacerdotum, Pharisaeos et scribas; causam congregationis: famam miraculorum Christi, maxime suscitationis Lazari quatriduani; consultationem: *Quid facimus ? . . . Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum;* conclusionem[18*] consultationis: *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat ;* scopus autem huius concilii fuit Christi mors; finis, ne rempublicam perderent. Ambitio et avaritia in causa sunt mortis Christi. Vitia haec causa sunt omnium malorum: *Radix... omnium malorum est cupiditas.*[19] Quod si insana hac cupiditate plena sint principum pectora, hinc omnis iniustitia et quae eam sequuntur infinita mala; hinc regna et respublicae corruunt.

vobis, etc. Sed propterea omni principatu privatus est qui erat prior in donis et imperio maior. Altero etiam vaticinio, cum ad Iudam ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, sive occidat Messias tanquam sol. Nam occasus solis huius, mors Messiae, in causa futura erat ut auferretur sceptrum et omnis principatus tum temporalis tum spiritualis. Sic hodiernum concilium causa ruinae fuit totius populi et gentis Iudaeorum ».

14*) Io 11, 48. 15) Mt 21, 38. 16) Gn 45, 8. 17) Ibid. 50, 20. 18) Io 11, 50-52. 18*) Ms.: *Causa... fama... consultatio... conclusio...* 19) 1 Tim 6, 10.

In divino etiam concilio, qui illud congregat Deus est; congregati sunt Divinae Personae, quae congregatae fuerunt in creatione hominis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, [20] sic etiam in recreatione; causa autem congregationis: peccatum primi hominis, quod omnes damnavit et daemonum potestati subiecit; consultatio: quid agendum pro humani generis salute, multis enim modis Deus salvare poterat hominem a peccato et morte; conclusio consultationis: *Expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Non inquit necesse est, sed *expedit*, ad ostendendos thesauros divinae misericordiae, iustitiae et caritatis: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut*, etc.; sic etiam iustus fuit, sic misericors fuit, *ut Filium suum... daret*, severissime puniens in eo peccatum nostrum. — aliud divinum in coelo.

IV. *Expedit... ut unus*, non plures, unus enim Deus, una fides, unus mediator; [21] unus sol est fons omnis lucis; unius hominis peccato periit universum genus humanum, unius gratia reparetur. [22] *Unus homo*, non Angelus, sed homo; si enim ab Angelo reparatus fuisset homo, non fuisset restitutus in integrum, quoniam in creatione soli Deo subiectus erat homo; sed si ab Angelo reparatus esset, Angelo utique subiectus fuisset. *Unus homo*, non sicut alii homines peccator, sed sanctus et omni gratia plenus, ut omnibus hominibus mereri posset omnem tum gratiam tum gloriam paradisi vitamque aeternam. — Christus dicitur *unus homo* quia unus mediator, homo non Angelus, homo sed non peccator,

Unus homo moriatur. Hunc hominem necesse fuit et mortalem et immortalem esse: immortalem quidem, ut posset non mori, ut non necessario sicut alii homines morti esset subiectus; nam si debitor fuisset mortis, non potuisset sua morte pro omnibus satisfacere. Si enim multi sint principi multorum millium talentorum debitores, unus non potest partem suam suumque debitum solvendo pro omnibus satisfacere. Necesse [est] igitur ipsum hominem esse immortalem, non ut Deus vel Angelus, qui mori omnino non potest; sed potens semper vivere, potens etiam, cum libuerit, mori pro solvendo humani generis debito. — homo mortalis et immortalis, ita ut non sit necessario morti subiectus,

Expedit... ut unus homo moriatur: sit hostia et sacrificium pro peccatis, sacrificium expiationis peccatorum totius populi. *Moriatur*, non coacte sed libere, voluntarie, propter iustitiam marty- — sed libere et voluntarie, ut gratiam et vitam aeternam

20) Gn 1, 26. 21) Cf. 1 Tim 2, 5. 22) Cf. Rom 5, 15 sqq.

morte sua omnibus mereret.

rium subeat; moriatur voluntarie, sicut Samson pro salute populi sui, [23] sicut Abraham voluntarie obtulit in sacrificium Deo unigenitum filium suum Isaac, unde sibi, imo non sibi, sed universae posteritati suae meruit gloriam infinitam. [24] Sic Christus morte sua non sibi, sed nobis gratiam gloriamque meruit et vitam aeternam. *Unus homo moriatur pro populo*, pro salute populi; *moriatur* in carne pro salute spiritus multorum, *moriatur* in corpore pro vita animarum, *moriatur* in tempore pro salute aeterna, *moriatur* unus pro salute multorum, imo omnium electorum Dei, qui vere salvantur.

quia omnes ab immortalitate et iustitia originali exciderant, in qua primus homo conditus fuerat.

Et non tota gens pereat. Divina misericordia *vult omnes homines salvos fieri*, [25] divina autem iustitia omnes perire ob peccatum Adami, *in quo omnes peccaverunt*, sicut omnes moriuntur: *In omnes homines mors pertransiit*. [26] Divina misericordia ab aeterno omnibus hominibus gratiam et gloriam praeparaverat hominique primo tradiderat, sicut naturam vitaeque immortalitatem pro se et universa posteritate sua, ita etiam gratiam iustificantem et sanctificantem Deoque hominem gratum facientem. Peccatum vero omnia haec destruxit, hinc tota gens periit, universum genus humanum, divina sic exigente iustitia, cui per mortem Christi abundantissime satisfactum est. Haec igitur est consultationis conclusio atque sic in divino concilio decretum fuit, ut Christus pro salute totius generis humani moreretur. Hic finis fuit divini huius concilii: salus aeterna generis humani.

Hinc patet quantum inter se differat utrunque concilium: divinum enim divina caritate et sapientia plenum est,

V. O si possemus duo haec concilia ad invicem conferre, videremus utique non tantum distare coelum a terra quantum ab humano divinum! Sicut enim coelum continet in se paradisum, terra autem infernum, [27] et inde omne bonum, hinc autem omne malum, sic divinum concilium aeternam continet salutem, humanum vero perpetuam damnationem; illud infinita caritate, istud vero infinita malignitate plenum est; illud infinita sapientia, istud autem innumeris gravissimisque erroribus. *Quid facimus?* ecce *prudentia carnis* quae *mors est*, [28] *quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si*

23) *Cf.* Idc 16, 27-30. 24) *Cf.* Gn 22, 1-18. 25) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 26) Rom 5, 12. 27) Alludit ad sententiam quae statuit locum inferni in inferioribus partibus terrae, de qua sententia cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 277, not. 49. 28) Rom 8, 6.

dimittimus eum sic, omnes credent in eum. O errores intolerabiles! *Hic homo multa signa facit,* multa miracula; ergo tollendum de medio est. Quomodo sequitur? Si *hic homo multa signa facit,* sicut Moyses in Aegypto,[29] ergo credendum est illi. Deinde, quomodo sequitur: *Omnes credent in eum?* Ergo Romani non credent, sed venient *et tollent nostrum locum et gentem?* Si omnes credent, ergo et Romani credent. Et si *hic homo* talia signa facit ut omnes ad fidem suam pertrahat, ergo pertrahet etiam Romanos. Num homines magis quam Deum timendi sunt? Si *hic homo* divina praeditus est virtute et potestate, num contra Deum homines praevalebunt? O concilium perversum!

humanum autem infinita malignitate et innumeris erroribus.

Et tamen *collegerunt pontifices et Pharisaei concilium,* viri summae auctoritatis et scientiae: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei :* ecce auctoritas; *quaecunque ... dixerint vobis servate et facite:* [30] ecce doctrina. Sed auctoritas et scientia sine caritate, iustitia et bona conscientia ensis est in manu furiosi. Ecce isti hodie stringunt hunc ensem contra Filium Dei, contra auctorem vitae. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Multa bona facit illuminando caecos, [31] sanando infirmos, [32] suscitando mortuos. [33] Si ab omni passione libera corda habuissent, nullo livore invidiae contabuissent, ira et odio in Christum non exarsissent, avaritiae et ambitioni dediti non fuissent, dixissent utique: Credamus in eum. Sed cum Christum summo odio prosequerentur eiusque mortis cupidissimi essent, ut eum de medio tollerent consultabantur, et nullam causam mortis cum invenirent in eo, tunc Caiphas pontifex pessimum consilium dedit: *Expedit ... ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* Bonum, inquit, universale et publicum praeferendum est bono particulari, pro salute totius corporis abscinditur membrum; pereat igitur unus hic ne pereat gens universa.

Non deerat pontificibus et Pharisaeis auctoritas vel scientia, sed caritas et iustitia,

ideo maximo odio acti in Christum tulerunt iniquam mortis sententiam,

Falsa profecto, erronea et iniqua sententia. Num pro salute stellarum licet perdere solem, pro salute ovium pastorem, pro salute membrorum caput abscindere et amputare? Siquidem contra iusti-

29) Cf. Ex 7, 10. 20; 8, 6. 17; 9, 6. 10. 23-25; 10, 13-15. 22-23; 12, 29; Dt 34, 10 sqq.
30) Mt 23, 2. 31) Cf. ibid. 27, 30; 15, 30-31; Lc 18, 35; Io 9, 1-7. 32) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 33) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io 11, 41-44.

et hominem innocentem et de republica optime meritum decreverunt occidere.

tiam nunquam licet quippiam agere, quomodo licet innocentem hominem pro temporali reipublicae salute occidere? Nec tantum innocentem, sed virum de republica optime meritum, summae utilitatis, dignitatis et gloriae. Falsa igitur sententia et etiam iniqua, quoniam contra omnem iustitiam est innocentem occidere et pro bonis mala, pro beneficiis maleficia benefactori benignissimo reddere. Quod si certissima fuisset populi universi perditio, nonnullam haberet Caiphas excusationem. At incerta res erat, quod venturi essent Romani ad populum captivandum.

Tenebatur Caiphas rempublicam diligere, sed magis Deum summo amore et pietate colere,

VI. Videtur sententia ista Caiphae plena pietate et amore erga rempublicam, quam quidem tenebatur diligere et pro ea magnos labores ferre; hinc enim in sacerdotalibus indumentis portabat ipse in superhumerali sculpta nomina omnium tribuum Israel in duobus lapidibus onychinis, et in *Rationali* iudicii similiter sculptas omnes tribus in duodecim lapidibus pretiosis, in signum quod pontifex tenebatur gentem diligere et pro salute reipublicae multos labores ferre. Sed super omnia Deum tenebatur summo amore summaque pietate colere et diligere, hinc supra caput portabat auream laminam, in qua divinum nomen sculptum erat.[34] Sententia autem haec summa in Deum impietate plena fuit, lata contra unigenitum Filium Dei, contra omnem rationem iustitiae divinae legis, ac si non esset Deus qui gentem posset a Romanis defendere. Videtur plena prudentiae, habet enim prudentia tres partes: euboliam, consiliatricem ad invenienda media convenientia ad finem consequendum; synesim, dispositricem inventorum mediorum ad finem, et gnomin, quae iudicat extraordinariis nonnunquam mediis utendum,[35] ut si medicus ordinat potionem infirmo ut tali hora detur ei, vel ut libra sanguinis ei extrahatur a vena chephalica vel hepathica, si novum superveniat accidens abstinendum est. Caiphas extraordinariis mediis uti voluit consuluitque pro salute reipublicae; sed his non utendum est, nisi vera extremaque necessitate cogente; sic fecerunt nautae mittentes Ionam in mare ne perirent omnes, sed hoc quidem multa cum pietate, consentiente, imo efflagitante ipso Iona.[36] Hic autem nulla erat necessitas, nisi ficta et falsa.

ideo eius sententia impiissima fuit quia lata contra Filium Dei, iniustissima et imprudentissima.

34) Cf. Ex 28, 6-36. 35) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 57, a. 6. 36) Cf. Ion 1, 8-15.

Sic principes Caiphae huic similes, qui sine timore Dei respublicas regunt humana tantum prudentia, ac si non esset divina providentia omnium moderatrix, gubernatrix et retrix, imo ac si penitus non esset Deus, saepe necessitates fingunt ad opprimendos innocentes, avaritia et ambitione ducti, contra omnem iustitiam principatum in tyrannidem vertunt et ex pastoribus lupi fiunt sub pastorali habitu. Sic Caiphas hodie sub pastorali pontificis indumento lupus atrox ostenditur innocentissimum agnum Christum occidere cupiens.

Sic iniusti sunt et impii principes qui sine timore Dei et humana tantum prudentia rempublicam regunt,

Sed, heu, heu! quot imitatores hodie hic Caiphas habet! Erat hic *pontifex anni illius*, non secundum legem, non vocatus a Deo tanquam Aaron,[37] sed simoniace factus, ambitione motus emerat pontificatum, iam contra legis divinae statuta venalem factum;[38] pontifex non a Deo sed ab hominibus, non ex meritis sed ex pecunia, ad apicem pontificiae dignitatis ambitione avaritiaque ductus. Non intravit in ovile per ostium ut pastor, sed ascendit aliunde ut fur et latro.[39] Ambitione autem et avaritia sic excaecatus fuit ut contra Deum, contra Christum unigenitum Filium Dei sententiam mortis protulerit. Sic hodie, proh dolor! multos videmus principes et praelatos huic similes et quoad ingressum et quoad regimen et quoad vitam; ingrediuntur ut vulpes, vivunt ut lupi, regunt ut leones, moriuntur ut canes. Isti sunt pontifices et Pharisaei qui collegerunt concilium adversus Iesum: *Concilium malignantium obsedit me.*[40]

similes Caiphae, qui pontificatum emerat et sententiam mortis contra Christum tulit ambitione et avaritia ductus.

VII. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium adversus Iesum.* In concilio fratrum Ioseph repertus fuit Ruben, qui liberare voluit Ioseph de manibus fratrum; repertus Iudas, qui ne occideretur suasit.[41] In isto concilio nemo repertus fuit qui pro Christo verbum diceret. Alias principes et Pharisaei congregati contra Christum miserunt ministros ad apprehendendum Iesum, sed repertus fuit ibi Nicodemus, qui pro Christo locutus fuit dicens: *Nunquid lex nostra iudicat quemquam, nisi prius audierit ab eo. . . quae facit?*[42] Quod quidem verbum iustitiae dissolvit universum concilium.[43] Hodie vero nemo est qui pro Christo loquatur, sed Caiphae dicenti: *Expedit . . . ut . . .*

In hoc iniquissimo concilio nemo inventus fuit qui pro Christo verbum diceret.

37) Cf. Hebr 5, 4. 38) Cf. S. Beda *In Evang. Marci*, lib. 4, (P. L. 92, 279).
39) Cf. Io 10, 1. 40) Ps 21, 17. 41) Cf. Gn 37, 21. 26-27. 42) Io 7, 51. Vulg.: *Ab ipso . . . quid faciat?* 43) Cf. ibid. vr. 53.

moriatur, omnes consentiunt, omnes concilium probant sententiamque confirmant: *Ab illo... die cogitaverunt ut interficerent Iesum.* [44]

Concilium hodiernum fuit etiam stultum et imprudens,

Sed contra Dominum non est consilium, non est prudentia, non est sapientia. [45] Consultarunt, decreverunt ut Christum interficerent: hic finis eorum erat; sed nihil tractarunt de mediis, quomodo illum occiderent, quomodo apprehenderent quem noverant tali tantaque vi praeditum, ut posset etiam quatriduanos mortuos suscitare. [46] Non cogitaverunt quod qui poterat caecos illuminare, multo magis poterat videntes excaecare, sicut fecit Eliseus; [47] quod qui poterat mortuos suscitare multo magis poterat vivos occidere, sicut Elias igne de coelo bis quinquaginta viros igne consumpsit. [48] Videtur concilium murium quid agendum erat ut sese a fele defenderent: consuluit unus ut collo felis tintinnabulum alligaretur, et probarunt omnes. Sed quis, inquit alter, alligabit tintinnabulum hoc ad collum eius? [49] Cogitaverunt ut Christum interficerent, sed non consultarunt de modo, quomodo possent.

decreta enim fuit Christi mors ut respublica salva fieret, ob mortem autem Christi haec funditus eversa est;

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. Sicut impius parricida Absalom, cum voluit sanctissimo patri Davidi regnum simul et vitam eripere, dixit principibus exercitus sui: *Inite consilium quid agere debeamus,* [50] sic hodie pontifices et Pharisaei ineunt contra Christum consilium. Et sicut in illo concilio Achitophel dedit consilium contra David, [51] sic in isto Caiphas contra Christum. Sicut etiam *Domini... nutu dissipatum* fuit *consilium Achitophel... ut induceret Dominus super Absalom malum,* [52] sic dissipatum fuit consilium Caiphae. Non enim pro voto successit ei; Christi enim morte, cum rempublicam suam stabilire vellet, funditus evertit, sicut Ieroboam putavit idolorum cultu, aureis vitulis erectis, regnum suum stabilire, sed impietate illa radicitus subvertit. [53]

unde cernitur magna obcaecatio Iudaeorum in Christum non credentium

Nec mirum si Iudaei ambitione et avaritia obcaecati, tot signis visis a Christo editis, credere minime in eum, sed perdere voluerunt, cum Ieroboam hac peste infectus, cum sub idem tempus tria vidisset a viro quodam Dei divina virtute facta miracula in detestationem

44) Ibid. 11, 53. Vulg.: *Ut interficerent eum.* 45) Cf. Prv 21, 30. 46) Cf. Io 11, 39-44. 47) Cf. 4 Rg 6, 18. 48) Cf. ibid. 1, 10-14. 49) Fabula popularis, de qua cf. Odo De Ceritona *Fabulae*, fab. 54ᵃ, apud Hervieux *Les Fabulistes Latins*, t. 4, pag. 225; Gabr. Faernus *Fabulae Centum*, fab. 47, f. 47ᵃ. 50) 2 Rg 16, 20. 51) Cf. ibid. 17, 1-4. 52) Ibid. vr. 14. 53) Cf. 3 Rg 12, 25 sqq.

idololatriae: scissum, videlicet, altare, arefactam manum regis et divino miraculo pristinae sanitati restitutam, ab instituta tamen impietate non destitit, sed in ea ad mortem usque perseveravit.[54] Sic et Pharao, cum multa vidisset signa, minime credidit in Moysen, sed populum Dei impia persecutione insectatus semper fuit;[55] avaritia obcaecatus et regnandi libidine incensus suum operabatur interitum. Novit et impia Iezabel Eliae miracula, nec tamen credidit, sed eum ad mortem usque persecuta fuit.[56]

et in impietate sua usque ad perditionem perseverantium.

VIII. *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo* duplici ex capite: uno quidem ad placandum Deum et ad satisfaciendum divinae iustitiae pro peccato humani generis, altero vero ad nos suo exemplo commovendos ad Dei cultum, virtutis amorem et vitiorum odium vitamque Deo similem ducendam: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.*[57] Si enim ex primo tantum capite Christus in mundum venisset, uno tantum virtutis actu Deo satisfecisset, sicut Adam uno actu Deum laesit et mundum perdidit.[58] Sed talia tantaque passus est a divina iustitia, ut sciremus quanto odio Deus prosequatur peccatum, ad accendendum in nobis ardens peccati odium, quo nos a peccatis cohiberet et ad virtutis amorem incitaret, ad salutem aeternam consequendam, scientes quod qui peccat iterum Christum crucifigit,[59] quod in se est; nam, si praeterita mors non plene suffecisset ad omnia diluenda peccata, necesse esset ut iterum Christus eandem subiret mortem.

Expediebat Christum mori ut Deum placaret pro peccato humani generis et nos a peccatis cohiberet ac exemplo suo ad virtutem excitaret.

II. ALIA HOMILIA

Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a se, etc.[1]

I. Istud *expedit* causa est mille malorum et hinc hominum infinita multitudo in aeternum decepta a diabolo perit. In magno mari huius mundi homines pisces sunt, diabolus piscator, hamus

Amor falsus propriae utilitatis causa est perditionis.

54) Cf. ibid. 13, 3-6. 33 sqq. 55) Cf. Ex 14, 1 sqq. 56) Cf. 3 Rg 19, 1-2; 4 Rg 9, 30 sqq. 57) 1 Petr 2, 21. 58) Cf. Gn 3, 6. 59) Cf. Hebr 6, 6.

1) Io 11, 50-51.

sicut cernitur in Iudaeis, qui Christum occiderunt ut respublica salvaretur,

haec autem periit quia Christus occisus fuit.

peccatum, esca vero istud *expedit*. Propria utilitas, sed apparens et falsa, mundo causa est aeterni damni. Intuitu propriae utilitatis Iudaei Christum occidere voluerunt ne locum gentemque perderent, sed quia Christum occiderunt, locum gentemque perdiderunt; sicut fratres Ioseph vendiderunt illum ne ipsorum dominus fieret, [2] sed ideo ipsorum dominus factus fuit, [3] quia ab ipsis venditus fuit. Saul persequebatur David ne regnum perderet; [4] Ieroboam ob id ipsum vitulos aureos in Bethel erexit; [5] Aaron summus sacerdos ne dignitatem sacerdotalem amitteret confecit vitulum aureum, quem populus adoravit; [6] Adam ut absolutus mundi princeps esset de ligno vetito gustavit, [7] abscondit enim diabolus hamum peccati sub esca utilitatis.

Utilitas quae ex peccato speratur, in damnum semper convertitur.

Expedit: hinc omnia mala mundi; sed omne huiuscemodi utile in damnum maximum mundo convertitur: Adam ut in aeternum sicut Deus viveret gustavit de ligno vetito, sed quia de ligno vetito gustavit immortalitatem perdidit; Lucifer ne Deus humanaretur hominem in peccatum impulit, sed quia homo in peccatum impulsus fuit, humanatus est Deus; Ismael persequebatur Isaac ut heres ipse fieret domus, sed ob id domo eiectus est; [8] Pharao persequebatur Hebraeos ne periret Aegyptus, [9] sed ideo periit Aegyptus, quia persequebatur Hebraeos; [10] Absalom patrem persecutus fuit ut ipse rex fieret, [11] sed ob id regno simul et vita privatus fuit. [12] Sic Deus nos laqueis peccatorum nostrorum capit. Expedit mala facere ut bona veniant, persuadet diabolus; Deus autem: non licet facere mala ut veniant bona. Ad persuasionem diaboli mundus avaritiae et ambitioni deservit, ut veniant bona temporalia, divitiae et gloria huius saeculi; sed sub hac esca latet hamus peccati, unde perditio et mors sempiterna.

Saepe mundus cum Deo in volito convenit,

II. Elucet autem ex sacrosancto hodierno Evangelio quod saepe mundus cum Deo in volito convenit, sed non in modo volendi. Cupiebant Iudaei mortem Christi, cupiebat et Deus; sed Deus quidem iuste, pie, sancte, pro salute mundi; sed Iudaei iniuste, impie, ini-

2) Cf. Gn 37, 8-28. 3) Cf. ibid. 41, 38-43. 4) Cf. 1 Rg 18, 8-11. 5) Cf. 3 Rg 12, 25-29. 6) Cf. Ex 32, 1-6. 7) Cf. Gn 3, 5 sqq. 8) Cf. ibid. 21, 9-14; Gal 4, 29-30. 9) Cf. Ex 1, 1 sqq. 10) Cf. ibid. 14, 22 sqq. 11) Cf. 2 Rg 15, 1-10. 12) Cf. ibid. 18, 9-17.

quissime. Cupit mortem alicuius rei iustus iudex, cupit et impius iniquusque carnifex mortem illius, quoniam atrox eius inimicus est. Dat iudex reum in manus carnificis iuste et pie, carnifex vero crudeli in reum odio saeviens, illum contra iudicis voluntatem multis poenis gravissime afficit ac crudelissime necat. Carnifices autem Christi pontifices sunt. non autem in modo volendi.

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium[13] *adversus Iesum.* A malis praelatis et Religiosis damnatur Christus, occiditur, crucifigitur Christus. Sacerdotibus dixit Deus: Per vos nomen meum blasphematur inter gentes.[14] Avaritia et ambitio ecclesiasticorum in causa est mortis Christi: *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium . . . Si dimittimus eum sic . . . venient Romani et tollent nostrum locum et gentem:*[15] ecce proprium interesse, ecce r a t i o n e s s t a t u u m, diaboli inventa.[15*] Rationes statuum damnant Christum: *Expedit . . . ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* Licet, inquiunt, pro communi salute reipublicae illicita perpetrare. Rationes statuum hodie militant contra legem Dei, contra ipsummet Deum et contra ipsum Christum unigenitum Filium Dei. Amor propriae utilitatis in causa fuit mortis Christi.

Sed hic videre est quomodo proprium interesse homines etiam sapientes et prudentissimos excaecat. Erant pontifices et Pharisaei in Dei lege doctissimi, sed proprio interesse excaecati sunt. Videmus enim caecam valde fuisse eorum consultationem: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* Videte multiplicem caecitatem: *Hic homo,* inquiunt, *multa signa facit,* idest multa miracula; ergo tollendus est de medio. Quomodo sequitur? Moyses multa signa fecit in Aegypto;[16] ergo tollendus erat de medio? Imo credendum fuit. Deinde: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum;* si occiderimus eum, nemo in eum credet. Contra accidit, nam Messias occidendus erat et in Crucifixum totus mundus crediturus: *Si posuerit pro delicto animam suam, videbit semen longaevum;*[17] *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*[18] Quomodo noverant quod in Christum crucifixum nemo crediturus erat, cum Amor hic excaecat homines etiam sapientes et prudentes, sicut clare videtur in hodierno concilio. occiderunt enim Christum ne mundus in eum crederet et ne rempublicam perderent.

13) Io 11, 47. 14) Cf. Is 52, 5; Rom 2, 24. 15) Io 11, 48. 15*) Cf. *Quadragesimale Primum*, pag. 295-296, not. 30. 16) Cf. Ex 7, 10. 20; 8, 6. 17; 9, 6. 10. 23-25; 10, 13-15. 22-23; 12, 29; Dt 34, 10 sqq. 17) Is 53, 10. Vulg.: *Si posuerit pro peccato,* etc. 18) Io 12, 32.

totum oppositum acciderit? Praeterea inquiunt: *Si dimittimus* ut omnes credant in eum, non credent Romani, sed venient *et tollent nostrum locum et gentem.* Quomodo sequitur: si credent omnes, non credent etiam Romani? Si omnes, ergo et Romani. Deinde, quomodo non potuisset Christus eos a Romanorum potestate liberare, cum per orationem Isaiae liberati fuerint a potestate Sennacherib [19] et Elias descendere fecerit ignem de coelo contra ministros Ochoziae, [20] Eliseus excaecarit exercitum regis Syriae? [21] Tandem, quomodo sequitur: si eum occiderimus non *venient Romani* nec *tollent nostrum locum et gentem*? Totum contra accidit, nam post Christi mortem a Romanis destructi fuerunt.

sed contra accidit.

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. Res quidem est optima cum sapientum consilio rempublicam gubernare; hinc Deus Moysi dedit septuaginta seniores, viros sapientes et optimos, ut horum consilio synagoga optimo regimine gubernaretur; [22] hinc David rex sanctissimus [23] et rex etiam sapientissimus Salomon [24] consiliarios habuerunt. Sed cavendum semper est a proprio interesse et mala voluntate. Sunt enim haec veluti colorata ocularia, quae oculos impediunt ne puram videant lucem. Animi enim vitium in causa extitit perversi huius concilii et pessimae deliberationis contra Christum. Fuit enim hoc consilium initum a pontificibus et Pharisaeis multo peius consilio quod iniit Pharao contra pueros Hebraeorum [25] ipsosque Hebraeos, [26] et quod iniit Saul contra David, [27] quod Philisthaei inierunt contra Samsonem, [28] quod Absalom cum suis iniit contra patrem suum. [29] Et consilium quod dat Caiphas pontifex contra Christum, multo peius consilio quod dedit Balaam regi Moabitarum contra populum Dei [30] et eo quod dedit Achitophel Absalomo contra David, [31] et Aman Assuero regi contra Iudaeos, [32] quod causa fuit sibi ipsi infelicitatis extremae. [33]

Optimum est sapientum consilio rempublicam gubernare,

dummodo caveatur ab amore propriae utilitatis qui animum pervertit.

III. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium.* Ad congregandum concilium tria requiruntur: auctoritas, sapientia et iustitia,

19) Cf. 4 Rg 19, 20 sqq.; Is 37, 21 sqq. 20) Cf. 4 Rg 1, 9-12. 21) Cf. ibid. 6, 11-23. 22) Cf. Nm 11, 16-17. 23) Cf. 2 Rg 15, 12; 1 Par 27, 32-33. 24) Cf. 3 Rg 12, 6. 25) Cf. Ex 1, 8 sqq. 26) Cf. ibid. 5, 5-18. 27) Cf. 1 Rg 18, 21-25. 28) Cf. Idc 16, 23-30. 29) Cf. 2 Rg 17, 1-14. 30) Cf. Nm 31, 16. 31) Cf. 2 Rg 16, 20 sqq. 32) Cf. Est 3, 8-9. 33) Cf. ibid. 7, 10.

ut respublica iuste et optime gubernetur. Et hoc quidem concilium congregatum fuit a viris habentibus auctoritatem, nam *collegerunt pontifices et Pharisaei*, qui etiam erant viri in lege doctissimi; sed tertium defuit, iustitia et bona voluntas. Fuit hoc concilium veluti arbor *scientiae boni et mali*, [34] quae mortis principium fuit; [35] sed Deus convertit illud in arborem vitae, quae homini dabat vitae immortalitatem. [36]

Ad congregandum concilium requiruntur auctoritas, sapientia et iustitia; sed in hoc defuit iustitia.

O res mirabilis! Cum filii Iacob collegerunt concilium contra Ioseph, adfuit ibi Ruben qui cupiebat liberare eum, adfuit Iudas qui locutus est pro Ioseph ne occideretur. [37] Cum etiam Saul iniit concilium contra David, adfuit Ionathas qui ipsum David defendit. [38] In concilio Absalomi adfuit Chusi qui pervertit consilium Achitophel. [39] Sed in hodierno concilio nemo inventus est qui pro Christo verbum diceret. In alio quidem concilio, quod contra Christum collegerunt, cum principes et Pharisaei miserunt ministros ut apprehenderent Christum, adfuit Nicodemus qui dixit: *Nunquid lex nostra iudicat quemquam, nisi prius audierit ab eo ... quae fecit?* [40] Sed hodie pro Christo nemo loquitur, sed, dicente Caipha pontifice: *Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*, omnes consenserunt. Sic virga Aaron percussit petram in deserto; [41] sic Moyses princeps synagogae exaltavit serpentem. [42]

nec ullus inventus est qui pro Christo loqueretur.

IV. *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente.* [43] In sacrosancto hodierno Evangelio videre mihi videor quod mulier pulcherrima parit filium turpissimum et mulier turpissima parit filium pulcherrimum. Mulier pulcherrima Christi divina bonitas, quae in salutem humani generis operabatur miracula, sed parit haec in mentibus Iudaeorum turpissimum filium odii mortalis contra ipsum Christum; deinde, turpissima mulier impiae perfidiae ac pessimae malitiei Iudaeorum parit filium pulcherrimum, dat per spiritum propheticum optimum ac saluberrimum consilium in salutem totius generis humani: *Prophetavit*, inquit, *quia Iesus moriturus erat pro gente.*

In hoc concilio duo consideranda sunt: odium Iudaeorum ortum ex bonitate Christi, et salus mundi orta ex odio eorum.

34) Gn 2, 9. 35) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 36) Cf. ibid. 2, 9. 37) Cf. ibid. 37, 21-27. 38) Cf. 1 Rg 19, 1-6. 39) Cf. 2 Rg 17, 7-14. 40) Io 7, 51. Vulg.: *Ab ipso ... quid faciat?* 41) Cf. Nm 20, 11. 42) Cf. ibid. 21, 9. 43) Io 11, 51.

Deus enim volebat Christi mortem ex caritate et amore, Iudaei autem ex malignitate et odio;

Ubi etiam videmus quod voluntas etiam diabolica conformis est divinae voluntati in volito sed non in modo volendi, in facto sed non in ratione finis. Fuit voluntas Dei ut moreretur Christus, fuit etiam voluntas diaboli et impiorum Iudaeorum, qui in hodierno concilio ipsum occidere cogitaverunt et statuerunt. Sed Deus id volebat ex caritate et amore, diabolus ex malignitate et odio. Si Iudaei Christum ex obedientia divina cum pietate [44] occidissent, sicut Abraham immolavit filium suum Isaac, [45] sicut magnus sacerdos sacrificium pro peccato hostiamque pacificam et holocaustum Deo offerebat, [46] rem utique gratissimam Deo effecissent. Sed quia ex odio et malivolentia, summa cum crudelitate Christum occiderunt, propterea gravissime peccaverunt.

et sic Iudaei peccaverunt non quia Christum occiderunt, sed quia male occiderunt.

Sit iudex optimus, qui reum damnet ad mortem cum iustitia et aequitate; sed sit carnifex pessimus rei saevissimus inimicus: uterque cupit mortem rei, sed iudex ratione iustitiae, carnifex propter odium. Quod si carnifex, non expectato iudicis mandato, reum occidat, fit ipse reus mortis, non quia occidit, nam occidendus erat, sed quia male occidit. Sic Iudaei peccaverunt, non quia occiderunt Christum, sed quia male occiderunt, ex odio et invidia. Cupiebat satan malum inferre Iob eumque ad extremam infelicitatem perducere, et ipse etiam Deus id voluit; sed Deus ad maiorem gloriam ipsius Iob, satanas vero ad perdendum eum. [47] Sic in mundi primordiis fuit voluntas Dei ut homo tentaretur a diabolo, sicut ipse diabolus tentare cupiebat; sed non par fuit ratio voluntatis Dei et satanae.

Hodiernum concilium rectum fuit mala spe et timore mundano, excluso omni divino timore.

V. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium.* Congregantur concilia vel spe alicuius acquirendi boni et evadendi mali, vel timore perdendi aliquod bonum et incurrendi in aliquod malum; si enim nulla esset aut spes boni aut timor mali, profecto necessarium minime esset reipublicae concilia congregare inireque consilia. Sed hoc interest inter bona et mala concilia: quod bona quidem reguntur spe et timore Dei, mala vero spe et timore mundi. Sic utique spe et timore mundi, omni spe et timore divino excluso, rectum fuit hodiernum concilium.

44) Ms.: *Christum* iterum ponitur. 45) Cf. Gn 22, 1-10. 46) Cf. Lv 7, 1 sqq.
47) Cf. Iob 1, 8-12.

Mala consilia causa sunt omnium malorum reipublicae,

Mala consilia in republica causa sunt omnium malorum. Destructa est synagoga quia Christum occidit; Christus autem occisus est propter malum pessimumque consilium, quod Caiphas dedit: *Quia expedit . . . ut unus moriatur homo . . . et non tota gens pereat*, quasi expediret pro salute membrorum caput amputare et pro stellarum splendore servando solem lumine privare. Tale fuit consilium impii illius novi regis in Aegypto, *qui ignorabat Ioseph* et opera eius. Videns enim populum Dei nimium multiplicatum et timens sibi ab eo, congregato concilio, dixit: *Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est; venite, sapienter opprimamus eum.* [48] Hinc omnes nervos intendit ad perdendos Hebraeos: primo durissima et vilissima servitute in operibus luti et lateris ad novas civitates aedificandas; secundo marium suffocatione per obstetrices, hoc enim secreto eis praecepit; et tertio aperte praecipiens ministris suis ut omnes infantes Hebraeorum in flumen proicerent inaudita crudelitate. [49] Hoc bellico apparatu, his arcibus, moeniis, armis et exercitibus futuro bello, quod timebat, occurrere voluit iniustitia, inhumanitate, crudelitate summa. Pereat omne ius naturale, divinum, humanum, modo regnetur.

sic Pharao malo consilio ductus volebat perdere Hebraeos.

Ratio servandi status apud principes mundi legibus omnibus naturalibus, humanis, divinis superior est. Hoc fuit consilium Ieroboam: pereat religio, verus Dei cultus, pereat fides, introducatur idololatria, erigantur vituli aurei in Bethel et in tribu Dan causa regnandi; hoc consilium Herodis, occidere Christum ne amittatur regnum. [50]

sed iisdem armis quibus contra eos usus fuerat, ipse cum universa Aegypto percussus a Deo fuit;

Sed videte, quaeso, divinae iustitiae rationem: per quae quis peccat puniri solet a Deo. [51] Rex Aegypti in perniciem Hebraeorum duobus praecipue usus est elementis: terra et aqua; terra in durissima servitute et operibus luti et lateris, et aqua ad submergendos et praefocandos infantes. Et Deus aqua et terra usus est ad puniendum eum; aquam enim convertit in sanguinem ne haberent aquam ad bibendum Aegyptii, et ex aquis infinitam produxit ranarum multitudinem per universam Aegyptum, adeo ut omnes domus et cubicula etiam ac lecti ranis plena essent; [52] terra vero, quia ex terra produxit infinitam multitudinem muscarum, cinifum, brucorum alio-

48) Ex 1, 8-10. 49) Cf. ibid. vrr. 11 sqq. 50) Cf. Mt 2, 16. 51) Cf. Sap 11, 17.
52) Cf. Ex 7, 20-21; 8, 6.

rumque id genus animalium in perniciem Aegyptiorum.[53] Voluit ille occidere omnes filios Hebraeorum, occidit Deus omnes primogenitos Aegyptiorum;[54] voluit perdere omnes Hebraeos, omnes fere Aegyptii perditi sunt et in mari Rubro suffocati.[55]

similiter Iudaei in quo peccaverunt in eo puniti sunt.

Sic etiam Iudaei puniti sunt in eo in quo peccaverunt: ne perderent statum perdiderunt Christum, sed quia Christum perdiderunt, amiserunt statum. Si Deum consuluissent, id eis minime accidisset.

In omnibus agendis prius divina voluntas consulenda et exquirenda est.

R e g i u s V a t e s aiebat: *Consilium meum iustificationes tuae,*[56] idest divinae leges sunt mea consilia; divinas semper leges consulo, dum mihi aliquid agendum est. Nec tantum divinam consulo legem, sed etiam Deum ipsum. Hinc de ipso Davide saepe legimus quod Deum consulebat cum bellum ei gerendum erat,[57] vel magni momenti opus. Patriarcha Iacob, cum audivit Ioseph filium suum vivere et principem esse Aegypti, consuluit Dominum an deberet in Aegyptum descendere.[58] Iosue deceptus fuit a Gabaonitis, quoniam non consuluit Dominum.[59] Felices qui divinam semper consulunt et exquirunt voluntatem in omnibus agendis! Si sic fecissent Iudaei, non occidissent Christum, sed tanquam verum Messiam suscepissent et adorassent tanquam Dominum gloriae et unigenitum Filium Dei.

Multae sunt causae hodierni concilii:

VI. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium adversus Iesum,* sicut Absalom cum principibus suis contra David concilium collegit. Inquirendae sunt nobis causae, quae pontifices et Pharisaeos moverunt ad concilium hoc congregandum. Causae assignantur cum dicitur: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus,* etc.

a) erronea conscientia Pharisaeorum,

Prima causa est erronea conscientia; arguunt seipsos de longiore mora ad occurrendum imminentibus periculis: *Quid facimus?* Nos pastores sumus, videmus lupum insurgentem in gregem et non contra eum insurgimus? Erronea igitur conscientia et falsus zelus religionis legisque mosaicae eos movit, quoniam existimabant per fidem Christi destrui legem Moysi religionemque divinam.

b) eorum superbia et mentis elatio,

Secunda est superbia et elatio mentis: *Quia hic homo.* Non credebant eum Filium Dei verumque Deum et verum Messiam, sed

53) Cf. ibid. 8, 17. 24; 10, 13-15. 54) Cf. ibid. 12, 29. 55) Cf. ibid. 14, 22 sqq.
56) Ps 118, 24. 57) Cf. 1 Rg 23, 2. 10-13; 30, 8; 2 Rg 5, 19. 58) Cf. Gn 46, 2-4.
59) Cf. Ios 9, 11 sqq.

nec prophetam quidem verum; hinc cum contemptu loquuntur: *Quia hic homo*, nec proprio eum dignantur nomine.

c) mala opinio de Christo.

Tertia est mala opinio quam de Christo habebant, quod magus esset, malis artibus praeditus et daemonum virtute, sicut magi Pharaonis [60] et Balaam, [61] miracula faceret: *Hic homo multa signa facit :* magnus est magus.

d) vana sui praesumptio et existimatio.

Quarta est vana praesumptio et existimatio, quoniam existimabant se Christo potentiores et validiores vitamque et mortem Christi in eorum manibus et potestate esse, cum potius eorum vita et mors in Christi potestate esset: *Si dimittimus eum sic.*

e) infidelitas et perfidia.

Quinta est infidelitas et perfidia, qua nec ipsi credebant in Christum nec alios in ipsum credere volebant. Mala etiam credulitas et existimatio quod Messias futurus erat rex temporalis, sicut David et Salomon; quare si populi in Christum credidissent, regem eum constituissent super se. A Christo autem sibi valde timebant ne rex factus omni eos gloria et honore privaret, propria ipsorum conscientia testante se apud Christum omni honore indignos tanquam inimici, et quia ab eo optime cogniti erant quales essent vita et moribus: *Omnes credent in eum*, et per consequens facient eum regem.

f) vanus timor Romanorum.

Sexta est vanus timor Romanorum: *Venient Romani et tollent locum nostrum et gentem*, idest universam rempublicam nostram perdent et de medio tollent. Vano autem huic timori vana coniuncta spes est; ubi insinuatur eorum tum ambitio tum avaritia, erant enim pontifices simoniaci: *Cum esset pontifex anni illius ;* emerant pontificatum multa pecunia, [62] non erant pontifices secundum legem.

Sed elucet in hoc concilio quam imprudens sit et caeca humana prudentia.

Elucet autem in hoc concilio quam sit imprudens et caeca humana prudentia, quae mors est, quam stulta mundana sapientia, quae Dei inimica est; [63] nescit accommodare regnum cum vero rege, impossibile ducit simul regnum et regem conservare, sed unius conservatio necesse ducit ut alterius perditio sit. Si vivit Christus, necesse est ut respublica pereat; ne pereat respublica pereat Christus. Sic mundi nobilitas nescit se cum Christi humilitate et patientia accommodare, mundi avaritia cum Christi paupertate et caritate in pauperes, mundi vanitas cum Christi simplicitate. Non fert honor mundi remissionem

60) Cf. Ex 7, 11-12. 22; 8, 8. 61) Cf. Nm 22, 5. 62) Cf. not. 38 praec. hom., pag. 167.
63) Cf. Rom 8, 6-7.

quae docet mundum Christo praeferre.

iniuriarum; mercatores nesciunt cum Christi regulis negotiari, mulieres cum Christi simplicitate sese accommodare. Pereat Christus ut maneat mundus: *Expedit vobis ut unus homo*, etc. Contrarium dixit Davidi universus exercitus, cum pergeret contra Absalomum: *Tu*, inquit, unus solus es *pro decem millibus ;* [64] hinc voluit regem in civitate servari incolumem nec se belli periculis exponere. De Elia legimus quod erat *currus Israel et auriga eius*, [65] sive, ut hebraice est, *equites eius*, idest exercitus erat Israelis inexpugnabilis. Idem legimus de Eliseo: *Pater mi, currus Israel et equites eius*, [66] idest, exercitus validissimi roboris. Sic solus Samson exercitum Philisthaeorum effudit asini mandibula armatus; [67] Isaias oratione sua destruxit universum exercitum Sennacherib. [68] Sic Christus, qui multis signis multo maiorem se ostenderat Elia, Eliseo et Isaia, potuisset virtutem suam contra Romanos exercere.

Monemur hodie ut a vitiis nobis caveamus;

VII. *Ab illo ergo die cogitaverunt*, idest decreverunt *ut interficerent illum.* [69] Monemur hic ut a vitiis nobis caveamus, maxime vero ab avaritia et ambitione, quoniam vitia haec eo ducunt hominem, ut tandem mente excaecatus etiam fidem neget. Hinc Paulus ait quod *radix . . . omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* [70]

docemur etiam fidem et religionem fundamentum esse ipsius felicitatis terrenae.

Discamus hinc quod fides et religio basis et fundamentum est bonorum etiam temporalium, felicitatis et pacis etiam in hac vita: *Iustus fundamentum est mundi*, [71] sicut patet in Noe [72] et in Pentapoli. [73] Iudaei, amissa fide, amiserunt etiam regnum et omnem felicitatem, quoniam Christum amiserunt, qui unicus thesaurus est omnium bonorum, sicut sol unicus est lucis thesaurus in mundo. Hinc, post factum decretum mortis suae in hoc infernali concilio, discessit Christus ab Ierusalem in civitatem Ephrem, [74] sive Ephraim, iuxta desertum, quae quidem civitas *2 Paralipomenon* [75] dicitur Efron, quod est pulverulentum ; sic Christus, dimissis ob impietatem Iudaeis, perrexit ad pulverulentas desertasque gentes.

64) 2 Rg 18, 3. 65) 4 Rg 2, 12. 66) Ibid. 13, 14. 67) Cf. Idc 15, 14-15. 68) Cf. 4 Rg 19, 7 sqq.; Is 37, 21 sqq. 69) Io 11, 53. Vulg.: *Interficerent eum.* 70) 1 Tim 6, 10. 71) Prv 10, 25. Ex hebraico. 72) Cf. Gn 7, 1. 73) Cf. ibid. 18, 23 sqq. 74) Cf. Io 11, 54. 75) Cf. 13, 19.

Utinam modo non discedat a nobis Christus ad Indos, qui ad haec usque nostrae aetatis tempora sepulti manserunt in pulvere, nec nisi pulvis cibus serpentis fuerunt![76] Nam si propter avaritiam et ambitionem et perfidam impietatem Christus reliquit Iudaeos, etiam quoniam pluris fecerunt statum suum quam Christum, et propter rationem status voluerunt Christum occidere, quis haec non videat vitia quam maxime in nostra hac tempestate regnare in principibus, qui, ut plurimum, alias leges non agnoscunt nisi rationes status, quas non tantum divinis legibus, sed etiam fidei praeferunt et religioni? Propterea multis in regionibus occisus est Christus per haereses et perniciosos errores. Cum Christus vidit praeferri vitae suae a principibus rationes status, discessit ab Iudaeis ad Gentes. Nunc autem videmus quod ad Indos transit Christus.[77] Utinam nos non deserat ut meremur, sed gratiam det ut resipiscamus et iuste, sancte et pie vivamus![78]

Timendum ergo est ne Christus, relictis fidelibus, transeat ad infideles.

VIII. Regius Vates *Psalmo 2* praevidit et cecinit sacra hodierni Evangelii mysteria dicens: *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania?* etc.[79] Miratur quam ob causam collectum sit hodie concilium hoc contra Christum. Hoc autem quoniam concilia non solent congregari contra aliquem in optima republica, nisi homo ille sit valde scelerosus et reipublicae perniciosus. At ipse *1 Psalmo* ostenderat infinitam Christi innocentiam: *Beatus vir qui non abiit*, etc.; sanctitatem: *Sed in lege Domini*, etc.; utilitatem communem: *Et erit tanquam lignum*, etc.:[80] Christus arbor vitae; sicut autem arbor non sibi fructificat, sed aliis, ita Christus non ad utilitatem suam operabatur divina miracula aliaque opera, sed ad utilitatem nostram. *Quare* ergo, inquit, *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania?* Quae causa eos movit? quae occasio, aut quis finis? Occasio: *Quia*, inquiunt, *hic homo multa signa facit;* finis: Ne veniant Romani et tollant *nostrum locum et gentem. Quare fremuerunt gentes ... et principes convenerunt in unum?*[81] Cur, quaeso, tot signis inspectis, cum

Hodierni concilii mysteria vaticinatus est David, describens Christi vitam sanctissimam.

et causam indicans tanti odii contra eum.

76) Cf. Gn 3, 11. 77) Notum est ex historia ecclesiastica tempore Sancti Auctoris evangelizationem apud Indos orientales et maxime occidentales, opere praesentim Patrum S. I. et Franciscalium, mirifice floruisse. Cf. Gius. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, vol. 6, pat. 2, pag. 510 sqq.; Lod. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 11, cp. 9, pag. 491-505. 78) Cf. Tit 2, 12. 79) Vr. 1. 80) Vrr. 1-3. 81) Ps 2, 2.

ipsi quoque dicant: *Hic homo multa signa facit*, non solum non crediderunt in Christum, sed etiam occidere voluerunt?

Hebraei semper ad idola propensi fuerunt, quia vitia repraesentabant ad quae homo propensissimus est.

Eandem utique ob causam, propter quam patres eorum semper multo propensiores fuere ad colendum et adorandum idola, quam vivum et verum Deum, a quo maximis signis et prodigiis liberati fuerant a durissima captivitate Aegypti et tyrannica servitute Pharaonis insuperque maximis beneficiis affecti. Quia, inquam, homo peccato infectus suapte natura ad vitia propensissimus est, ad ambitionem et superbiam, ad luxuriam et avaritiam. Quae quidem Deus et prohibebat et acri reprehensione corripiebat et severa etiam punitione corrigebat. Diabolus autem, qui in idolis colebatur, haec non solum permittebat, sed etiam suadebat, imo religionis nomine consecrabat. Hinc colebatur Venus, Cupido, Priapus, Flora. [82]

Ex voluntate depravata omnes oriuntur errores;

Cum igitur idolorum cultus omnia vitia deorum suorum exemplis honestasset et religione etiam consecrasset, mirum non est si carnales et animales homines ad colenda Gentium idola tam propensi erant, tam facile a Deo vero ad idola deficiebant. Ex voluntate enim depravata omnes pene oriuntur errores. Nam sicut stomachus male affectus caput etiam inficit, ut vel maxime in ebriis patet, sic prava voluntas inficit intellectum atque depravat. Sicut enim primum mobile trahit omnes alias sphaeras coelestes totumque coelum et astra, sic voluntas omnes alias animae potentias. Hinc accidit ut homo quidem saepe rationibus sit intellectu convictus, renitente tamen voluntate, minime persuasus ad aliquid agendum. Hanc igitur ob causam Iudaei Christo minime adhaesere, quoniam cum depravato essent animo, avaritia et ambitione ac superbia pessime infecto, ferre non poterant Christi vitam atque doctrinam vitia damnantem. Hinc ait: *Me... odit* mundus *quia ego testimonium perhibeo quia opera eius mala sunt.* [83]

hinc Iudaei, depravati cum essent, Christi vitam et doctrinam ferre non poterant.

82) De his turpissimis diis cf. Tertullianus *Apologeticus*, cp. 9, (P. L. 1, 314-327); Minucius Felix *Dialogus*, cp. 24, ibid. 3, 312-315; Alph. Tostatus *Comment. in Exodum*, cp. 20, q. 50, t. 2, pag. 362-363; *In Deuteronomium*, cp, 7, q. 3, t. 5, pag. 63; *In Tertium Regum*, cp. 15, q. 11-12, t. 9, pag. 237-238.

83) Io 7, 7. Vulg.: *Quod opera eius*, etc.

III. ALIA HOMILIA

Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex, etc.

I. Sicut columna illa nubis et ignis, quae populo per desertum ducatum praebuit, posita inter duos exercitus Hebraeorum et Aegyptiorum duplicem habebat faciem: versus Hebraeos claram ac lucidam, sed versus Aegyptios obscuram et tenebrosam,[2] et sicut nubes illa, in qua descendit Deus supra montem Sinai ad dandam legem, extrinsecus quidem caligo erat obscurissima, sed intrinsecus tota lux et clarissimus ignis,[3] ita hodiernum concilium, cum humanum sit et divinum: quatenus humanum est pessimum est, quatenus vero divinum optimum. Sicut E z e c h i e l vidit in spiritu magnam nubem igne involutam, quae magno vento ab aquilone agitabatur, sed in medio nubis illius horribilis vidit gloriam Dei,[4] sic utique in hoc concilio accidit. Nam cum sit concilium diabolicum, contra unigenitum Filium Dei a satana collectum et coactum, aquila tamen I o a n n i s acutissimi visus intra densissimas has tenebras horribilis impietatis clarissimam lucem perspicit divini consilii.

Hodiernum concilium quatenus humanum pessimum est,

sed quatenus divinum optimum;

Quare duo nobis proponit concilia I o a n n e s: unum terrenum, alterum coeleste; unum infernale et diabolicum, alterum angelicum et divinum. Utriusque autem concilii unam eandemque conclusionem ac determinationem, unum idemque decretum et sententiam declarat, ut Christus moriatur; non tamen utriusque unus idemque finis, nec una eademque sententia quoad intentionem et animum. Est enim veluti aequivoca propositio duos habens sensus: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Nam duplex est perditio et duplex salus: temporalis et aeterna, corporalis et spiritualis; sicut tum medicus corporalis tum spiritualis dicet infirmo: Ad salutem consequendam oportet bonam vitam agere; sed non idem utriusque est sensus.

utriusque autem eadem sententia, sed non idem animus et finis.

1) Io 11, 50-51. 2) Cf. Ex 14, 20. 3) Cf. ibid. 19, 16-18. 4) Cf. 1, 4.

II. Et quidem concilium hoc quatenus humanum est, summa plenum est mentis caecitate et animi horribili perversitate. Moti sunt ad cogendum concilium hoc miraculo suscitationis Lazari,[5] post illuminationem caeci nati[6] aliaque innumera. Hinc aiunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani,* etc.[7] O caecam consultationem! Quid, quaeso? Num malum est et reipublicae perniciosum miracula facere, caecos illuminare, infirmos sanare, mortuos suscitare? Num mala res est credere prophetae Dei, vero Messiae? *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Unde nostis quod si non dimiseritis, non credet mundus in eum? Ecce in Crucifixum credidit. Si credent in eum omnes, non credent Romani. Unde nostis? Ecce iam Romani credunt. *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* Fides haec, inquiunt, reipublicae perniciosa est. Unde nostis quod, si Christum occideritis, Romani non venient contra vos? Ecce a Romanis destructi estis.

Quatenus humanum plenum est mentis caecitate,

Non tantum caeca haec consultatio est, sed etiam perversa, nam praeferunt humana divinis, temporalia spiritualibus, Romanos magis timent quam Deum, humanam potentiam quam divinam iustitiam. Sententia etiam Caiphae falsa est et iniqua: falsa, quia non ita evenit ut consuluit; iniqua, quoniam iniustum homicidium hominis iusti et sanctissimi suasit.

et perversitate, qua iniquam sententiam proferunt:

Concilium hoc prima facie bonum videtur, quoniam magnum est et generale concilium, synodus oecumenica totius synagogae, sacra congregatio omnium principum, praelatorum et doctorum synagogae una cum pontifice, cum summo sacerdote. Collectae sunt undique personae magnae auctoritatis, scientiae, doctrinae et valoris; magna ex causa, ad decernendum quid agendum sit de Christo, quem fere omnes verum Messiam esse credebant. Erat causa et negotium maximi, summi momenti; sed consultatio et conclusio concilium hoc vere diabolicum ostendit, plenum summa perversitate et impietate maximaque mentis caecitate.

ideo quamvis legitime collectum, diabolicum fuisse probant consultatio et conclusio.

Consultatio enim vere impia est; ita sibi bonisque suis consulere ac providere volunt ac si non esset Deus in mundo: *Quid facimus, quia*

5) Cf. Io 11, 14-44. 6) Cf. ibid. 9, 1-34. 7) Ibid. 11, 47-48.

hic homo multa signa facit? multa miracula ad ostendendum se verum esse Messiam? Non dicunt: *Scimus quod hic homo peccator est,* [8] quod seductor est, quod miracula eius falsa sunt; sed dato, inquiunt, quod sit verus Messias, si omnes miraculis ducti hoc credent, eum tanquam regem venerabuntur, in regem acceptabunt; nam Messias rex futurus erat.[9] Si hic regium diadema sumet, Romani contra nos arma levabunt. Quid igitur, o Iudaei? An non a Deo Messias vobis promissus est? Si igitur nunc missus est ad salutem vestram, quid timetis? quid dubitatis? Non poterit vos Deus a potentia Romanorum defendere? Si pii cultores Dei estis, dicendum vobis est: hic utique verus Messias est, ut eius miracula probant; ergo Deus nobiscum est; *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* [10] Sed ipsi, ac si nihil penitus divina providentia mundum curaret, humana tantum prudentia cum iniquitate volunt res suas suamque rempublicam stabilire: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* ut verum Messiam.

Consultatio impia est, Romanorum enim magis quam Dei potentiam timere se ostendunt.

Sed, o stulti! si talia tantaque signa operari potest supernaturali virtute divinaque potentia, ut omnes veluti cogantur credere eum esse Messiam, poterit etiam signa facere contra Romanos, ut vos defendat a Romanorum armis, sicut Moyses in Aegypto fecit; fregit enim superbiam et potentiam Pharaonis populumque a durissima illa servitute liberavit. [11] Si hoc potuit Moyses famulus Dei, quanto magis Messias Filius Dei? Ergo propter metum Romanorum non est suscipiendus Messias a Deo missus? Non est credendum ei?

quasi Christus Messias non potuisset facere contra Romanos quod potuit Moyses contra Pharaonem;

Conclusio etiam et determinatio huius concilii caeca et iniqua est: *Ab illo . . . die cogitaverunt ut interficerent eum,* [12] *quia expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Nam unus homo aliquando causa est salutis totius populi, sicut fuit Moyses, sicut Samson fortissimus; [13] David pro decem millibus militum pro magno exercitu ipse solus reputabatur; [14] Elias dictus est *currus Israel et equites eius,* [15] idest exercitus potentissimus ad defensionem Israel; similiter Eliseus dictus est *currus Israel et exercitus eius;* [16] Deus dixit Abrahamo quod, si reperiisset decem iustos in Sodomis, pepercisset toti civitati;[17] per I e r e m i a m vero ait quod, si iustum unum

conclusio etiam caeca et iniqua est, nam ad mortem damnatur homo qui vere causa est salutis omnium.

8) Ibid. 9, 24. Vulg.: *Quia hic,* etc. 9) Cf. Is 33, 22; Ier 23, 5; Mich 4, 7.
10) Rom 8, 31. 11) Cf. Ex 14, 1 sqq. 12) Io 11, 53. 13) Cf. Idc 15, 1-16, 1 sqq. 14) Cf. 2 Rg 18, 3. 15) 4 Rg 2, 12. Ex hebraico. 16) Ibid. 13, 14.
17) Cf. Gn 18, 32-33.

in Ierusalem reperiisset, civitatem minime destruxisset.[18] Quomodo ergo *expedit ut unus homo*, Christus Filius [Dei] potentissimus ad salvandum,[19] *moriatur*, ne *tota gens pereat*, cum ipse sit causa salutis?

Sed quatenus divinum, concilium hoc plenum est bonitate et sapientia;

III. Sed tamen intra horribiles has infernalesque tenebras splendet lux divinae bonitatis et sapientiae. Pro salute humani generis etiam Deus totaque Trinitas concilium Angelorum collegit contra diabolum. In terra coactum est contra Christum, sed in coelo contra diabolum. Collegit, inquam, Deus in coelo collegium Angelorum contra diabolum, sicut *3 Regum* legimus congregatum a Deo concilium omnium Angelorum contra impium regem Achab.[20]

Deus collegit concilium contra satanam, qui mundum seducebat a vero cultu omnes fere homines avertens,

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? Satanas dicitur *homo inimicus*. Sic ait: *Venit inimicus homo et superseminavit zizania.*[21] Iudaei congregant contra Christum concilium veluti contra inimicum et reipublicae ipsorum destructorem. Sic Deus contra satanam: Hic homo inimicus noster magna signa facit, utique mendacia, per magos homines malis artibus imbutos, per oracula et responsa idolorum, quibus totum fere mundum seduxit et a vero Dei cultu avertit satanas. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, omnes eum colent, nullus erit in mundo verus Dei cultus, sed tantum idololatria. *Venient Romani*, daemones, *et tollent nostrum locum et gentem*, Ecclesiam, in qua Dei cultus erat: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius. Factus est in pace*, בְּשָׁלֵם,[22] *locus eius et habitatio eius in Sion.*[23]

et ut mundum salvaret, Christi mortem decrevit.

Cum autem vix Angeli quid agendum esset pro humani generis salute contra diabolum cogitare possent, sicut in concilio contra Achab legimus, ait Deus: *Vos nescitis quicquam nec cogitatis quia expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Nec Angeli quidem talem tantamque excogitare Dei erga hominem caritatem potuissent, qua *sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[24]

Plenum est hoc divinum concilium summa sapientia et bonitate:

18) Cf. 5, 1. 19) Cf. Is 63, 1. 20) Cf. 22, 19-20. 21) Mt 13, 25. 28.
22) Ms.: *In Salem.* 23) Ps 75 (hebr. 76), 2-3. 24) Io 3, 16, Vulg.: *Qui credit in eum, etc.*

sapientia, qua modum adinvenit expedientissimum et convenientissimum ad salvandum genus humanum. Unus peccavit homo, *unus moriatur*, quoniam *stipendia... peccati mors;* [25] unus causa fuit perditionis totius mundi, unus sit causa salutis; per unum mors, per unum vita: [26] *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* [27] Homo victus fuit a diabolo, homo nunc diabolum vincat, liberet hominem et servum hominis diabolum faciat. *Unus moriatur homo* corpore, ut salvet omnes animas; patiatur mortem carnis, ut hominem liberet a morte spiritus; sustineat mortem momentaneam, ut salvet mundum ab aeterna; amittat vitam temporalem, ut homini elargiatur perpetuam in coelo, in paradiso. Haec Dei sapientia est.

Maxime elucet Dei sapientia in oeconomia redemptionis, nam per unum hominem mors et per unum vita;

Bonitas etiam hic elucet caritasque infinita: *Ut unus moriatur homo pro populo.* Quis haec dicit? Deus. Quis est hic *homo?* Christus unigenitus Dei, de quo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [28] *Quis audivit unquam tale et quis vidit huic simile,* [29] ut rex unicum habens filium dilectissimum dicat: Expedit ut filius meus moriatur ne servi mei pereant? *Expedit;* non necesse est, sed *expedit* ut patiatur, ut moriatur tanquam verus homo: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* [30] Remedium salutis nostrae dare voluit non tantum sufficiens, sed efficax. Unus tantum virtutis Christi actus sufficiens fuisset ad meritum salutis, sicut unum Adami peccatum meruit perditionem totius mundi.

elucet etiam bonitas, quae Filium Dei morti tradens remedium salutis nostrae dare voluit non tantum sufficiens, sed et efficax.

Sed ad salutem hanc consequendam fide et caritate opus est; ut homo Deum cognoscat et diligat, ita ut propter Deum mundum, carnem, seipsum contemnat; requiritur liberum arbitrium ut ad Deum vere convertatur. Ad movendum autem animum hominis levandumque ad coelestia magna virtute opus est. Ut igitur Christus suo nos moveret exemplo, passioni et morti traditus est: *Christus passus pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* [31] Morti traditus et tali tantaeque passioni, ut cognosceremus divini erga nos amoris magnitudinem, quo *sic... dilexit mundum, ut Filium*

Ad salutem hanc consequendam opus est fide et caritate.

25) Rom 6, 23. 26) Cf. ibid. 5, 18-19. 27) 1 Cor 15, 22. 28) Mt 17, 5; 2 Petr 1, 17. 29) Is 66, 8. 30) Phil 2, 7. 31) 1 Petr 2, 21.

suum unigenitum daret, ut tali tantoque Dei erga nos cognito amore, nos quoque ad Deum redamandum moveremur. Sic, ut remedium hoc salutis nostrae non solum esset sufficiens, sed etiam efficax, expediens iudicavit Deus ut Christus moreretur.

Elucent tandem misericordia et iustitia Dei.

Similiter ad ostensionem misericordiae et iustitiae suae. Sic Paulus ait *Romanis : Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit . . . propitiatorem . . . ad ostensionem iustitiae suae.* [32] Nam voluit Christus esse veluti fideiussor pro Adamo apud Deum, pro thesauro gratiae et iustitiae accepto pro se et universo genere humano. Amisit Adam thesaurum hunc peccando, non fuit solvendo iustitiae divinae; requisivit solutionem a Christo ut solveret universum debitum usque ad minimum quadrantem. [33]

Tria requiruntur in rectoribus reipublicae: auctoritas, scientia et zelus iustitiae.

IV. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium,* etc. In viris, qui rempublicam administrant, tria requiruntur: ut sint viri auctoritatis, habeant legitimam et iuridicam potestatem administrandi rempublicam et iudicandi; ut magna sint scientia, experientia et prudentia praediti, et tandem ut bonam habeant conscientiam, zelum iustitiae, timorem Dei, magnum animi candorem. Si enim iustitia in rectoribus desit, actum est de republica, sicut luce clarius cernimus in Iudaeorum republica. Collegerunt hodie concilium hoc viri habentes auctoritatem, pontifices et Pharisaei, viri prudentes, nam prudentiae est consiliari, consultare negotia; sed iustitia defuit.

Sicut duplex est consilium: bonum quod oritur a prudentia spiritus, malum a prudentia carnis,

Oritur consilium a prudentia; sed est prudentia carnis et prudentia spiritus, [34] sapientia divina et sapientia mundana, animalis, diabolica. [35] Sic duplex est consilium: bonum et malum; bonum, quale fuit quod senes et sapientes consiliarii Salomonis dederunt Roboam; malum, quod ei iuvenes dederunt in regni sui perniciem et ruinam. [36] Duplex, inquam, est consilium: bonum a prudentia spiritus, malum a prudentia carnis.

Sic duo sunt magni consiliarii: Christus, de quo legimus: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,* [37] et satanas, qui

32) 3, 24-25. Vulg.: *Proposuit . . . propitiationem,* etc. *Propitiatorem* lect. cod.
33) Cf. Mt 5, 26. 34) Cf. Rom 8, 6. 35) Cf. Iac 3, 15. 36) Cf. 3 Rg 12, 6-19.
37) Is 9, 6.

a principio pessimum dedit parentibus nostris consilium transgrediendi praeceptum Dei sub specie et colore magni emolumenti: *Nequaquam... moriemini*, sed *eritis tanquam dii scientes bonum et malum.* [38] Boni sequuntur consilia Christi, mali autem consilia diaboli. Regius Vates ait: *Consilium meum iustificationes tuae.* [39] Semper aliquid facturus ad regni spectans regimen divinam legem consulebat, si secundum leges tuta conscientia fieri poterat. Sic veri servi Dei faciunt.

sic duo sunt magni consiliarii: Christus et satanas.

38) Gn 3, 4-5. Vulg.: *Sicut dii*, etc. 39) Ps 118, 24.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Christus, morte devicta, regali cum triumpho Ierosolymam ingreditur.

I. Sicut rex quilibet huius saeculi reversus a bello cum victoria, superatis feliciter potentibus inimicis, magna cum gloria et glorioso cum triumpho ingreditur in civitatem totius regni sui metropolim, in triumphali curru, principibus circumseptus, stipatus exercitibus peditum equitumque, qui eum et praecedunt et subsequuntur, occurrunt ei populi cum acclamationibus faustissimis, eriguntur arcus triumphales cum mille epitaphiis ac caenotaphiis, mille hieroglyphicis et stemmatibus, personant tubae, pulsantur campanae, tonant bellica tormenta, accenduntur mille artificiales ignes, resonat universa terra, dantur omnia signa laetitiae; sic hodie Christus, *Rex regum et Dominus dominantium,* [1] cum triumphali gloria et glorioso triumpho ingreditur Ierosolymam, acclamantibus populis cum palmis et ramis olivarum: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel,* [2] quoniam Lazarum resuscitando mortem invincibilem, infernum et diabolum vicisse se gloriosissime demonstravit: *Propterea* enim *obviam ei venit turba, quia audierant eum fecisse hoc signum,* [3] utique infinitae potentiae et virtutis divinae.

Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit, etc. [4]

II. Cum fortissimus David, a Deo electus in regem super universum Israelem tanquam vir secundum cor ipsius Dei, [5] prostrasset

1) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 2) Io 12, 13. 3) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Venit et turba, quia audierunt,* etc. 4) Pericope huius diei Mt 21, 1-9. Sic legitur in Missali Rom. Vulg.: *Cum appropinquassent Ierosolymis et venissent... tunc Iesus misit,* etc. 5) Cf. 1 Rg 13, 14.

atque vicisset fortissimum et invincibilem illum gigantem Goliam, omnibus formidabilem, [6] susceptus fuit in Ierusalem magna cum gloria et triumpho; [7] sic Christus, mysticus David, magno cum triumpho recipitur hodie in Ierusalem, eo quod Lazarum resuscitando mortem superarit ac vicerit. Quis gigas in mundo morte fortior, quae omnes occidit gigantes, quae totum mundum ad nihilum redigit, principes, reges, imperatores, pontifices totumque mundum? Christus gigantem hunc superavit, hinc meruit hodie triumphum gloriosum.

Magni huius triumphi figura fuit triumphus David, gigante prostrato.

Magnus profecto fuit hodiernus Christi triumphus si consideremus triumphatorem Christum: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.* [8] Rex Christus est ter unctus, sicut David, qui primo unctus fuit a Samuele secreto in domo patris sui, [9] secundo, mortuo Saule, in Hebron a tribu Iuda, [10] et tertio in Ierusalem ab universo Israele, [11] sic Christus primo unctus rex in utero matris, secundo in gloriosa resurrectione et tertio in ascensione, qua *assumptus . . . in coelum . . . sedet a dextris Dei.* [12]

Triumphator Christus est, qui sicut David, rex ter unctus fuit,

Et unctio quidem haec triplex designat etiam triplex Christi regnum; est enim Christus rex universalis naturae, universalis Ecclesiae et universi paradisi. Rex Christus est fortissimus sicut David, sapientissimus sicut Salomon, [13] optimus sicut Ezechias [14] et Iosias: [15] *Rex tuus venit tibi iustus et salvator.*

quia rex est universalis, fortissimus, sapientissimus.

Tria haec Christo propria sunt: regem esse, iustum et salvatorem esse. Regem esse est esse dominum absolutum et liberum, nulli superiori potestati subiectum. Sed impossibile est ut creatura non sit creatori subiecta, nec potest id facere Deus; ob id enim non potest alium Deum facere sibi aequalem. Quia vero regalis dignitas id requirit suapte natura, hinc Deus neque in angelica, neque in ec-

Christus essentialiter rex est iustus et salvator, quia verus Deus;

6) Cf. ibid. 17, 40-54. 7) Cf. ibid. 18, 6-7. In margine haec adiecta fuerunt: «Sicut David figura Christi fuit, ita triumphus David hodierni triumphi Christi. Sed sicut in multis differt David a Christo, ita et triumphus a triumpho. David purus homo, Christus Deus et homo; David rex ab hominibus electus, Christus rex suapte natura; David rex temporalis, Christus aeternus; David rex terrenus, Christus coelestis; David rex hominum, Christus et Angelorum; David rex unius tantum particulae mundi, Christus rex universi mundi. Quo autem maior Christus Davide, eo triumphus Christi triumpho ipsius Davidis. Ille fuit magnus, hic autem maximus; ille mirabilis, hic maximum miraculum: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,* hinc mirati sunt omnes, commota est universa civitas dicens: *Quis est hic* ». 8) Zach 9, 9; Mt 21, 5. 9) Cf. 1 Rg 16, 1-13. 10) Cf. 2 Rg 2, 4. 11) Cf. ibid. 5, 3. 12) Mc 16, 19. 13) Cf. Eccli 47, 2-18. 14) Cf. ibid. 48, 19 sqq. 15) Cf. ibid. 49, 1-5.

clesiastica hierarchia regiam dignitatem instituit. In Angelis sunt Principatus, Potestates, Dominationes, non tamen reges. Hominem Deus principem mundi statuit, non tamen regem, sed divino imperio voluit esse subiectum. Solus Christus est verus rex, quia non tantum homo, sed etiam vivus et verus Deus est. Sic etiam solus Christus essentialiter iustus et iustificans Deus; solus Christus salvator ab omni malo temporali et aeterno omnisque boni fons et vitae aeternae largitor: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*

rex est coelestis non terrenus, divinus non humanus,

Rex iste coelestis est non terrenus, divinus non humanus: *Regnum meum non est ex hoc mundo ;* [16] hinc in oculis mundi *ipse pauper* et *sedens super asinum . . . filium subiugalis.*[17] Rex iste est veluti opposita pars numismatis regum mundi; hi enim potius sunt tyranni quam reges, et potius lupi quam pastores; non curant nisi temporalia bona, delicias, divitias et gloriam. Christus autem nihil horum: *Ipse pauper.*

nullis egens rebus terrestribus,

Reges mundi opus habent aerariis copiosis magnisque exercitibus ad defensionem sui et offensionem inimici; opus habent ministris pro regni regimine, quoniam ipsi nec possunt per se, nec sciunt facere omnia; opus habent divitiis, quia pro victu et vestitu sui et suorum multis, multis egent. Non sic Christus, quia omnipotens est, omnia per seipsum potest, omnia ipse novit, nullius eget.

ditissimus bonis coelestibus.

Hinc *ipse pauper,* pauper et dives, pauperrimus et ditissimus, *iustus et salvator.* Hae sunt Christi infinitae divitiae: ditissimus coelestibus et divinis thesauris, pauperrimus terrenis atque mundanis. Reges autem mundi totum oppositum sunt.

Triumphus Christi non est sicut triumphus mundanorum principum,

III. Triumphus etiam Christi ex diametro oppositus est triumphis mundanorum principum; hi enim nonnisi parta victoria triumphant, quoniam belli eventus incertus est, Christus autem triumphare voluit ante victoriam. In passione enim sua Christus pugnavit contra diabolum et infernum mortemque; sed sciens se certissime victurum, ante passionem voluit triumphare in Ecclesia militanti; post passionem triumphaturus ascendens in coelum, in Ecclesia triumphanti.

Mundani principes non ingrediuntur cum triumpho in civitatem

16) Io 18, 36. Vulg.: *De hoc mundo.* lect. cod.

17) Mt 21, 5. Vulg.: *Super asinam,* etc. *Asinum*

metropolim inimicorum principum, nisi illis debellatis; sed Christus cum triumpho hodie ingreditur Ierosolymam, cuius principes erant inimicissimi Christo et iam contra eum universale concilium congregaverant decretumque fecerant perdendi eum, mandatumque dederant, ut si quis nosset ubi Christus erat, indicaret ut apprehenderent eum.[18] Habebatur a principibus Iudaeorum tanquam publicus hostis; et tamen triumphans hodie, invitis illis, ingreditur Ierosolymam cum faustissimis acclamationibus, pergit in templum et inde omnes vendentes et ementes eicit.[19]

nam triumphat hodie ante victoriam, inimicis adhuc non debellatis,

O miraculum divinitatis veraeque deitatis Christi! Triumphant mundani principes ob partam de inimicis victoriam, cum multa hominum millia trucidarint; triumphat Christus eo quod hominem a morte ad vitam revocarit. Triumphant illi magna cum superbia et pompa, Christus autem summa cum humilitate et mansuetudine, non super currum triumphalem superbis equis vel elephantibus vectum, sed *sedens super asinum;* non armatis exercitibus circumseptus, sed simplicibus et pacificis turbis. Laetantur summopere principes in die triumphi; Christus autem tristatus est hodie, nam: *Videns civitatem flevit super eam.*[20]

non cum superbia et pompa, sed magna cum humilitate et mansuetudine,

Mundani principes in die triumphi honorantur praecipue a potentibus et magnatibus: hi occurrunt, hi recipiunt, hi serviunt; Christus autem a pauperibus et simplicibus turbis; cum tamen infinito dignus sit honore qui ei ab omnibus exhibeatur, cum sit *Rex regum et Dominus dominantium*, rex infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae et caritatis, omni virtute divinitus omnique dignitate praeditus, a pauperibus tamen, non a divitibus hodie honoratur.

non a magnatibus honoratus, sed a pauperibus acclamatus.

IV. Sic Christus per omnem modum mundo voluit esse oppositus; hinc turbae non fecerunt hodie Christo ex suis vestibus baldachinum supra caput, sed sub pedibus: *Plurima autem turba sternebant vestimenta sua in via.*[21] Mundanis principibus baldachino operitur coelum, non terra; Christo autem terra, non coelum, quia ipse totus coelestis et divinus est. Hinc, quoniam totus coelestis et divinus

Christus rex coelestis est copiam omnium bonorum nobis afferens;

18) Cf. Io 11, 47 sqq. 19) Cf. Mt 21, 12. 20) Lc 19, 41. Vulg.: *Super illam.*
21) Mt 21, 8. Vulg.: *Straverunt vestimenta,* etc.

rex Christus est, infinitam bonorum coelestium copiam ad nos e coelo afferens, D i v i n u s V a t e s ait universae Ecclesiae: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem : ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.* [22] Exultatio et laetitia oritur ex praesentia boni, quo magnopere delectamur et gaudemus dum fruimur. Christus autem omne bonum est, infinitum bonum. *Ecce rex,* qui non pendet a regno sicut reges mundani, sed a quo universum pendet regnum, sicut sol in coelo non pendet a stellis, sed stellae ab eo. *Ecce rex,* non ab hominibus electus, non sorte factus, non hereditario iure constitutus, sed rex naturalis, qui suapte natura rex est. *Rex tuus,* verus Messias, summus rex, summus sacerdos, et summus propheta. *Ecce rex tuus,* qui totus *tuus* est, ex nimia caritate et amore; *rex tuus,* qui totum se dedit tibi. *Venit* e coelo in terram, a Deo in mundum; *venit* a Deo missus tibi ad salutem tuam, ad gloriam tuam; *venit tibi iustus,* ad iustificandum et sanctificandum te ab omni peccato; *et salvator* tuus a morte aeterna, largitor vitae et gloriae sempiternae.

et *rex* dicitur, quia verus Messias ad salutem omnium missus,

omnes iustificans et salvans.

V. Sed, quaeso, consideremus paulo attentius celebritatem hodierni huius triumphi: locum, tempus, causam, personas, modum et mysterium. Discessit hodie Christus a Bethania, ubi Lazarum suscitaverat, ut iret in Ierusalem; secuta est autem eum turba multa a Bethania, nam multi ab Ierosolymis venerant ad videndum tum Christum tum etiam Lazarum ab eo suscitatum. [23] Cumque ad radices montis Oliveti Dominus propinquasset, misit duos de discipulis suis pro iumentis ducendis; quibus adductis, Apostoli super ea ponentes vestimenta sua Dominum *desuper sedere fecerunt.* [24] Tunc turbae imitantes et superantes pietatem Apostolorum, coeperunt sternere vestimenta sua in via, caedentes de arboribus frondes et ramos. Interea Ierosolymis auditus est Domini adventus, et turba multa, quae venerat ad diem festum, audita fama miraculi, accipientes ramos palmarum processerunt obviam Christo acclamantes: [25] *Hosanna, benedictus qui venit rex in nomine Domini,* [26] *rex Israel ;* [27] *Pax in coelo et gloria in excelsis;* [28] *Benedictum, quia venit regnum patris nostri*

Huius triumphi circumstantiae attentius considerantur:

22) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi,* etc. 23) Cf. Mc 11, 1; Lc 19, 29; Io 12, 1-9.
24) Mt 21, 7. 25) Ms.: *Acclamante.* 26) Lc 19, 38. 27) Io 12, 13.
28) Lc 19, 38.

David ; [29] *Hosanna filio David.* [30] Et sic acclamantes omnes turbae, et quae praeibant et quae sequebantur, duxerunt Christum in Ierusalem usque ad templum Domini summa cum admiratione et stupore universae civitatis, nam: *Commota est universa civitas dicens : Quis est hic?* [31] Locus igitur hodierni triumphi fuit a descensu montis Oliveti usque in Ierusalem per iter sabbati; [32] tempus, prope festum Paschae; causa autem fuit gloriosa fama suscitationis Lazari cum innumeris aliis miraculis; personae partim venientes cum Christo a Bethania, partim occurrentes ab Ierusalem; modus: equitabat Christus super pullum asinae in medio turbarum acclamantium *Hosanna*, prosternentium vestimenta in terra, gestantium ramos palmarum et olivarum; mysterium autem est, ut manifestaretur Christus verus Messias esse, patribus promissus et expectatus, et quod libens, non coactus, crucis mortem subibat.

locus, tempus, causa, personae, modus, mysterium.

Festivus hodie Christus pergit ad locum supplicii; agnus enim paschalis decimaquarta luna immolandus, iubebatur decima luna in domum ubi immolandus erat deferri. [33] Sic Christus hodie, decima utique luna, ire in Ierusalem voluit, ubi crucifigendus erat; ivit autem festivus, quoniam libentissime pro nobis mortem obibat. Erat Christus *Sol iustitiae* [34] passurus mortis eclipsim; voluit ante splendidissima hac luce divinae gloriae suae fulgidissime nitere, ut clarissime mundus agnosceret se non necessitate, sed voluntate passum esse mortis eclipsim.

Festivus hodie Christus pergit ad locum supplicii, quia libentissime pro nobis mortem obibat.

Iter vero quod conficit hodie Christus a loco, ubi Lazarum suscitavit, usque ad Ierusalem et templum Domini, mysterium est ascensionis Christi ex hoc mundo, qui Bethania est, in paradisum, quae est Ierusalem in aeternum manens. Mons autem Oliveti gratiam significat, quae media est inter naturam et gloriam; turbae occurrentes a Ierusalem Angelos, qui Christo obviam venerunt, et turbae sequentes a Bethania animas Sanctorum designant, quae cum Christo in coelestem Ierusalem ingressae sunt; templum autem consessum paternae dexterae significat; animal vero, super quo Christus sedet, mundum ipsum significat, nam *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis ;* [35] duo

Iter hodiernum Christi a Bethania in Ierusalem mysterium ascensionis eius in coelum significat.

29) Mc 11, 10. Vulg.: *Quod venit,* etc. 30) Mt 21, 9. 31) Ibid. vr. 10.
32) Cf. Act 1, 12. 33) Cf. Ex 12, 15-20. 34) Mal 4, 2. 35) Ps 48, 13. 21.

autem animalia significant sexum utrunque humanae naturae ac utrunque populum: hebraeum et gentilem; sessio autem principatum significat; rami palmarum Christi victoriam contra diabolum, mortem et infernum; rami vero olivarum Christi clementiam, ob id enim dicitur *rex . . . iustus et salvator.* Et hodie in templo suam tum iustitiam tum misericordiam ostendit: iustitiam, qua mercatores inde eiecit, misericordiam, qua sanavit caecos et claudos accedentes ad eum.[36]

Ostenditur hodie Christi regis omniscientia

VI. *Ecce rex tuus.* Rex ille Christus est, de quo per Ieremiam Dominus ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster:* יְהוָה צִדְקֵנוּ;[37] *sapiens erit, intelliget.*[38] Et hodie ostenditur Christi omnis scientia, cum mittens discipulos ait: *Statim,* introeuntibus vobis, *invenietis asinam alligatam et pullum cum ea,*[39] *super quem nemo . . . hominum sedit;*[40] et sic factum est. Praedicit etiam Ierosolymorum futurum excidium.

omnipotentia,

Ostendit etiam suam omnipotentiam: *Dicite quia Dominus* absolute *his opus habet; et statim dimittet eos.*[41] Indignati fuerunt domini iumentorum videntes discipulos absque eorum licentia solvere iumenta non nihil offensi; sed statim ut audierunt: *Dominus his opus habet,* dimiserunt eos divina auctoritate commoti. *Dominus his opus habet;* Dominus universorum:[42] *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.*

mansuetudo et humilitas,

Igitur: *Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem,* quia *rex tuus venit tibi, rex tuus,* qui est Dominus omnipotens, Dominus omnisciens, Dominus Optimus Maximus, *venit tibi iustus et salvator; Venit tibi mansuetus,* inquit Matthaeus;[43] non venit in gloria maiestatis ut terreat, sicut cum venit ad dandam legem,[44] sed venit *mansuetus,* in mansuetudine, in humilitate. Reges mundi alio induuntur habitu in die coronationis, alio in die nuptiarum, alio cum sedent pro tribunali et alio cum sedent in convivio, alio cum pergunt in

36) Cf. Mt 21, 14. 37) 23, 5-6. Ms.: *Iehovah zidkenu.* 38) Is 52, 13. 39) Mt 21, 2. 40) Mc 11, 2. 41) Mt 21, 3. Vulg.: *Et confestim dimittet eum.* 42) Cf. 2 Mach 14, 35. 43) 21, 5. 44) Cf. Ex 19, 9 sqq.

proelium et alio cum egrediuntur ad venandum. Sic alio habitu venit ad dandam legem, alio ad praedicandum Evangelium et alio veniet ad iudicandum mundum.

Tanta est humilis mansuetudo Christi quanta eius maiestas, misericordia et caritas

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Mansuetudo virtus est omnibus grata, placet vir mansuetus et humilis omnibus. Humilis autem mansuetudo in principibus maxime desideratur. Christus vero ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [45] Sicut solus Christus dici iure potest *rex iustus et salvator*, ita solus Christus rex *mansuetus*, veluti alter Moyses *vir mitissimus* [46] et David mansuetissimus, cuius tanta est mansuetudo et humilitas quanta et dignitas maiestatis, iustitia, misericordia et caritas: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus ... esse se aequalem Deo ... semetipsum exinanivit ... humiliavit semetipsum ... usque ad mortem ... crucis.* [47]

Figura Christi Cherub habens faciem hominis et faciem leonis.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Est Christus Cherub habens faciem hominis et faciem leonis; [48] nec tamen omnibus faciem hominis hodie ostendit, sed multis faciem leonis de templo eos eiciens; hinc non simpliciter dicitur: *Venit mansuetus*, sed *tibi*. Cum venerit ad iudicandum Christus, videbitur eius facies tum hominis tum leonis. Si tuus rex Christus est, o homo, *venit tibi mansuetus*, exultandum tibi ac iubilandum valde est, quoniam *venit tibi*. Sed vide an tuus sit rex, an regi huic tu servias et obedias.

Christo debetur infinitus honor et gloria.

VII. Summo cum honore Christus hodie in Ierusalem receptus fuit, et merito; infinitus enim Christo debetur honor et gloria. Sic enim honor debetur dignitati et principatui, unde regibus et pontificibus dantur supremi honores; si fortitudini debetur honor, unde victores milites donabantur coronis et principes post partam victoriam triumphabant; si honor debetur sapientiae et doctrinae, hinc coronabantur poetae et sapientes magno in honore habiti sunt; si tandem virtuti et sanctitati debetur honor, unde Sanctos honoramus et adoramus; Christus quidem *rex regum est*, victor diaboli, mundi, mortis, peccati et inferni; in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [49] Dei; ipse denique *Sanctus sanctorum* [50] est et *Sol iustitiae.* Multis igitur nominibus Christo infinitus debetur honor et gloria.

45) Mt 11, 29. 46) Nm 12, 3. 47) Phil 2, 6-8. 48) Cf. Ez 1, 10; 10, 14.
49) Col 2, 3. 50) Dn 9, 24.

Verbis et factis honorandus est, sicut hodie honoratur a turbis.

Honoratur autem Christus hodie a fideli turba verbis et factis: verbis quidem, nam *turbae... quae praecedebant et quae sequebantur clamabant :... Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, hosanna in excelsis ; pax in terra et gloria in excelsis ;* factis vero, quia Christum comitabantur cum ramis palmarum et olivarum et vestimenta prosternebant in via per quam transiturus Christus erat. Multi quidem verbis Christum honorant, sed factis dehonestant: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant ;* [51] vocem habent Iacob, sed manus Esau; [52] similes serpentibus qui foris pulcri sunt, sed intus venenum habent.

Mira varietas cernitur in hodierno triumpho Christi.

Videmus hodie in Christo infinitam gloriam coniunctam cum infinita humilitate, infinitam sapientiam cum infinita stultitia, infinitam opulentiam cum infinita paupertate et tandem infinitam laetitiam cum infinita moestitia. Sic in triumpho Christi mira est varietas. Quid gloriosius rege? Sed quid humilius asino? Quid sapientius Christo? Sed quid insipientius rudi animali. Deinde, *venit rex,* sed *pauper ;* iubet Propheta exultandum et iubilandum, et Christus plangit: *Videns civitatem flevit super eam.*

II. ALIA HOMILIA

Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum eius; solvite et adducite mihi. Et si quis, etc. [1]

Sacerdotes duplicem potestatem habent: conficiendi Sacramenta et solvendi atque ligandi fideles.

I. Erat universa synagoga in Aegypto ligata vinculis durissimae captivitatis sub gravissimo iugo crudelis tyrannidis impii Pharaonis. Misit autem Dominus Moysen et Aaron ad eam solvendam atque adducendam ex Aegypto in desertum, ad sacrificandum Domino, ad serviendum Deo viventi. [2] Hoc est mysterium quod hodie Christus mittit duos discipulos suos ad solvendum animalia a vinculis peccatorum. Duos mittit Christus, veluti Aaron sacerdotem et Moysen iudicem populi; ad solvenda haec vincula sacerdotes mittuntur cum

51) Tit 1, 16. 52) Cf. Gn 27, 22.

1) Mt 21, 2-3. Vulg.: *Pullum cum ea,* etc. 2) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 2, 23-3, 1 sqq.

duplici potestate: altera conficiendi Sacramentum et offerendi sacrificium Deo, altera vero ligandi atque solvendi. Duplex enim haec potestas in sacro sacerdotali ordine confertur.

Ad munus solvendi necessaria est potestas clavium et executio diligens officii impositi;

Mittit igitur Christus duos de discipulis suis ad hoc munus solvendi animalia; ad hoc enim super omnia auctoritas et potestas clavium necessaria est; deinde diligens impositi oneris et officii executio: *Solvite et adducite.* Duo dicit: *Solvite* a peccatis *et adducite mihi* ad serviendum mihi. Sic fecerunt Moyses et Aaron cum synagoga; sic Apostoli cum omnibus gentibus: *Solvite et adducite.* Frustra enim fit unum absque altero. Quid enim profuisset synagogam extra Aegyptum educere, nisi ad Deum colendum perducta fuisset? Ad salutem perfecta iustitia necessaria est quoad utranque eius partem: *Declina a malo et fac bonum;* [3] *Solvite* a malis *et adducite mihi* ut faciant bona.

necessaria est scientia, discretio et prudentia, ne solvantur indigni;

Satagendum primo sacerdotibus est ut solvant, ne magis magisque ligent, ut discernant inter lepram et lepram, [4] ut clavibus legitime utantur in aedificationem et non in destructionem. *Solvite,* sed asinam et pullum eius, rudia et fragilia animalia valdeque mitia, non vulpes, non ferocia animalia; eos qui per ignorantiam et fragilitatem peccant, *solvite ;* qui autem ex certa malitia nolentes peccata dimittere, abicite; sic enim Christus hodie sanavit in templo claudos et caecos, sed eiecit vendentes et ementes. [5] Non dedit Christus auctoritatem tantum solvendi, sed etiam ligandi: *Quorum remiseritis* remissa sunt, *et quorum retinueritis retenta sunt.* [6] *Solvite,* sed animalia quae Christus iubet solvenda, asinam et pullum eius, omnes peccatores utriusque sexus, quicunque sint, cuiuscunque status et conditionis, modo solvi et adduci se sinant. *Solvite et adducite.* Multi sacerdotes solvunt, sed non adducunt; solvunt indifferenter quoscunque, sive digni sint sive indigni, *turpis lucri gratia,* [7] unde nil eis curae est ut adducant.

necessaria vita exemplaris habitu sanctarum virtutum,

Solvite et adducite. Ad solvendum opus est bonis oculis et bonis manibus, ut videatur et solvi possit nodus; ad adducendum vero bonis pedibus ad ambulandum et trahendum animalia. Sacerdoti, ut digne munere suo fungatur, opus est scientia bona, vita bona ex exemplis bonorum operum. Et Apostoli quidem non tantum duxe-

3) Ps 36, 27. 4) Cf. Lv 13, 1 sqq.; Dt 17, 8. 5) Cf. Mt 21, 12-14. 6) Io 20, 23.
7) Tit 1, 11; 1 Petr 5, 2.

quae per vestimenta Apostolorum animalibus imposita designatur,

runt animalia ad Christum, sed etiam super ea posuerunt vestimenta sua et Christum *desuper sedere fecerunt.* [8] Vestimenta autem Apostolorum habitum sanctarum virtutum designant, quas rudes operibus magis quam verbis docere oportet.

populus enim maxime imitatur exempla pastorum.

Solvite et adducite. Sacerdotes necesse est ductores, duces, pastoresque populorum esse exemplis sanctorum operum, vitae exemplaris. Sic enim turbae imitantur exempla virtutum et superant nonnunquam. Sic enim videmus hodie; videntes enim turbae discipulos Christum honore afficientes ponendo vestimenta sua super iumentum ad vectandum Christum, coeperunt sternere vestimenta sua in terra et caedentes frondes de arboribus viam, per quam Christus transiturus erat, ornare ramosque et palmas manibus gestantes, [9] Christum laudare: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* [10] Sic inferiores imitantur et superant quandoquidem superiorum exempla. Oves Iacob pariebant agnos similes virgis, quae ante ipsarum oculos ponebantur. [11]

Mons Oliveti Christum figurat, qui est caput fidelium; Bethphage Ecclesiam, in qua Deus laudatur;

II. Sed unde, quaeso, mittuntur hi duo discipuli a Bethphage, iuxta, imo ad radices montis Oliveti? Mons quidem Oliveti Ecclesiam designat, siquidem quilibet fidelis arbor olivae est: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in aeternum et in saeculum saeculi.* [12] Imo Christum ipsum significat, qui fundamentum Ecclesiae est et caput fidelium omnium; [13] sicut enim olivae a monte nutriebantur, sic nutrimentum gratiae a Christo fideles omnes accipiunt. Ecclesia autem est Bethphage, quod interpretatur d o m u s o r i s v a l l i s. Domus quidem habitationem significat, os confessionem et laudem Dei, hinc turbae hodie Christum laudare coeperunt fideli confessione; sed vallis designat humilitatem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* [14] *Humiliavit* enim *semetipsum . . . usque ad mortem . . . crucis.* [15]

duo discipuli Petrum et Paulum;

Sic Christus humiles [16] discipulos misit ad solvenda atque ducenda animalia; et quia non propria sed Christi auctoritate fulti abierunt, solverunt utique et adduxerunt, sicut Moyses et Elias, sic etiam Pe-

8) Mt 21, 7. 9) Cf. ibid. vr. 8. 10) Io 12, 13. 11) Cf. Gn 30, 37-39.
12) Ps 51, 10. 13) Cf. 1 Cor 3, 11; Eph 2, 20; 4, 12; 5, 23; Col 1, 18. 14) Mt 11, 29.
15) Phil 2, 8. 16) Ms.: *Humiles* bis ponitur.

trus et Paulus, quos forte hi duo discipuli significant, totum fere mundum ad Christum converterunt: Petrus quidem factus apostolus synagogae, Paulus vero Gentium.[17]

At hodie paucissimi sunt qui mittuntur a Christo ad praedicandum et convertendum peccatores, multi non missi currunt;[18] paucissimi sunt qui vocantur ad sacerdotium et evangelicum ministerium sicut Aaron;[19] paucissimi reperiuntur in d o m o o r i s v a l l i s, qui Dei gloriam quaerant et humilitatem sectentur. Hinc animalia ligata non solvuntur nec ducuntur ad Christum – manent peccatores vinculis peccatorum alligati, servientes mundo, carni et satanae, – ut fidelis turba Christi in manibus deferens palmas et ramos olivarum Christum collaudet.

et missi dicuntur quia ad evangelicum ministerium necessaria est divina vocatio;

Haec enim vita est Christi fidelium: Christum laudare et gestare palmas victoriae contra vitia ramosque olivarum, quae signa sunt bonorum operum. Haec enim semper fuit vita Christi fidelium, tum eorum qui Christum praecesserunt ante eius adventum in mundum, tum eorum qui eum secuti sunt; nam ait: *Et qui praeibant et qui sequebantur clamabant... Hosanna,* etc.;[20] *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[21]

turbae autem fideles figurant operibus sanctis Christum laudantes,

Sed quia *fides sine operibus mortua est,*[22] requiritur divinae legis observantia: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[23] Divinae autem legis praecepta haec quidem bona ut fiant imperant, haec autem ut mala vitentur, iuxta duplicem iustitiae partem: *Declina a malo et fac bonum.* Palma manibus gestanda est, vincenda sunt vitia, et rami olivarum, ut fiant bona. Sic Christus honorandus est lingua et manu, dictis et factis.

nil enim prodest fides sine legis observantia.

III. *Plurima autem turba sternebant vestimenta sua in via*[24] in honorem Christi. Vestimenta animarum sunt corpora. Multi ob Christi fidem martyria passi sunt. Haec perfecta est caritas, Christum magis quam vitam propriam diligere. Et nos quidem populi sumus qui Christum sequimur. Facit Christus hodie iter a Bethania in Ierusalem per montem Oliveti et Bethphage, ubi super asinam et pullum eius

Perfecta caritas est Christum diligere et imitari.

17) Cf. Act 13, 46-47; 18, 6; Rom 15, 15-16; Gal 2, 7-9; Eph 3, 8. 18) Cf. Ier 23, 21. 19) Cf. Hebr 5, 4. 20) Mc 11, 9. 21) Rom 10, 10. 22) Iac 2, 20. 26. 23) Mt 19, 17. 24) Ibid. 21, 8. Vulg.: *Straverunt vestimenta,* etc.

equitat. Haec vita fidelium est, Christum sequi viatorem, peregrinum, dum transit ex hoc mundo in supernam civitatem Ierusalem.

Mons Oliveti significat etiam gratiam, Bethphage autem carnis mortificationem.

Inter naturam autem et gloriam media est gratia; hic est mons Oliveti inter Bethaniam et Ierusalem. Gratia autem super omnia tria requirit: ut Deus per caritatem cor nostrum inhabitet, ut anima Deum semper laudet, ut humilitate praedita sit. Haec est Bethphage, d o m u s o r i s v a l l i s. Sed hic domanda est caro, quae *concupiscit adversus spiritum,* [25] domandus etiam sensus carnis: *Eice ancillam et filium eius ;* [26] *Qui* enim *sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [27]

Turbae Christum acclamantes docent Deum honorandum esse mortificatione, eleemosyna et oratione.

In obsequium autem Christi turbae tria faciunt: alii sternunt vestimenta in terram, alii deferunt ramos olivarum et alii clamant: *Hosanna in excelsis;* per quae tria salutaria opera designantur: ieiunium carnisque mortificatio cum vitiis et concupiscentiis, eleemosyna operaque misericordiae in pauperes, et oratio, qua Deus laudatur et salus aeterna in coelo petitur. His sanctis operibus Christus honoratur. Si ieiunare non potes, da eleemosynas; quod si infirmus et pauper es, ora ad Deum spiritu et mente, clama: *Hosanna in excelsis.*

III. ALIA HOMILIA

Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, etc. [1]

Propheta hodie exultare iubet, et quidem infinita est causa laetitiae.

I. Quaenam haec, quaeso, est tantae causa laetitiae et exultationis? Laetitia oritur ex praesentia boni desiderati; magna autem laetitia ex magni boni adventu. Sed P r o p h e t a maxime exultandum et iubilandum praecipit, causam vero assignans: Quia, inquit, *rex tuus venit tibi pauper, sedens super asinam et pullum filium subiugalis.* [2] Quid est hoc? quid est hoc? Quae tantae causa laetitiae? Si rex dives et gloriosus venisset ad glorificandum et locupletandum, tunc utique magnopere gaudendum videretur. Sed tamen infinita

25) Gal 5, 17. 26) Gn 21, 10; Gal 4, 30. 27) Gal 5, 24.

1) Zach 9, 9. Vulg.: *Exulta satis*, etc. 2) Ibid. Refert ex Mt 21, 5. Vulg.: *Venit tibi mansuetus*, etc.

haec est causa laetitiae: *Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*[3] Ecce iam praesens ut oculis spectetur Messias, Patriarchis et Prophetis promissus cunctisque gentibus desideratus; *ecce rex* omnipotens, rex coeli et terrae, rex gloriae, rex, imperator et monarcha universi, verus Deus, factus est *tuus*, se totum dedit tibi; *venit* de coelo in terram, de paradiso in mundum, et *venit tibi* ad utilitatem non suam, sed tuam; *venit tibi*, venit de coelo in terram propter te, propter amorem tuum. *Venit tibi*, non ad puniendum, sed ad remittendum peccata tua; *venit . . . iustus* ad iustificandum et sanctificandum te, dimissis peccatis tuis. *Venit tibi* ad te reconciliandum Deo, ad restituendam tibi gratiam et amicitiam Dei, ad dandam tibi iustitiam, quae originali illi aequivaleat, quam Adam peccando sibi et nobis amisit; quare venit ad reducendum te in paradisum terrestrem, unde homo ob peccatum eiectus est.[4]

nam qui venit Messias est, rex gloriosus et humilis.

de coelo veniens in terram, ut hominem a peccato iustificaret

Nec tantum *venit tibi iustus*, sed etiam *salvator*, ad dandum tibi salutem vitamque aeternam, ad claudendas portas inferni, ad aperiendas portas paradisi, ad liberandum te de potestate diaboli, mortis, peccati et inferni. *Ipse pauper:* הוּא עָנִי.[5] *ipse pauper*, humilis, mansuetus, afflictus. O causa infinitae laetitiae! Si rex iste Deus est, quomodo pauper est? quomodo humilis? quomodo afflictus? Signa haec sunt infinitae erga nos caritatis et amoris Dei: pauper quodammodo factus est Deus, quoniam seipsum et sua omnia nobis donavit; pauper factus est ut nos ditaret, humilis ut nos exaltaret, afflictus ut nos beatificaret. Haec sunt causae laetitiae.

eique vitam aeternam conferret.

II. *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.* Quodlibet horum verborum continet causam laetitiae. *Ecce* designat Messiae praesentiam: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.*[6] *Rex* naturae, gratiae et gloriae, rex infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis, factus est *tuus* per assumptam humanitatem, dedit se totum tibi, totus factus est *tuus:* ecce thesaurus infinitus omnium bonorum. *Venit tibi*, venit ad visitandum te, ad ditandum te omnibus bonis gratiae et gloriae; ideo *iustus et salvator*, iustitia spectat ad gratiam, salus ad gloriam.

Quodlibet horum verborum continet causam laetitiae

3) Zach 9, 9. 4) Cf. Gn 3, 6 sqq. 5) Ms.: *Hu hani*. 6) Is 52, 6.

et ostendit infinitam Christi caritatem.

Sed *venit . . . pauper*, afflictus et humilis, ut rex servos suos ditet, exaltet, felicitate pro viribus donet. Mirum non est si vere amat, facile enim haec potest; sed ut pro ditandis servis ipse fiat pauper, pro illis honorandis ipse fiat abiectus, pro illis felicitate donandis ipse affligatur, hoc utique quam maxime mirandum esset. Christus autem pro nobis ditandis extremam elegit paupertatem, pro nobis glorificandis extremam humilitatem, pro nobis beatificandis extremam afflictionem. Signum est igitur infinitae erga nos caritatis et amoris. Humanus autem animus amore principum quam maxime delectatur et eo summopere gaudet. Hinc ait: *Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem : ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*

Christus pauper, humilis et afflictus esse voluit, ut gratiam nobis mereretur et gloriam;

Pauper Christus, humilis et afflictus fuit, ut nobis gratiam et gloriam mereretur. Non enim sibi gratiam aut gloriam potuit mereri, quoniam semper omni gratia et gloria secundum spiritum plenus fuit. Sed pauper, humilis et afflictus esse voluit, pati et mori, ut gratiam nobis mereretur qua sanctificaremur, et gloriam qua in aeternum salvi ab omni malo essemus, tum secundum carnem tum secundum spiritum. Sibi autem Christus corporalem tantum gloriam meruit et carnis suae glorificationem. Hinc Paulus ait quod, quia Christus, *cum in forma Dei esset* aequalis Deo, *exinanivit semetipsum formam servi accipiens* et *seipsum humiliavit . . . usque ad mortem . . . crucis, propterea exaltavit illum Deus et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* [7] Hoc est Christum hodie sedere super asinam et pullum eius, per quae animalia totus mundus designatur; hoc est quod hodie ab universa Ierusalem tanquam divinus rex laudatur et adoratur.

sibi enim mereri non poterat, nisi corporalem gloriam carnis suae.

In Ierusalem autem, quae patriam paradisi designat, introduxit turbas fideles: *Et qui praeibant et qui sequebantur.* [8] Hoc enim forte per duo animalia designatur; per asinam gens antiqua quae Christum praecessit, per pullum vero populus qui post Christum fuit.

Duo animalia significant turbas fideles, quas Christus in coelum introduxit.

Quoniam vero populus christianus, qui post Christum fuit, explicite in Christum credit et confitetur Christoque se subiectum mani-

7) Phil 2, 6-10. Vulg.: *Semetipsum exinanivit . . . humiliavit semetipsum . . . propter quod et Deus exaltavit illum et donavit*, etc. 8) Mc 11, 9.

feste fatetur, propterea omnes E v a n g e l i s t a e Christum super asellum sedisse dicunt.[9] De antiquiori autem asina solus M a t t h a e u s meminit, quoniam gens antiqua in Dei fide et cultu vivens credebat quidem in Christum et sic sedit super asinam Christus, at non ita explicite sicut nunc Ecclesia populusque fidelis. Utrunque autem animal introducit Christus in Ierusalem, in visionem d u p l i c i s p a c i s,[10] quia utrunque populum fidelem salvat, et antiquum et novum, sicut cum Christo Ierosolymam ingressi sunt *et qui praeibant et qui sequebantur* populi Christum laudantes et confitentes: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.*[11]

et speciatim populum fidelem, christianum et antiquum, quia utrunque Christus salvavit.

III. *Ecce rex tuus venit tibi iustus.* Hic rex est ille quem I o a n n e s in *Apocalypsi* vidit super equum album, quem coelestes exercitus sequebantur, et habebat *in capite ... diademata multa ... in femore* autem *suo scriptum* gestabat: *Rex regum et Dominus dominantium.*[12] Hoc est habere in capite diademata multa, multis praeesse regnis. Est enim ipse rex coeli et terrae, rex hominum et Angelorum, rex naturae et gratiae, rex paradisi et dominus etiam inferni: *Rex regum et Dominus dominantium.*

Christus rex ille est a Ioanne visus in *Apocalypsi*;

Sceptrum autem regis huius ferreum dicitur : *Reges eos in virga ferrea.*[13] Cur, quaeso, ferreum, non autem aureum? Sceptrum Assueri aureum erat;[14] cur sceptrum Christi ferreum est? Aureum quidem sceptrum multi pretii est et magni valoris, ferreum autem fere nullius vel minimi pensi est. Sic homini magna res est regem esse, magnus honor, magna gloria, magna felicitas. Hinc reges tantopere faciunt coronas et sceptra, nam rex privatus corona et potestate regali, nonnisi vilis homuncio est. Deo autem nihil est regem esse naturae, gratiae et gloriae, regem terrae, coeli et paradisi, regem et dominum omnium animalium, hominum et Angelorum omniumque creaturarum visibilium et invisibilium, nam nihilo minor erat Dei gloria antequam mundus crearetur, quam nunc sit. Christus autem Deus est, propterea sceptrum Christi non aureum, sed ferreum est. Mundus enim, cum finitus sit, Dei comparatione tanquam nihilum reputatur, sicut terra

et dicitur habere sceptrum ferreum, quia regalis

potestas non auget eius gloriam, cum Deus aeternus sit,

9) Cf. Mt 21, 7; Mc 11, 7; Lc 19, 35; Io 12, 14. 10) Sic enim latine interpretatur *Ierusalem* duali numero. 11) Io 12, 13. 12) 19, 11-16. 13) Ps 2, 9. 14) Cf. Est 8, 4.

respectu coeli, nam finiti ad infinitum nulla est proportio,[15] Deus enim infinitae magnitudinis est.

et etiam ad significandam huius divini regis potentiam infinitam,

Nec tantum ob id ferreum dicitur sceptrum Christi, sed etiam ratione potentiae. Ferrum enim omnia domat metalla, sicut apud D a n i e l e m legimus.[16] Unde propter potentiam imperium romanum per ferreas tibias et crura statuae, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, designatur.[17] Omnis autem creata potentia est sicut vasorum figuli contra virgam ferream in manu gigantis robustissimi, si Deo omnipotenti comparetur.

aeternitatem,

Ratione etiam aeternitatis ferreum dicitur. Ferrum enim metallum est valde durabile. Ferreum autem sceptrum manu frequenter contrectatum nunquam aerugine corrumpitur, sed perpetuo durat. De Christi autem regno apud D a n i e l e m legimus: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum ... quod non corrumpetur.*[18]

iustitiam inflexibilem

Tandem, ratione iustitiae rectissimae et inflexibilis. Non enim flecti potest virga ferrea sicut lignea; princeps mundanus flectere potest virgam iustitiae vel malitia propter amorem vel odium in reum, vel propter ignorantiam, quia ignorat factum et iura, vel propter animi impotentiam, motus vel timore damni vel spe lucri, vel motus precibus et favoribus. Christi autem iustitia inflexibilis est, quoniam in eo infinita est sanctitas, infinita sapientia, infinita potestas. Hinc ait: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.*[19]

et potestatis magnitudinem.

Forte etiam ratione magnitudinis, nam ferri magna est copia, auri autem non, item et argenti. Sic magnum est Christi sceptrum, magna potestas: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[20] *omnes tribus, gentes et linguae servient ei;*[21] *Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.*[22]

Rude animal, super quod Christus sedit,

Praecipue autem *rex* dicitur *Sion et Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi.* Sicut autem sceptrum Christi non aureum sed ferreum dicitur, ad[23] utilitatem designandam, quoniam Deo nihil est regem esse, ita universum Christi regnum per rude animal, cui hodie insedit,

15) Axioma philosophicum, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 577. 16) Cf. 2, 40. 17) Cf. ibid. vrr. 31-45. 18) 7, 14. 19) Ps 44, 7-8. Affert ex Hebr 1, 8-9. 20) Mt 28, 18. 21) Dn 7, 14. Vulg.: *Omnes populi, tribus et linguae ipsi servient.* 22) Ps 2, 8. 23) Ms.: *Et* loco: *Ad.*

designatum est. Nam saepe Deus in Divinis Scripturis ascensor coeli dicitur, [24] idest equitator, insessor; totum igitur coelum, mundus universus per hoc animal designatur, vile quidem, quoniam respectu Dei totus mundus multo minoris momenti est quam sit asinus regi et imperatori summo, tanta est regis huius magnitudo, tanta maiestas! **designat universum Christi regnum,**

Designatur autem per vivum animal, quoniam sicut animal sentit imperium sessoris et ad signa cognoscens voluntatem ipsius obedit et, sic totus mundus, omnis etiam insensata et inanimis creatura sentit regis huius imperium. Quod si *pauper* dicitur, hoc est quia nullis externis et alienis bonis eget. Hinc dicitur שַׁדַּי, [25] omnipotens, sibi sufficiens: *Bonorum meorum non indiges.* [26] Ante mundi creationem pauper videbatur Deus, sed sibi sufficiebat, nil minus beatus erat. **quod ipsi obedit sicut animal voluntati sessoris.**

IV. *Ecce rex tuus; Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel; pax in coelo et gloria in excelsis.* [27] *Rex, Filius David* dicitur hodie Christus, quoniam sicut David ter unctus rex fuit: primo secreto in domo patris a Samuele, [28] secundo post mortem Saulis, in Hebron a tribu Iuda, [29] et tertio in Ierusalem super universum Israelem, [30] sic Christus ter unctus rex fuit: primo in utero matris, in incarnatione, secundo in sepulcro, in resurrectione, et tertio in coelo, in ascensione. Hinc ter etiam declaratus est Filius Dei, idest verus Messias: primo in Iordane, [31] secundo in monte transfigurationis, [32] et tertio in Ierusalem, cum venit vox de coelo dicens: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* [33] Trina etiam unctio designat Christum regem esse naturae, gratiae et gloriae; mundi, Ecclesiae et paradisi. **Ter Christus unctus rex fuit et trina haec unctio significat ipsum esse regem naturae, gratiae et gloriae.**

In hodierno Evangelio quattuor nobis consideranda sunt: primo quidem mysteria historiae, secundo mysteria allegoriae, tertio mysteria tropologiae et quarto mysteria anagogiae. Quoad primum, voluit Dominus hodie cum tali triumpho et gloria in Ierosolymam tanquam rex intrare primo quidem, ut adimplerentur Scripturae, **Quattuor mysteria proponuntur consideranda: historiae, allegoriae, tropologiae et anagogiae.**

24) Cf. Ps 46, 6; 67, 5. 19. 34. 25) Ms.: *Scadai.* 26) Ps 15, 2. Vulg.: *Non eges.*
27) Lc 19, 38. 28) Cf. 1 Rg 16, 1-13. 29) Cf. 2 Rg 2, 4. 30) Cf. ibid. 5, 3.
31) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 32) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 2; Lc 9, 35.
33) Io 12, 28.

Christus tali cum triumpho Ierusalem ingreditur, ut demonstret se Messiam regem esse a Scripturis praedictum,

sicut aiunt E v a n g e l i s t a e: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam*, etc.[34] V a t e s enim specificavit personam: *Ecce rex tuus;* specificavit iter et motum: *Venit*; specificavit locum: *Tibi*, o *Sion*, o *Ierusalem;* specificavit virtutem: *Iustus et Salvator* hominis a morte, nam ob hanc causam cum triumpho susceptus est in Ierusalem; specificavit formam adventus: *Venit... pauper;* specificavit animal: *Sedens super asinum filium subiugalis.*[35] Deinde, mille aliis locis Divina Scriptura testatur quod Messias futurus erat rex. Quare voluit Dominus, antequam pateretur, specimen quoddam regni sui exhibere seque regem ostendere, ita tamen ut declararet quod regnum ipsius non erat de hoc mundo.[36] Quare praesenti facinore Christus non tantum implevit, sed etiam declaravit Scripturas loquentes de regno Messiae, quod non futurus erat Messias rex temporalis et mundanus, sed spiritualis et divinus; hinc valde diversus est triumphus Christi a triumphis mundanorum regum.

victorem mortis, inferni et mundi, omnium corda in manu propria habentem,

Simulque ostendere voluit Dominus in hoc triumpho se non solum mortis et per consequens inferni et diaboli triumphatorem esse divinumque victorem, sed etiam mundi, quod omnium hominum corda habeat in manu, ita ut pro libito possit quo magis placuerit vertere et inclinare, invitis etiam mundi principibus et omnibus inimicis Christi. Nam quamvis principes mandatum dederint *ut si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret*[37] et ut si quis nosset ubi esset, indicaret ut comprehenderetur,[38] quapropter in die festo nemo vel loqui de eo palam audebat *propter metum Iudaeorum*,[39] hodie tamen Christus ita omnium fere Iudaeorum totiusque populi corda ita ad se allexit et ad amorem et devotionem suam inclinavit, ut summa cum libertate, absque ullo timore, in oculis ipsorum principum Christum regem acclamantes in civitatem introducerent et per mediam civitatem usque ad templum triumphalibus acclamationibus comitarentur.

inimicis suis formidabilem, sed tamen collatorem omnium bonorum;

Sicque Christus hodie omnibus Iudaeorum principibus, atrocissimis inimicis suis, formidabilem se praebuit ostenditque eis quantum officere et nocere posset. Nocere tamen nil voluit, sed tantum e templo omnes profanatores eiecit,[40] ut ostenderet se regem esse invictissi-

34) Mt 21, 4; Cf. Zach 9, 9. 35) Zach 9, 9; Mt 21, 5. 36) Cf. Io 18, 36. 37) Ibid 9, 22. Vulg.: *Ut si quis eum confiteretur*, etc. 38) Cf. ibid. 11, 56. 39) Ibid. 7, 13. 40) Cf. Mt 21, 12; Lc 19, 45-46.

mum sicut David, hoc palmae designant, et regem iustitiae et pacis sicut Melchisedech,[41] id ostendunt rami olivarum; quod superator est omnium malorum et collator omnium bonorum.

Tandem, ut aperiat viscera pietatis et caritatis suae: pietatis erga Patrem et caritatis erga nos, festivus hodie Christus pergit ad locum passionis et mortis, ubi agnus immolandus erat pro salute mundi, factus Patri *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hodie, decima luna huius mensis, Iosue cum universo populo, transito Iordane, in terram promissionis ingressus est, magno miraculo siccatis aquis Iordanis ob praesentiam arcae foederis Domini.[42]

ut ostendat caritatem suam, festivus pergit ad passionem et mortem.

V. *Ecce rex tuus venit tibi.* Rex Christus est, de quo I s a i a s ait: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis*, etc.; *multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis*,[43] hebraice לםרבה המשרה:[44] *Ad multiplicandum imperium*, ita ut pacis non sit finis sive terminus. Hoc autem loco est in hebraico ם clausa contra naturam, nam nonnisi in fine dictionis ponitur ם quadrata. Hic autem in principio posita est ad multa designanda mysteria.[45] Primo quidem quod Christus regnum acquisiturus et multiplicaturus imperium erat mediis omnino iudicio humano contrariis: non armis et potentia, non divitiis et eloquentia, sed humilitate, paupertate et patientia, nam *venit pauper* et *mansuetus* humilisque, *sedens super asinum.*

Verbis etiam Isaiae designatur Christi imperium, non humanum sed divinum,

Deinde vero, quadrata figura designat stabile Christi regnum aeternumque, sicut D a n i e l ait: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum quod non corrumpetur.* Non habet haec littera principium aut finem, instar circuli aut serpentis mordicus caudam[46] tenentis, per quem hieroglyphice Aegyptii aeternitatem designabant,[47] et per circulum etiam, cui nihil addi potest, perfectio exprimitur. Sic aeternum et omnino perfectum est Christi regnum.

aeternum atque perfectum.

41) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 1. 42) Cf. Ios 3, 14 sqq. 43) 9, 6-7 (hebr: vrr. 5-6). 44) Ms.: *Lemarbe hamiscrah*, et infra: *Mem.* Sic legitur in antiquis editionibus textus hebraici, uti in *Biblia Rabbinica*, de qua cf. *Explanatio in Genesim*, *Praefat.*, pag. XIV. In recentioribus autem emendatum fuit: לְמַרְבֵּה. 45) De cabbalistica interpretatione huius litterae in medio dictionis a S. Auctore allata, cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub voce: רָבָה. 46) Ms.: *Linguam* loco: *Caudam.* 47) Cf. S. Isidorus

Christus rex est optimus benignitate, maximus potentia, sapientia et maiestate.

Ecce rex tuus. Rex graece dicitur βασιλεύς, [48] quasi basis populi. Sic ait: *Factus est principatus super humerum eius ; Portans . . . omnia verbo virtutis suae.* [49] *Ecce rex tuus.* Rex in regno imago quaedam Dei est in universo; Deus autem Optimus Maximus dicitur : optimus benignitate et beneficentia, maximus potentia et maiestate virtuteque infinita et sapientia. Sic in rege tria desiderantur: bonitas, ut sit rex non tyrannus, pastor non lanius, pater populi non persecutor; sapientia, ne asininas Midae habeat aures; [50] potentia, qua timeatur suosque tueri et defendere possit ab inimicis.

IV. ALIA HOMILIA

Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem : ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper, etc. [1]

Proponitur hodie Christi triumphus undequaque mirabilis,

I. Triumphus Christi proponitur nobis in hodierno Evangelio; quod quidem mirabile est, nam non solent triumphare reges, nisi debellatis inimicis magnaque parta victoria. Legimus triumphum regis Saul, sed debellatis Amalecitis, [2] triumphum Davidis, sed occiso in singulari certamine Golia philisthaeo monstruoso gigante. [3] Sed etiam cum novus rex in civitatem regni metropolim excipitur, quis nescit quod magna cum laetitia et pompa excipitur, quod magnus veluti triumphus celebratur? Hodie Christus in Ierusalem regiam civitatem tanquam rex novus excipitur. Hinc Vates ait: *Ecce rex tuus venit tibi.*

hinc maxime laetantur hodie turbae Christum regem acclamantes dum Ierosolymam ingreditur.

Desideravit populus regem ardentique desiderio petiit a Samuele dicens: *Da nobis regem,* [4] triplici ex causa motus; ait enim: *Rex . . . erit super nos et erimus nos quoque sicut omnes gentes :* haec causa est honoris et dignitatis; secunda est: *Iudicabit nos rex noster :* iustitiae causa petunt regem; tertia causa est: *Egredietur ante nos et pugnabit*

Hisp. *Etymol.*, lib. 5, cp. 36, (P. L. 82, 222): S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 35, ibid. 90, 459-462; Alexander ab Alexandro *Geniales Dies*. lib. 3, cp. 24, f. CXXVIIa; Scaliger Ios. *De Emendatione Temporum*, lib. 3. pag. 104. 48) Ms.: *Basileus*. 49) Hebr 1, 3. 50) De hoc proverbio cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 12, f. 87*b*; Ovidius *Metamorph.*, lib. 11, vrr. 75-80.

1) Zach 9, 9; Mt 21, 5. 2) Cf. 1 Rg 14, 47 sqq. 3) Cf. ibid. 17, 4-18, 1-7. 4) Ibid. 8, 6.

bella nostra pro nobis : [5] pacis salutisque causa et spe victoriae petunt regem. Nec cohiberi potuit ardens populi desiderium verbis Samuelis dicentis quod displicebat Deo valde talis postulatio, nec gravibus statutis legibusque regni, quod rex eos bonis suis spoliaturus erat; [6] his enim legibus auditis, nihil deterritus ait: *Rex... erit super nos;* multa enim a rege sperabat populus bona. Hinc magna cum laetitia creantur et coronantur reges, sicut legimus de creatione regis Salomonis. [7]

Hodie Christus rex Ierusalem creatur; hinc turbae sternunt vestimenta sua in via per quam transiturus erat. [8] Sicut legimus *4 Regum* quod, cum Iehu electus esset a Deo rex super Israel, secreto unctus a ministro Elisei [8a] ad destruendam domum impii Achab, re cognita, principes exercitus, qui secum erant, tulerunt vestimenta sua et straverunt sub pedibus eius in modum tribunalis cecineruntque tuba dicentes: *Regnavit Iehu,* [9] sic utique hodie.

Magna cum laetitia populi reges creantur et coronantur, quia populus multa bona a rege sperat;

II. Tria sunt quae vel maxime a regibus et principibus expectant populi: iustitiam, abundantiam et pacem; felix reputatur regnum cui a suo rege haec abunde praestantur. Et *ecce,* inquit, *rex tuus venit tibi iustus et salvator. Rex tuus :* quisnam? Saul? David? Salomon? Minime. Solus Deus absolute *rex* dictus est Israelis: *Deus... rex noster in aeternum, operatus est salutem in medio terrae ;* [10] *Dominus legifer noster, Dominus iudex noster, Dominus rex noster, ipse* veniet et *salvabit nos.* [11]

Christus absolute dicitur *rex*, quia vere dat iustitiam, abundantiam et pacem,

Ecce rex tuus. Sic ipsemet Deus ait Zacharia 2: *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus.* [12] O causam infinitae laetitiae! *Exulta, lauda, iubila, filia Sion,* quia *rex tuus,* Deus tuus, *venit tibi iustus et salvator. Iustus : Hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus iustus noster ;* [13] *In diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter.* [14] *Rex tuus* fortis et potens ut David ad expugnandos inimicos tuos, Samsone multo fortior, [15] Salomone multo sapientior, multo ditior, multo felicior, [16]

ipse enim vere est rex iustus et salvator, quia ditissimus, sapientissimus et optimus;

5) Ibid. vrr. 19-20. 6) Cf. ibid vrr. 6-18. 7) Cf. 3 Rg 1, 40-46. 8) Cf. Mt 21, 8; Mc 11, 8; Lc 19, 36. 8a) Ms.: *Samuelis* loco: *Elisei.* 9) Cf. 9, 1-13.
10) Ps 73, 12. Vulg.: *Rex noster ante saecula,* etc. 11) Is 33, 22. Vulg.: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer,* etc. 12) Vr. 10. 13) Ier 23, 6. 14) Ibid. 33, 16.
15) Cf. Idc 15, 7-16, 1 sqq. 16) Cf. 3 Rg 3, 12-13.

Ezechia[17] et Iosia multo sanctior.[18] Infelix est respublica sine principe, regnum sine rege, instar mulieris viduae ac desolatae; felix autem respublica et regnum cui optimus est princeps, optimus rex. Gaude igitur, quia venit tibi *rex tuus*, rex optimus, *iustus et salvator*.

et tamen dicitur etiam pauper

Sed quid est quod ait: *Ipse pauper ?* Regem oportet esse divitem et potentem, alioquin nihili penditur. Sed haec paupertas ostendit divinam regis huius excellentiam. Thesauri regibus necessarii sunt, quia exercitibus opus habent ad defendenda conservandaque regna et dominia sua, quoniam per seipsos non possunt. Sed si rex in seipso vires haberet divinas, ut ipse solus posset copiosissimos ac potentissimos exercitus hostium fundere, non opus essent copiae militum, non exercitus, non thesauri, non magna aeraria. Christus autem rex est divina potentia praeditus, ita ut sicut Samson ipse solus et inermis poterat hostium validas manus, copias et exercitus fundere. Ita Christus verus Samson adeo potens est, ut nullo penitus egeat instrumento ad fundendos exercitus, sed solo verbo, sola lingua totum etiam possit perdere mundum.[19] Hoc est quod *de ore eius* procedit *gladius ex utraque parte acutus*, ut in *Apocalypsi* legimus.[20] Sic solo verbo prostravit in terram omnes milites et ministros Iudaeorum, qui abierunt ad comprehendendum eum in horto;[21] sic hodie solus ipse eiecit de templo omnes vendentes et ementes, innumeram ac pene infinitam hominum multitudinem.[22] Sic potentissimus ipse est in seipso.

quia bonis terrenis non eget, cum sit potentissimus,

Quod si necessariae sunt regibus et principibus divitiae ad sustentandam familiam providendamque necessariam annonam tempore caritatis et famis, Christo opus non sunt, quoniam per seipsum potest. Sic semel et iterum ostendit cibans ad superabundantem saturitatem ex quinque panibus quinque millia hominum[23] et alia vice ex septem panibus hominum quattuor millia.[24] Divitiae igitur signum sunt impotentiae, debilitatis, necessitatis, sicut multae vestes signum sunt magni frigoris. In Christo autem nulla necessitas est, quoniam ipse thesaurus et fons est omnium bonorum.

indigentia enim bonorum terrenorum signum est impotentiae.

17) Cf. 4 Rg 18, 3-7. 18) Cf. ibid. 22, 1-2; 23, 25. 19) In margine haec adiecta fuerunt: « Balaam vim hanc habere putabatur, ut sola lingua et maledictione sua posset potentissimos etiam exercitus fundere; hinc accersitus fuit magna cum instantia a Balac rege Moabitarum contra populum Israel in deserto ». 20) 1, 16. 21) Cf. Io 18, 6. 22) Cf. Mt 21, 12-13; Mc 11, 15-17; Lc 19, 45-46. 23) Cf. Mt 14, 17-21; Mc 6, 41-44; Lc 9, 13-17; Io 6, 9-13. 24) Cf. Mt 15, 34-38; 16, 9-10; Mc 8, 5-9. 18-20.

Et adhuc, paupertas haec aliam ostendit in divino hoc rege excellentiam. Paulus ait: *Scitis... gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis;* [25] signum est magni amoris et caritatis, signum est quod non est avarus rex iste, non cupidus, quod non divitias et thesauros auri et argenti diligit vel quaerit, sed populum, sed homines.

Insuper paupertas haec ostendit divini huius regis excellentiam;

Ex avaritia principum multa oriuntur mala, nihil peius avaro principe. Siquidem vendit avarus princeps officia et magistratus; hinc fit venalis iustitia, ita ut non ius, non ratio, sed sola pecunia praevaleat. Hinc oppressiones pauperum, hinc graves impositiones et exactiones censuum, vectigalium, gabellarum, tyrannicarum extorsionum. Rex noster pauper est voluntate, animo, spiritu; odit pecuniam, spernit, contemnit divitias tanquam stercora; propter nos *egenus factus est cum esset dives,* ut nos ditaret.

nam rex iste pauper esse voluit ut nos ditaret,

O divinum amorem! Quod rex suis divitiis multos ditet ex servis suis, nil mirum, nam decet utique regem animi magnitudo, munificentia et liberalitas vere regia. Sed quod ipse velit pauper fieri, ad magnae paupertatis statum devenire ut servos suos ditet, hoc mirum, hoc rarum, hoc insolitum, hoc nunquam in mundo visum: *Propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

quod utique signum est maximi amoris.

Sed audite aliam divini huius regis excellentiam. Ubi Divinus Vates ait: *Ecce rex tuus venit tibi... pauper,* Evangelista ait: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* [26] Sic ipse ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [27] Humilitas, mansuetudo rara virtus in regibus et principibus est, ut pauperes et humiles non dedignentur, sed omnibus supplicibus pias praebeant aures magna cum patientia et clementia, sicut Moyses Hebraeorum princeps agebat in deserto. [28] *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, mitis... et humilis corde,* ita ut omnes pauperes et humiles ad eum possint confidenter accedere, quoniam *non est apud eum acceptio personarum.* [29] Rex est, sed communis pater omnium, maxime vero pauperum: *Venite*

maximae humilitatis et mansuetudinis.

25) 2 Cor 8, 9. 26) Mt 21, 5. 27) Ibid. 11, 29. 28) Cf. Nm 12, 3; Eccli 45, 4.
29) Eph 6, 9. Vulg.: *Personarum acceptio non est apud eum.*

ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, [30] quoniam *mitis sum et humilis corde.* Hinc ad equitandum humile animal elegit: *Sedens super asinum... filium subiugalis.* [31] I o a n n e s in *Apocalypsi* refert se vidisse Christum equitantem super equum album et omnes exercitus coeli sequebantur eum in equis albis, habebatque *in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium.* [32]

Acclamatur hodie Christus sicut acclamantur reges.

III. *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* [33] Cum Saul ex humili pastore factus fuit rex totius Israelis, ab universo populo acclamabatur: *Vivat rex!* [34] Similiter cum Salomon rex institutus fuit: *Vivat rex Salomon!* [35] Sic hodie acclamatur Christus: *Hosanna Filio David:* salus sit Filio David! Vivat Filius David!

Tria nobis consideranda proponuntur in hodierno Evangelio: historia, mysterium, vaticinium.

In hodierno Evangelio tria nobis consideranda proponuntur: historia, mysterium et vaticinium. Historia, triumphalis ingressus Christi in Ierusalem ob devictam mortem in suscitatione Lazari; [36] mysterium, quia designat triumphalem ingressum in coelestem Ierusalem, devicta morte et spoliato inferno, post redivivam resurrectionem; vaticinium autem: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator,* rex utriusque Ierusalem, caput utriusque Ecclesiae, militantis in terra et triumphantis in coelo.

Causa tantae laetitiae paupertas et humilitas Christi sunt, quae infinitum amorem eius ostendunt.

Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem. Quae tanta causa laetitiae? Quia *rex tuus venit tibi.* An non exultaret et iubilaret Neapolis, si rex Hispaniarum, cuius imperio subiecta est, [36a] veniret ad eam visitandam? Praecipua autem causa laetitiae est, quia *rex... venit... pauper* et humilis, nam, ut inquit P a u l u s , *cum esset dives, egenus propter* nos *factus est, ut illius inopia* nos *divites* essemus. Paupertas igitur haec infinitam Christi erga Ecclesiam suam caritatem ostendit eandemque humilitas. Cum reges et principes suapte natura sint divitiarum et honorum avidissimi, hic autem rex ditissimus et gloriosissimus amore tui captus, dimissa regali pompa, ut te pauperem et

30) Mt 11, 28. 31) Ibid. 21, 5. Vulg.: *Super asinam.* 32) 19, 11-16. 33) Mt 21, 9. 34) 1 Rg 10, 24. 35) 3 Rg 1, 39. 36) Cf. Io 12, 18. 36a) Ex hoc forte colligi potest sermonem hunc in regno neapolitano habitum fuisse, quod tempore S. Auctoris Hispaniarum regi subiectum erat et a viceregibus interdum tyrannice gubernatum; qua de causa S. Laurentius ab Apostolica Sede Neapolitanorum orator ad Philippum III in Lusitaniam missus fuit, et Ulyssipone obiit. Cf. S. Laurentius a Br. *Mariale, Praefat. in Edit. Universam,* pag. IX.

humili loco natam uxorem sponsamque accipiat habeatque, venit ad te pauper et humilis.

Magni amoris duo sunt indicia: multa agere et multa pati causa dilecti. Haec duo ostenduntur nobis in hodierno Evangelio. Quae egit: quoniam *venit tibi*. Venit de coelo in terram: *Exivi a Patre et veni in mundum.* [37] *Venit*, sed *tibi*, non sibi, ad quaerendam utilitatem aut gloriam aut voluptatem suam, sed ad procurandam et promovendam salutem tuam. *Venit* autem *pauper* et humilis, abiectus, non necessitate sed voluntate, quales postmodum fuerunt multi Sancti, ut Beatus Franciscus et alii, qui ex alto divitias et gloriam mundi contempsere et cum Paulo tanquam stercora arbitrati sunt. [38] Quis autem nesciat qualis et quanta sint paupertatis et abiectae fortunae incommoda?

Magni amoris signa erga nos ostenduntur hodie in Christo,

Imo videte ineffabilem Christi caritatem erga Ecclesiam suam: laetus et exultans hodie pergit ad sufferendam pro nobis mortem et mortem crucis. Vere dixit Apostolus: *Scire... supereminentem scientiae caritatem Christi,* [39] idest superiorem omni scientia et cognitione: comprehendi non potest, nec ex ipsa quidem passione et morte. Sicut enim divini templi fenestrae obliquae erant, interiori parte latiores, exteriori autem angustiores, ita ut per eas tota templi magnitudo videri minime posset, [40] sic ex operibus et passionibus Christi non satis cognosci potest immensa caritas in ipsius pectore manens; non enim ad mensuram dedit ei Pater spiritum, [41] sed unxit eum oleo laetitiae prae participibus suis, [42] ut esset sol caritate inter Sanctos Dei. Hinc Divinus Vates hoc loco subobscure demonstrat Christi caritatem, quoniam incomprehensibilis et ineffabilis. Ob eam autem summopere laetandum nobis est, quoniam ipsa nobis causa est omnium bonorum.

qui exultans pergit ad mortem, quod utique signum est ineffabilis caritatis.

IV. Proponitur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio triumphus Christi, vel potius ovatio, minor triumphus, quo victor, non insigni admodum parta victoria, civitatem ingrediebatur equo insidens myrtea corona redimitus, tota acclamante civitate. [43] Magno

Verus triumphus Christi fuit eius ascensio in coelum,

37) Io 16, 28. 38) Cf. Phil 3, 8. 39) Eph 3, 19. 40) Cf. 3 Rg 6, 4. 41) Cf. Io 3, 34. 42) Cf. Ps 44, 8; Hebr 1, 9. 43) Cf. Plutarchus *Illustrium Vitae Marcellus* I. 84.

cum triumpho Christus coelestem Ierusalem ingressus fuit in die ascensionis;[44] hodie cum ovatione ingreditur Ierosolymam terrestrem, acclamantibus turbis: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* [45] Sic miris laudibus Christus ab universo populo super sidera extollebatur, nam: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua et potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur et mirabilia tua narrabunt; et virtutem terribilium tuorum dicent et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt et iustitia tua exultabunt... Gloriam regni tui dicent et potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum regnum omnium saeculorum et dominatio tua in omni generatione et generatione.* [46] Sic multis verbis Regius Vates divinam hanc Christi ovationem praenunciavit.

hodiernus ovatio potius dicenda est, quae iam a Regio Vate praenunciata fuerat.

Voluit autem Deus Christum hodie sic honorari, ut sciamus quoniam honos praemium virtutis est virtutique debetur et ut hodiernus honos imago quaedam esset futurae gloriae. Voluit Christus honorem hunc sibi exhibitum acceptare, nec fugere, sicut alias fecit cum voluerunt regem eum facere, [47] ut sciamus quod, si honoris cupidus fuisset, utique rex temporalis, ut David et Salomon, fieri potuisset. Ad ostendendam etiam mundanam vanitatem, ut mundo nihil fidamus, quoniam instar maris est quod, si nunc quidem tranquillum est, mox, orto vento, turbatur. Sic Regius Vates ait quod, *qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo;* nam *dixit et stetit spiritus procellae:* ecce tranquillitas, cum mare veluti marmoreum esse videtur; sed *exaltati sunt fluctus eius; ascendunt usque ad coelos et descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius.* [48] Hodie Christus veluti secundo vento per mare mundi huius navigavit, nam *statuit procellam eius in auram et siluerunt fluctus eius; et laetati sunt quia siluerunt, et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* [49]

Deus voluit hodie Christum sic honorari in praemium virtutis.

Christus autem hunc honorem acceptare voluit ad ostendendam mundanam vanitatem et ut mundo nihil fidamus.

44) Cf. Act 1, 9. 45) Io 12, 13. 46) Ps 144, 3-13. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Et generationem.* 47) Cf. Io 6, 15. 48) Ps 106, 23-27. 49) Ibid. vrr. 29-30.

Sed, o mundi mirabilem instabilitatem ac mutabilitatem! Hodie tota civitas Christum honorificentissime suscepit ac tanquam regem, verum Messiam honoravit; et post paucos dies, mutatis animis, clamare coram Pilato nunquam destitit: *Tolle, tolle, crucifige eum*, [50] quousque in crucem adactum vidit inter latrones et scelerosos. [51] Et nos tanti adhuc facimus mundanum honorem, ut saepe eum divinae gloriae praeferamus?

qui hodie Christum adeo honorat et paucos post dies in crucem extollet.

R e g i u s V a t e s praevidens in spiritu hodiernam festivitatem ait: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, quoniam *Deus Dominus . . . illuxit nobis*. [52] Quisnam est iste rex qui venit? *Deus Dominus* omnipotens, Deus venit ad salvandum nos.

50) Io 19, 15. 51) Cf. Mt 27, 35-38; Mc 15, 25-27; Lc 23, 33; Io 19, 18. 52) Ps 117, 26-27.

FERIA SECUNDA PALMARUM

Memores beneficii accepti in Lazari suscitatione, Martha et Maria coenam Christo fecerunt.

I. Requirit ipsa ratio et iustitia exigit, ut qui domum aedificavit habitet in ea, qui plantavit vineam arboresque comedat fructus arborum uvasque vitium et vinum vindemiae bibat; qui seminavit agros in messe frumenta recipiat. Mirum igitur non est si Christus, qui magnam hanc domum mundi fabricavit, venire voluit per Verbi incarnationem, qua Deus homo factus est, ad domum hanc inhabitandam. Hoc est in sacrosancto hodierno Evangelio: *Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam.* [1] Et si ipse est qui dixit: *Producat terra herbam virentem et facientem semen lignumque pomiferum faciens fructum,* [2] qui paradisum terrestrem plantavit arboribus omnibus consitum, [3] quid mirum si ipse quoque ex hisce fructibus comedere voluit? *Fecerunt autem ei coenam ibi.* [4] Impii et ingratissimi censentur agricolae qui dominis vinearum atque agrorum non dant fructus, vel saltem aliquam fructuum partem temporibus suis, in signum recognitionis dominii, sicut fecerunt scelestes [4a] illi agricolae vineae patrisfamilias evangelici; [5] at non sic sancti Dei faciunt; sed Deum omnium bonorum auctorem cognoscentes, pro acceptis beneficiis iugiter Deo habent animo, agunt verbis operibusque referunt gratias. Ob id hodie fecerunt Martha et Maria coenam Christo, memores beneficii accepti ab eo in Lazari suscitatione. [6]

1) Io 12, 1. 2) Gn 1, 11. Vulg.: *Germinet terra... et lignum*, etc. 3) Cf. ibid. 2, 8-9. 4) Io 12, 2. 4a) De hoc adiectivo cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis.* 5) Cf. Mt 21, 33-39. 6) Cf. Io 11, 1-44.

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus, etc. [7]

II. Sancta illa vidua sareptana magna devotione affecta erat erga sanctum prophetam Eliam, quem divinitus inspirata hospitio receperat, sed multo maiore affecta fuit postquam unicum filium eius a morte suscitavit vir Dei. [8] Et mulier sunamitis magnam animi devotionem habebat erga Eliseum, sed multo maiorem postquam ab illo unicus eius filius a morte ad vitam revocatus fuit. [9] Sic utique Martha et Maria Magdalena pium valde animum magnumque devoti amoris affectum erga Christum ostenderant ante mortui fratris suscitationem, sed multo maiorem postquam miraculo omnium maximo Lazarum Christus a morte suscitavit. Hinc cum venisset hodie Christus Bethaniam, ubi Lazarum suscitaverat, [10] fecerunt ei coenam, et Martha ministrabat; Maria vero non otiosa mansit, sed tulit *libram unguenti nardi pistici, pretiosi* [11] *et effudit super caput ipsius* Christi *recumbentis* [12] in accepti beneficii recognitionem. Nam ad hoc venisse Bethaniam hodie visus est Christus, ad renovandam suscitationis Lazari memoriam, ob id enim Evangelista commemorat et mortem et suscitationem: *Venit Bethaniam ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.*

Ostenditur hodie magna devotio Marthae et Mariae erga Christum,

qui maximo miraculo eorum fratrem a morte suscitavit.

Proprium videtur esse Dei ut, sicut largissimus est in beneficiis concedendis, ita strictissimus sit in exigenda beneficiorum suorum grata memoria. Pluit Hebraeis manna in deserto: iussit ut vas plenum ex eo asservaretur in perpetuam memoriam repositum coram Domino in arca. [13] In memoriam beneficii creationis voluit ut per singulas hebdomadas celebraretur festum sabbati; [14] in memoriam divinae gubernationis et providentiae ut per singulos menses celebraretur prima die mensis festum Neomeniae, novilunii. [15] Eduxit populum suum ex Aegypto: voluit ut per singulos annos in memoriam huius beneficii celebraretur festum paschale. [16] Si dedit terram promissionis bonis omnibus affluentem, in qua liberi viverent, non servi

Deus strictissimus est in exigenda beneficiorum suorum grata memoria,

ideo mandavit ut dies festi celebrarentur a populo.

7) Pericope huius diei Io 12, 1-9. Cf. Missale Rom. 8) Cf. 3 Rg 17, 10 sqq. 9) Cf. 4 Rg 4, 1-37. 10) Ms.: *Suscitaverant.* 11) Io 12, 3. 12) Mt 26, 7. 13) Cf. Ex 16, 8 sqq. 14) Cf. ibid. 20, 8-11. 15) Cf. Nm 28, 1-15. 16) Cf. Ex 12, 1 sqq.; Dt 16, 1-8.

In quibus ipsa beneficia et divinus benefactor grato animo recognoscerentur.

sicut fuerant in Aegypto, iussit celebrari festum pentecostes, tempore quo meti incipiebat et percipi fructus terrae illius: [17] *Et recordaberis,* inquit, *quia servus fuisti in Aegypto.* [18] Pro beneficio particularis protectionis et providentiae divinae in deserto quadraginta annis iussit festum tabernaculorum, ut populus universus septem diebus habitaret sub tabernaculis, tuguriis et umbraculis factis ex arborum ramis. [19] Et si legem coelitus dedit, in memoriale perpetuum voluit ut in lapidibus scripta asservaretur in arca. [20] Virgam etiam illam, qua Moyses divina virtute operatus fuerat prodigiosa portenta in salutem populi, voluit similiter asservari. [21] Sic perpetuam Deus exigit beneficiorum suorum memoriam, ut beneficiis affecti cognoscamus ipsa beneficia et benefactorem grato semper animo recognoscamus.

Hinc forte hominem extra paradisum condidit, ut sciret se dono Dei fuisse illa felicitate donatum.

Ob id crediderim quod Deus non in paradiso, sed extra paradisum hominem formarit, et ad felicitatem illam cum vitae immortalitate perpetuo possidendam praeceperit ne de ligno scientiae boni et mali comederet, [22] sciret non natura, sed dono, gratia et perpetuo beneficio Dei se illa felici immortalitate donatum; sicut lunae lumen non naturale illi est, sed solis perpetuum donum ac beneficium. Hominem Deus fecit ex terra et terra bona, ut sicut terra bona esset quae cultori et seminatori suo reddit pro uno grano frumenti spicam et quandoque duas etiam et tres spicas, pro uno grano quandoque triginta, quandoque sexaginta, nonnunquam etiam centum grana reddit.

Omnes Sancti gratissimos se Deo semper exhibuerunt, sicut Noe et Abel,

III. Deus vero, ad cuius imaginem et similitudinem condita anima nostra est, [23] facit misericordiam in millibus iis qui diligunt ipsum et custodiunt mandata ipsius. [24] Hinc Sancti omnes gratissimos se Deo semper exhibuere. Noe, *vir iustus atque perfectus,* [25] salvus et incolumis egressus ex arca statim erecto altari obtulit sacrificia Domino ex animalibus mundis; [26] et primum quod Domino placuisse legimus, fuit sacrificium Abelis; [27] Abraham ubique altaria erigebat. [28]

Nec tantum sacrificiorum oblationibus Deo gratias agebant, sed mille aliis modis. Abraham ob partam victoriam adversus quattuor

17) Cf. Dt 16, 8-10. 18) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Quoniam servus fueris,* etc. 19) Cf. ibid. vrr. 13-16. 20) Cf. Ex 25, 16. 21. 21) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis,* Dominica Secunda Quadrag., pag. 462, not. 69. 22) Cf. Gn 2, 7. 15-17.
23) Cf. ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 24) Cf. Ex 20, 6; Dt 5, 10. 25) Gn 6, 9.
26) Cf. ibid. 8, 18 sqq. 27) Cf. ibid. 4, 4. 28) Cf. ibid. 12, 7; 13, 18.

reges dedit decimas Melchisedecho sacerdoti Dei Altissimi, qui panis et vini Deo sacrificium obtulit pro gratiarum actione.[29] Iacob in loco ubi ipsi primo Deus apparuit,[30] erexit altare et vocavit *nomen loci illius Bethel.*[31] Ioseph Dei dono factus magnus in Aegypto, ut semper viridem memoriam divini beneficii conservaret filio, qui primo natus est ei, imposuit nomen *Manasse* dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei ;* filio autem alteri, qui postea natus est ei, imposuit nomen *Ephraim* dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae.*[32] Similiter Moyses primum filium vocavit *Gersam* dicens: *Advena fui in terra aliena ;* alterum vero *Eliezer* dicens: *Deus ... patris mei adiutor meus et eripuit me de manu Pharaonis.*[33] Universus populus Dei egressus cum salute de medio maris Rubri, cecinit canticum Domino;[34] transito autem simili modo Iordane, acceperunt duodecim durissimos lapides de medio eius et posuerunt in monumentum aeternum tanti beneficii.[35] Debora et Barac, accepta divinitus victoria contra Sisaram, canticum Domino cecinerunt;[36] Anna mater Samuelis cecinit canticum Domino pro filio accepto;[37] David *Canticorum* librum composuit in memoriam divinorum beneficiorum;[38] Ezechias, accepto salutis beneficio, *Canticum* gratiarum cecinit.[39]

Abraham, Iacob et Ioseph,

Moyses et omnis populus post transitum maris Rubri et Iordanis,

Debora et Barac, Anna, David et Ezechias,

In Novo autem Testamento Sanctissima Virgo Maria,[40] Zacharias pater Ioannis,[41] Simeon sanctus senex.[42]

Virgo Sanctissima et alii.

IV. Sic omnes Sancti sategere semper ut sese Deo pro acceptis beneficiis gratissimos exhiberent, scientes ingratitudinem Deo summopere displicere. Siquidem ab ingratitudine animi oritur omne malum. Hinc ubi apud Matthaeum legimus: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,*[43] apud Lucam sic legimus: *Eritis filii Altissimi, quia ... benignus est super ingratos et malos.*[44] Prius

Ingratitudo summopere Deo displicet, quia ex ea oritur omne malum.

29) Cf. ibid. 14, 18-20. 30) Cf. ibid. 28, 12-18. 31) Cf. ibid. 35, 6-15. 32) Ibid. 41, 51-52. 33) Ex 2, 22. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, *et* expunctum fuit. 34) Cf. ibid. 15, 1-19. 35) Cf. Ios 4, 19 sqq. 36) Cf. Idc 5, 1 sqq. 37) Cf. 1 Rg 2, 1-10. 38) Cf. 2 Par 7, 6; Eccli 47, 11-12; Lc 20, 42. 39) Cf. Is 38, 9-20. 40) Cf. Lc 1, 46-55. 41) Cf. ibid. vrr. 67-79. 42) Cf. ibid. 2, 28-32. 43) 5, 45. 44) 6, 35.

dicit *ingratos* et postea *malos*, quoniam ingratitudo est fons omnium malorum.

Qui divina beneficia cognoscunt nunquam contra Deum aliquid admittunt.

Ioseph cognoscens beneficia accepta a domino suo in Aegypto, invitatus a domina sua, mala illa femina, ad peccandum renuit dicens: Ecce dominus meus omnia dedit in manu mea, praeter te, quae uxor illius es. Quomodo ergo faciam malum magnum istud et peccabo in Deum? [45] Quomodo, inquit, possum pro bonis mala reddere, pro beneficiis magnis maleficia magna rependere? Beneficia ligant amoris vinculis animos hominum; amor autem hominem reddit ad bene agendum amato potentem, impotentem vero ad male agendum. Hinc iusti Deum diligentes ad bene agendum potentissimi sunt, ad peccandum vero valde impotentes; ubi, e contra, peccatores potentes ad malum sunt, ad bonum vero impotentes. Superat virtus peccatorum hominum vires; sed iustorum vires nonnisi a peccato superantur. Hoc solum non posse se dicunt; alias: *Omnia possum in eo qui me confortat.* [46] Cognoscens Ioseph accepta beneficia, committere se non posse dixit malum illud contra dominum suum. Sic qui divina beneficia cognoscit nunquam male, sed bene semper agit.

In Bethania hodie Christo coena paratur, in qua Martha diligentissime ministrat, Maria mille obsequiis Christum honorat;

Hinc hodie in Bethania homines a Christo beneficiis affecti *fecerunt... ei coenam ibi, et Martha ministrabat* Christo, cui millia millium ministrant Angelorum in coelo. [46a] Ministrabat summa cum diligentia, *satagebat circa frequens ministerium,* [47] Maria vero accepit in alabastrino vase *libram... nardi pistici, pretiosi et unxit pedes Iesu et extersit... capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti.* [48] Maria memor non tantum corporalis suscitationis Lazari, sed multo magis spiritualis resurrectionis suae a morte peccati, quoniam ad pedes Christi audierat: *Dimittuntur tibi peccata tua... Fides tua te salvam fecit, vade in pace,* [49] memor accepti beneficii, iterum sicut prius, [50] lavat Christi pedes lacrimis, tergit capillis, ungit unguento optimo, odoratissimo, quod plus quam trecentis denariis valebat. Unde murmurat Iudas proditor discipulus ingratissimus, [51] qui Christo ob accepta beneficia non solum non retulit aut egit vel habuit gratias, sed mala pro bonis reddidit Christum triginta denariis vendens inimicis, [52]

solus Iudas obmurmurat, quia ingratus.

45) Cf. Gn 39, 8-9. 46) Phil 4, 13. 46a) Cf. Dn 7, 10. 47) Lc 10, 40. 48) Io 12, 3. 49) Lc 7, 48-50. Vulg.: *Remittuntur tibi*, etc. Iuxta opinionem qua Maria soror Lazari et Magdalena unica persona est. Cf. supra, Feria Quinta Dom. Passionis, pag. 136. not. 80. 50) Cf. Lc 7, 37-38. 51) Cf. Io 12, 4-5. 52) Cf. Mt 26, 14-15.

quoniam unguentum trecentis vendere non potuit. Si gratus Christo Iudas fuisset, nunquam in tale tantumque scelus prolapsus fuisset. Ingratitudo enim radix est omnium malorum. Hinc saepe Deus peccatoribus beneficia collata improperat, sicut fecit Davidi per Nathan arguens illum[53] de adulterio et homicidio,[54] sicut fecit Sauli per Samuelem arguens illius inobedientiam.[55]

Multa beneficia nos quoque a Christo accepimus, ipse enim nobis contulit omnia bona corporalia naturae,

V. Sanctae igitur mulieres hae hodie in recognitionem accepti beneficii faciunt coenam Christo. Faciamus et nos, qui non unum, sed multa a Christo accepimus beneficia. Gratitudo animi requirit ut benefactori reddatur beneficium duplicatum et triplicatum. Nobis autem Christus tres coenas perpetuas et magnificentissimas fecit, multo magnificentiores et splendidiores celeberrimo illo et decantatissimo magni Assueri convivio.[56] Prima coena est bonorum corporalium, quae ad naturae conservationem spectant; secunda coena est bonorum spiritualium quae spectant ad gratiam non tantum conservandam et adaugendam, sed etiam conferendam; tertia est quam praeparavit nobis in paradiso bonorum divinorum et semper manentium. Duas priores accepimus omnes, hoc est quod bis Christus satiavit turbas famelicas; primo quidem, quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum;[57] postea vero septem panibus hominum quattuor millia.[58] Tertiam nondum accepimus, sed iam paratum factumque est convivium in Apolline.[59]

spiritualia gratiae, aeterna gloriae;

Christo ergo pro tot beneficiis debemus caritatem, observantiam divinorum mandatorum

Si non possumus Christo duplicata et triplicata beneficia reddere, saltem tribus acceptis reddamus ei coenam unam. Paremus ante divinum propitiatorium mensam panum propositionis.[60] Non requirit a nobis Christus splendidam et sumptuosam coenam; paucis contentus est, solo pane et aqua. Hinc vice quadam a discipulis suis cibum petens dixit: *Habetis hic aliquid quod manducetur?*[61] Aliquid petit eorum quae habemus. Panis Christi est caritas et observantia divinorum mandatorum: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui in coelis est, ut perficiam opus eius.*[62] A muliere autem sa-

53) Ms.: *Ille.* 54) Cf. 2 Rg 12, 1-12. 55) Cf. 1 Rg 15, 17-23. 56) Cf. Est 1, 3-8. 57) Cf. Mt 14, 15-21; Mc 6, 36-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 58) Cf. Mt 15, 32-38; Mc 8, 1-9. 59) Idest convivium splendidissimum. De hoc dicto cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 557. 60) Cf. Ex 25, 23-30; 40, 20-21. 61) Lc 24,41. 62) Io 4, 34. Inserit pericopam Mt 7, 21; 12, 50.

maritana aquam petiit: *Da mihi bibere,* [63] aquam autem fidei: *Mulier, crede mihi.* [64] Sola fide et caritate contentus est Christus; nihil aliud a nobis necessario requirit, nisi ut fide eum cognoscamus, fides enim intellectum illuminat ad cognoscendum Christum, caritate ut [65] diligamus, nam caritas voluntatem accendit ad Deum diligendum.

et fidem, ut eum fide cognoscamus et caritate diligamus.

Quis est qui tam frugalem et pauperem coenam Christo praeparare non possit? Quis est qui mente et animo caret, qui caput et cor non habet? Ne, quaeso, simus ingrati Deo, ne simus sicut pisces qui, in medio salsi maris procreati et nutriti, semper tamen insipidi sunt. Quid enim mundus iste est nisi mare magnum, imo maximum gratiarum, donorum et beneficiorum Dei? Omnia elementa, coelum et terra, mare et omnia quae in eis sunt, [66] quid sunt nisi dona Dei? Elementa in hominum alimenta creata sunt, maxime vero terra et aqua; aer vero quam maxime necessarius est, quoniam sine respiratione nec ad horam vivere potest homo. Et tamen, cum in maximo hoc mari gratiarum et beneficiorum Dei progeniti et educati simus, ob ingratitudinem animi nonnisi insipidissimi pisces esse videmur, Deo potius mala pro bonis reddentes quam duplicata beneficia.

Ne simus ergo ingrati reddentes mala pro bonis Deo, qui tot beneficiis nos cumulavit.

Sunt iusti sicut arbores optimae, quibus hortulanus vix modicum aquae dat et labore minimo vix semel in anno humum circa radices movet fodiendo et stercora mittendo circa eas, et tamen pro tam parvis beneficiis acceptis reddunt ei fructus optimos, pulcherrimos, suavissimos, in magna copia, convertentes mirabili quadam alchymia et metamorphosi vilissima stercora in nobilissimos cibos regalibus mensis dignos. Sic, inquam, iusti; terra enim sunt bona referens fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum, [67] *in corde bono et optimo... fructum afferunt in patientia.* [68] Accipiunt a Deo mala mundi huius, sicut Iob, [69] et reddunt bona, gratias agunt Deo. Sic fecerunt hodie sanctae istae mulieres.

Iusti pro quovis beneficio et etiam pro ipsis malis gratias Deo reddunt;

Iniusti vero sunt tanquam animalia, quae, [70] quamvis optimis cibis a domino nutriantur, non reddunt tamen nec emittunt aliud a

63) Ibid. vr. 7. 64) Ibid. vr. 21. 65) Ms.: *Ad.* 66) Cf. Ps 145, 6. 67) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20; Lc 8, 8. 68) Lc 8, 15. 69) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 70) Ms.: *Qui.*

se quam stercora putentissima, reddunt Deo mala pro bonis. Sicut hodie videmus in Iuda proditore, qui pro acceptis a Christo maximis optimisque beneficiis pessima maleficia reddidit.

Iniusti autem pro maximis beneficiis pessima maleficia.

II. ALIA HOMILIA

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus. [1]

I. Pascha quidem transitum Christi significat ex hoc mundo ad Patrem, a morte ad vitam, a passione ad gloriam. Divus Matthaeus ait quod *post sex dies* Christus transfiguratus fuit *et resplenduit facies eius sicut sol.* [2] Idem est mysterium paschae et transfigurationis *ante sex dies* et *post sex dies ;* Deus enim per laborem sex dierum pervenit ad quietem sabbati,[3] sic et Christus per laborem passionis venit ad gloriam resurrectionis.

Pascha transitum Christi ex hoc mundo ad Patrem significat.

Sed quaenam sunt opera quae Christus sex diebus hisce operatus est? Sex diebus Deus operatus est omnia, quae in mundo isto corporeo oculis cernuntur et quaecunque homini, propter quem creatus est mundus, futura erant vel necessaria vel utilia ac delectabilia placitaque ad corpoream vitam sustentandam corporeosque sensus oblectandos. Sic Christus sex hisce diebus operatus est quaecunque sacrosanctae Ecclesiae, spirituali mundo, ad salutem animae necessaria utiliaque sunt

Christus sex hisce diebus omnia operatus est quae necessaria erant in mundo spirituali.

II. Recensent autem Evangelistae multa opera a Christo postremis hisce diebus sex mirabiliter operata. Hodie, qui primus est horum sex dierum,[4] venit Bethaniam et recipit coenam a fidelibus suis sibi paratam. Sed in hoc itinere illuminavit caecum a nativitate Bartimaeum filium Timaei,[5] et per fidem salvavit Zachaeum, in cuius domum ingressus dixit: *Hodie salus domui huic* a Deo *facta est.* [6] Secundo die ingressus fuit cum regali pompa in Ierusalem ingressusque in templum curavit caecos et claudos,[7] nam Ioannes

Sex praecipue opera Christi recensentur: *a*) iter in Bethaniam,

1) Io 12, 1. 2) 17, 1-2. Vulg.: *Post dies sex.* 3) Cf. Gn 1, 1-2, 1-3. 4) Ms.: *Dies.* 5) Cf. Mc 10, 46 sqq. 6) Lc 19, 9. 7) Cf. Mt 21, 7-14.

b) triumphalis eius ingressus in Ierusalem.

ait, postquam de coena hac locutus est: *In crastinum autem turba multa*, etc.,[8] agens de mirabili ingressu Christi in Ierusalem. Cum autem sero reversus fuisset Bethaniam,[9] altera die, inquit Marcus, Ierosolymam regressus, in itinere maledixit ficulneae infrugiferae, quae continuo aruit, et ingressus in templum eiecit inde vendentes et ementes conquerens quod domus Dei facta esset spelunca latronum.[10] Facinore autem isto peracto, rediit sero Bethaniam; mane autem quartae diei iterum Ierosolymam reversus est, ut Marcus ait. In itinere autem, occasione sumpta a ficulnea maledictione arefacta, Apostolos multa docuit de fide et oratione.[11] Postea vero ingressus in templum in parabolis multa locutus est disputationemque habuit cum principibus sacerdotum, cum Pharisaeis, cum scribis et cum Sadducaeis, in quibus quidem tum parabolis tum disputationibus et sermonibus cum discipulis seorsum habitis, postquam e templo et civitate egressi sunt ad montem Oliveti, multa docuit futurorum mysteria, de reprobatione Iudaeorum et Gentium vocatione, de gloria paradisi, de mortuorum resurrectione, de finali iudicio, de gloria electorum et reproborum poenis post iudicium.[12] Quinto autem die, hoc est biduo ante pascha, referunt Matthaeus[13] et Marcus[14] iterum factam fuisse Christo coenam in Bethania in domo Simonis leprosi, ubi defendens et collaudans opus Mariae Magdalenae praetulit religionem ac dilectionem erga Deum divinumque cultum pietati et beneficentiae erga pauperes. Pridie autem Paschae, primo die azymorum, instituit in ultima coena sanctissimum Eucharistiae sacramentum, lavit discipulorum pedes et divinum cum Apostolis habuit sermonem. Et sic, peracta coena hymnoque dicto, egressus fuit a Ierusalem, trans torrentem Cedron, ad locum orationis, praeparans se ad futuram in crastinum passionem et mortem.[15]

c) regressus in Bethaniam.

d) ingressus in templum et disputatio cum Pharisaeis,

e) coena in Bethania in domo Simonis,

f) institutio divinae Eucharistiae,

Multis igitur divinis operibus Christus postremos hos sex vitae suae dies[16] illustravit, et forte non incongrue respondent sex horum dierum opera operibus sex dierum creationis. Nam primo quidem die Deus creavit mundum, terram, coelum visibile et invisibile empy-

8) 12, 12. 9) Cf. Mt 21, 17. 10) Cf. 11, 13-17. 11) Cf. ibid. vrr. 19-26. 12) Cf. ibid. vrr. 28 sqq.; 12, 1-13, 1 sqq. 13) Cf. 26, 6-13. 14) Cf. 14, 3-9. 15) Cf. Mt 26, 26-36; Mc 14, 22-32; Lc 27, 14-39; Io 13, 1-18, 1. 16) Ms.: *Divinis operibus* repetitur.

teum; sic in Bethania in tribus personis, quas Christus diligebat, Lazaro, Martha et Maria, designatur Ecclesia, sacer mundus in tribus statibus, poenitentium, activorum et contemplativorum: Lazarus terram significat, quae *erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi;* [17] *Ubi Lazarus fuerat mortuus.* [18] Sed *dixit... Deus: Fiat lux:* [18a] *Quem suscitavit Iesus.* [19] Martha coelum semper mobile, Maria quietum empyreum: hae sunt fideles animae Christi sponsae, quae Christum in Bethania hospitio recipiunt eique coenam parant, unde ait: *Fecerunt autem ei coenam ibi et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus. Maria ergo accepit,* etc. [20]

quae respondent operibus sex dierum creationis.

III. Ante divinum propitiatorium mensa semper parata erat cum duodecim panibus propositionis, sive facierum. [21] Martha, Maria et Lazarus fecerunt coenam Christo, sed Lazarus discumbebat cum Christo, Martha ministrabat Christo, Maria ungebat pedes Christi capillisque suis tergebat. [21a] Christus tribus his personis quas diligebat, ait enim quod *diligebat... Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum,* tres coenas paravit: primam in mundo hoc ex omnibus bonis naturalibus; secundam in Ecclesia ex omnibus bonis spiritualibus, maxime sacramento Eucharistiae, et tertiam in paradiso ex omnibus bonis aeternis; Christus enim propter electos suos creavit mundum, aedificavit Ecclesiam, condidit paradisum.

Triplicem coenam electis suis Christus paravit: in hoc mundo ex bonis naturalibus, in Ecclesia ex spiritualibus, in paradiso ex aeternis:

Sed electi Dei nonnisi unam coenam possunt facere Christo, cibus enim Christi est virtutis opus: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Cibus Christi est divinorum mandatorum observantia; lex enim divina dicitur *voluntas Dei.* [22] Hanc servant omnes electi Dei, quos diligit Christus: *Diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum.* Haec est electorum Dei Sancta Ecclesia sine macula et ruga, sponsa Christi; hic sacer est mundus primo die conditus divinaque luce illustratus: *Et vidit... lucem quod esset bona divisitque* eam *a tenebris.* [23] Dividit hodie Christus lucem virtutis in Maria: *Bonum* [24] *opus operata est*

sed electi nonnisi unam Christo parare possunt, per observantiam divinae legis, nam cibus Christi virtus est.

17) Gn 1, 2. 18) Io 12, 1. 18a) Gn 1, 3. 19) Io 12, 1. 20) Ibid. vrr. 2-3.
21) Cf. Ex 25, 30: Lv 24, 5-8; supra, Feria Quarta Dom. Passionis, pag. 100, not. 17.
21a) Cf. Io 12, 3. 22) Cf. Ps 102, 7; 142, 10; Mt 21, 31; Io 9, 31; 1 Io 2, 17.
23) Gn 1, 4. Vulg.: *Et divisit,* etc. 24) Ms.: *Bonus.*

in me[25] a tenebris vitii in Iuda, qui contra illam murmurans oblatrabat: *Quare unguentum istud non veniit trecentis denariis et datum est egenis? Hoc autem dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens, ea quae mittebantur portabat,*[26] imo asportabat et furabatur.

Docet Christus caritatem erga Deum praestare caritate erga proximum.

Sic hodie Christus divinae sapientiae suae splendore illuminavit hunc spiritalem mundum docens quod, sicut Deus melior est homine et caritas erga Deum praestat caritati erga hominem, sic suapte natura opera religionis in Deum cultusque divino honori exhibitus praestant operibus pietatis erga pauperes, cum sunt extra statum magnae necessitatis, nam alioquin ait: *Misericordiam volo et non sacrificium.*[27]

In operibus pietatis sequi oportet motum divinae inspirationis rectaeque conscientiae dictamen,

IV. Divinae tamen inspirationis motum in his quisque sequi studeat satagatque, nam Maria hodie Divino Spiritu acta pretiosum unguentum fudit super Christi pedes – hoc est quod ait: *Praevenit ungere corpus meum in sepulturam,*[28] hoc enim Spiritus Sanctus intendebat, – Sanctoque Spiritu mota super Christum Maria fracto alabastro unguentum effudit odoratissimum ac pretiosissimum.[29] Sic docet Christus quod, si quis temporalibus bonis abundat eaque cupit pro salute animae suae in opera pietatis expendere, sequatur divinam inspirationem rectaeque conscientiae dictamen. Si divina inspiratione quis sentiat moveri sibi animum ut ecclesiam vel monasterium aut hospitale aliquod aedificet, vel templum exornet, secutus id exequatur; collaudat enim Christus hodie huiuscemodi opera. Si vero ad pauperes animus propensior sit, hoc quoque bonum est, distribuat facultates suas in cibos pauperum, ad sublevandas eorum necessitates, nam ait: Quod *uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*[30]

sed potius est opus caritatis erga Deum, qua flagrabat Maria, opere caritatis erga proximum qua sollicita erat Martha.

Prius erit opus Mariae, posterius Marthae; prius opus caritatis in Deum, qua flagrabat Maria, posterius opus caritatis in proximum, qua sollicita erat Martha. Sed *Maria optimam partem elegit,*[31] idest multo meliorem quam Martha. Sic Christus hodie opus Mariae collaudat et extollit supra opera pietatis in pauperes et egenos. Bene

25) Mt 26, 10. Vulg.: *Opus... bonum.* 26) Io 12, 5-6. Vulg.: *Hoc unguentum... dixit autem hoc,* etc. 27) Os 6, 6; Mt 9, 13; 12, 7. 28) Mc 14, 8. 29) Cf. ibid. vr. 3. 30) Mt 25, 40. Vulg.: *Fecistis uni ex... meis minimis,* etc. 31) Lc 10, 42.

fecisset Maria si divenditum unguentum dedisset egenis, sed ad hoc agendum minime sensit internum animi motum et inspirationem, nec pauperes vidit egentes, nec audivit eleemosynas petentes; sensit autem cordis inspirationem ad opus suapte natura multo excellentius multoque excellentioris virtutis, ideo multo melius fecit.

Docet ergo Christus ut, si quos videamus bonis operibus incumbentes, ne contra eos obmurmuremus, eo quod nostro iudicio multo melioribus possent operam dare, sed ut recte facta collaudemus, quoniam ad haec agenda divinitus inspirati sunt, non autem ad illa. Haec lux est qua Christus hodie sacrum hunc Sanctae Ecclesiae mundum illustrat, quod bona opera Deo inspirante in Christi honorem facta, quamvis hominibus vana et inutilia esse videantur, ut quae circa Dei cultum pro Dei honore in ecclesiis exhibentur, Deo sunt grata merenturque tum a Deo tum etiam ab hominibus honorem et laudem. Sic Deus vidit lucem et laudavit.

Opera bona recta intentione facta a Deo et ab hominibus laudem merentur.

III. ALIA HOMILIA

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam . . . Fecerunt autem ei coenam ibi et Martha ministrabat. Lazarus vero, etc. [1]

I. Per Bethaniam hanc, in qua fit hodie coena Christo, procul dubio Sancta Ecclesia designatur, quae d o m u s est e x a u d i t i o n i s, h u m i l i a t i o n i s et a f f l i c t i o n i s.[2] Hic suscitatur Lazarus a morte peccati per sacramentum Poenitentiae: *Solvite . . . et sinite abire.* [3]

Bethania figura est Ecclesiae.

In hac autem coena quattuor personae praecipue post Christum interveniunt: Maria Magdalena, Martha, Lazarus et Iudas. Tres personae sunt quas Christus diligit, sicut legimus: *Diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum;*[4] una autem, Iudas est reprobatus. Est enim Sancta Ecclesia sicut arca Noe, in qua non tantum munda animalia, sed etiam immunda reperiebantur;[5]

Lazarus, sorores eius et Iudas iustos et reprobos repraesentant, qui in Ecclesia reperiuntur;

1) Io 12, 1-2. 2) Sic enim latine *Bethania* interpretatur. 3) Io 11, 44. 4) Ibid. vr. 5. 5) Cf. Gn 7, 2.

sicut domus Abrahae, in qua cum Isaac erat Ismael;[6] sicut domus Isaac, in qua cum Iacob Esau.[7] Est rete in mare, est campus cum zizaniis in medio tritici,[8] sagena quae in mari congregat ex omni genere piscium bonos et malos.[9]

hae personae figurant quattuor genera personarum.

Proponuntur nobis exemplaria quattuor generum personarum quae in Ecclesia reperiuntur: Maria exemplar est contemplativorum, qui perfecta sunt praediti caritate; Martha ministrans exemplar activorum; Lazarus a morte suscitatus exemplar poenitentium; Iudas proditor exemplar malorum christianorum.

Mariam supra omnes hodie Christus commendat

II. Maria in hac domo primum locum obtinet, nam *optimam partem elegit.*[10] Haec hodie a Christo supramodum est commendata: *Bonum opus operata est in me... Quod habuit haec fecit. Praevenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit Evangelium hoc in universo mundo, narrabitur quod haec fecit in memoriam eius.*[11] Supramodum Christus defendit et laudat opus Mariae praefertque operibus misericordiae, eleemosynae et caritati erga pauperes, nam inquit: *Pauperes... semper habebitis vobiscum et cum volueritis, potestis illis benefacere; me autem non semper habebitis.*[12] Hoc autem dixit Christus ad coercendam murmurationem: *Quare unguentum istud non veniit plus quam trecentis argenteis et datum est egenis?*[13]

eiusque operis excellentiam perpetua memoria in universo celebrandam fore praedicit,

Sed quaenam, quaeso, tanta huius operis dignitas et excellentia, ut Christus voluerit celebri perpetuaque memoria dignum in Ecclesia toto orbe diffusa praedicari? *Maria... accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi et unxit pedes* eius *et extersit... capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti.*[14] M a t t h a e u s vero ait quod *effudit super caput ipsius recumbentis;*[15] similiter M a r c u s quod, *fracto alabastro,* unguentum *effudit super caput ipsius.*[16]

quia excellentia boni operis a caritate pendet,

Sciendum nobis est quod excellentia et dignitas boni operis apud Deum a caritate pendet, nam P a u l u s ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum*

6) Cf. ibid. 21, 9. 7) Cf. ibid. 25, 24 sqq. 8) Cf. Mt 13, 37-40. 9) Cf. ibid. vrr. 47-48. 10) Lc 10, 42. 11) Mc 14, 6-9. Vulg.: *Evangelium istud... et quod fecit haec narrabitur,* etc. 12) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Semper... pauperes habetis... non semper habetis. Pauperes habebitis* lect. cod. 13) Io 12, 5. Vulg.: *Hoc unguentum non veniit trecentis denariis,* etc. 14) Ibid. vr. 3. 15) 26, 7. 16) 14, 3. Vulg.: *Caput eius.*

ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest [17] Hinc in die conversionis Magdalenae, cum recensuisset Christus bona opera ipsius, quia *stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat,* [18] subiunxit Christus: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* [19]

Hodie autem elucet magna valde et perfecta caritas Mariae erga Christum; nam non contenta magnifica coena coram Christo parata, nec ministerio Marthae sororis, abiit ipsa et accepit non modicum unguenti, sed libram, nec cuiusvis unguenti, sed nardi spicati, unguenti, inquam, odoratissimi et suavissimi odoris, unde *domus impleta est ex odore unguenti.* [20] Voluit autem ut esset unguentum pisticum, fidele, sincerum, purum, non adulterinum, non sophisticum, falsificatum; unguentum pretiosum, quod venundari potuit *plus quam trecentis denariis;* [21] posuit in vase alabastrino, pretioso, sic accessit ad Christum, et videns ipsius pedes pulverulentos ac sordidos, iterum lacrimis rigat et lavat, iterum capillis capitis sui tergit et ungit unguento tam pretioso. Quoniam vero ad ipsius pedes non poterat totum insumere, effudit totum supra caput ipsius, fracto etiam alabastro, ita ut dicat Christus: *Quod habuit haec fecit :* [22] fecit quod scivit et potuit facere erga Christum. Liquefiebat cor ipsius prae laetitia et gaudio magno.

quae hodie magna valde et perfecta in Maria erga Christum ostenditur in unguento pretioso quod effundit,

in lacrimis quibus pedes eius rigat,

Indignantur contra eam Apostoli commoti a Iuda proditore, murmurant contra eam: *Ut quid perditio haec unguenti facta est ?* [23] Ipsa vero patienter fert molestias et correptiones, non respondet, non se defendit, nam *caritas patiens est, benigna est.* [24]

in patientia qua fert molestias et murmurationes,

Cum ergo opus sit perfectae caritatis erga Christum, perfectae devotionis, non mirum si Christus tantopere hoc opus commendat, nam sic *optimam partem elegit,* ut diligeret Christum ex toto corde suo, et tota anima, mente et viribus suis; [25] hinc stans *secus pedes Domini audiebat verbum illius,* [26] otiatur corpore, spiritu autem Deo fruitur.

et ideo tantopere a Christo commendatur.

17) 1 Cor 13, 3. 18) Lc 7, 38. Cf. supra, hom. prima huius feriae, pag. 220, not. 49.
19) Ibid. vr. 47. Vulg.: *Remittuntur*, etc. 20) Io 12, 3. 21) Mc 14, 5.
22) Ibid. vr. 8. 23) Ibid. vr. 4. Vulg.: *Perditio ista*, etc. 24) 1 Cor 13, 4.
25) Cf. Lc 10, 27. 26) Ibid. vr. 39.

Maria exemplar est vitae contemplativae, cuius finis et obiectum Deus est;

III. Vita contemplativa, quae perfectorum est, nonnisi circa Deum versatur, Deus est eius tum finis tum obiectum exercitio virtutum theologicarum fidei, spei et caritatis. Cor Mariae vas erat alabastrinum, candidum, purum, super nivem dealbatum, [27] sed plenum unguentum pretiosissimo, optima plenum divina caritate, divino amore, divino spiritu, omni devotione et pietate erga Christum. Hoc unguentum cordis sui effundebat Maria nunc supra pedes sacrae humanitatis, nunc supra caput divinitatis Christi, nam *caput... Christi Deus;* [28] nunc enim contemplabatur mysteria humanitatis Christi, nunc vero sacramenta divinitatis ipsius; Christum autem et ut hominem et ut Deum purissimo et ardentissimo cordis affectu diligebat.

hodie autem rara admodum est.

Sed ubi nunc est haec Maria? Ubi vita contemplativa? Ubi perfecta caritas erga Christum? perfecta sanctitas? Ubi unguentum hoc odoratissimum, ita ut domus plena sit ex odore unguenti? *Christi bonus odor sumus* [29] in omni loco ob vitae divinam sanctitatem.

Martha exemplar est vitae activae, quae incumbit operibus misericordiae,

IV. *Fecerunt autem ei coenam ibi et Martha ministrabat.* Haec altera persona est quam Christus diligit. Martha ministrabat: *Martha... satagebat circa frequens ministerium.* [30] Haec vita activa est quae incumbit operibus misericordiae et pietatis: *Esurivi... et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere;* [31] Quod *uni ex... minimis meis fecistis, mihi fecistis.* [32] Vita contemplativa Deum habet pro fine et obiecto, caritati Dei tota incumbit cum exercitio theologicarum virtutum. Vita autem activa cum habeat Deum pro fine, praecipue tamen proximum pro obiecto habet, ut eum vera caritate diligat opere et veritate, cum exercitio quattuor cardinalium virtutum: *Fecerunt... ei coenam ibi et Martha ministrabat.* Martha virgo sapiens, oleum habens copiosum in vase, [33] praedita magna vitae innocentia et sanctitate, multis bonis operibus ornata: *Ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* [34]

cuius finis Deus est, sed obiectum proximus;

Sed, Martha, ubi es? Quo abiisti? Ubi nunc Lia fecunda multis filiis? [35] Ubi bonorum operum multitudo?

27) Cf. Ps 50, 9. 28) 1 Cor 11, 3. 29) 2 Cor 2, 15. 30) Lc 10, 40.
31) Mt 25, 35. 32) Ibid. vr. 40. Vulg.: *Fecistis ex... meis minimis*, etc.
33) Cf. Ibid. 25, 4. 34) Tit 2, 14. 35) Cf. Gn 29, 31 sqq.; 30, 17-21. Aliud secundum Patres exemplum vitae activae.

V. *Lazarus vero unus erat ex discumbentibus.* [36] Hoc est exemplar poenitentium.

Lazarus exemplar poenitentium.

IV. ALIA HOMILIA[1]

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus, etc. [1a]

I. Magnum profecto fuit miraculum suscitatio Lazari, [2] sed multo maius est revocatio peccatoris a morte peccati ad vitam gratiae. [3] Nam peccatum mors est; sic enim clementissimus pater de filio prodigo ait: *Frater tuus hic perierat et inventus est, mortuus erat et revixit.* [3a]

Suscitatio Lazari figura conversionis peccatoris.

In Lazari autem suscitatione Christus instituit veluti sacramentum Poenitentiae dicens: *Solvite eum et sinite abire,* cum a monumento prodiisset *ligatus manus et pedes institis :* [4] *Solvite eum : Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo ;* [5] *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* [6] Sed priusquam diceret Christus: *Solvite eum,* ait: *Tollite lapidem,* [7] ut videretur Lazarus mortuus, corruptus, putridus. Necesse est ut absolutionem praecedat confessio peccati, ut manifestentur peccata sacerdoti. Postquam David confessus fuit Nathan prophetae peccatum suum, accepit absolutionem; cum dixisset: *Peccavi Domino,* audivit: *Dominus . . . transtulit peccatum tuum,* noli timere, *non morieris.* [8]

In hac suscitatione Christus velut instituit sacramentum Poenitentiae.

Facillimus est Deus ad remittenda peccata humiliter confessa, nam hoc mysterium illud est quod divinum propitiatorium erat super alas cherubim. [9] Statim ut Isaias agnoscens peccatum suum dixit: *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum,* descendit Seraph de coelo, tetigit labia eius calculo ignito, dixitque: *Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.* [10] Absolutio sequitur confessionem. Filius prodigus magna cum

Deus facillimus est ad remittenda peccata humiliter confessa,

36) Io 12, 2.

1) Duae hae sequentes homiliae in codice inveniuntur post primam homiliam Feriae Tertiae Palmarum. Nos autem ad hanc Feriam transtulimus, cum sub eadem Evangelii pericope ponantur. 1a) Io 12, 1. 2) Cf. ibid. 11, 44. 3) Cf. S. Augustinus *In Ioannem,* tract. 72, (P. L. 35, 1823). 3a) Lc 15, 32. Ordine inverso affert pericopen hanc. 4) Io 11, 44. 5) Mt 18, 18. 6) Io 20, 22-23. 7) Ibid. 11, 39. 8) 2 Rg 12, 13. 9) Cf. Ex 25, 17-22; 37, 6-9. 10) Is 6, 5-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Tetigit hoc,* etc.

humilitate et lacrimis peccatum suum confessus fuit dicens: *Pater, peccavi in coelum et coram te ; iam non sum dignus vocari filius tuus;* [11] statimque remissionem accepit. Publicanus etiam percutiens pectus suum in templo magna cum humilitate confitebatur peccata sua dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori... Descendit... in domum suam iustificatus.* [12]

Ad obtinendam remissionem necessaria est cognitio peccati,

II. Necessaria est cognitio et confessio peccati ad remissionem obtinendam a Deo. Hoc est quod in lege decorticabatur a sacerdote animal quod offerebatur in sacrificium pro peccato; nam iubebatur quisque ut, admisso peccato, sacerdotem adiret cum victima ad offerendam illam Deo pro delicto placandamque iram divinam, ut in *Levitico* legimus. [13] Sic igitur tollendus est lapis a monumento, ut mortuus manifeste videri possit, manifestandum est peccatum occultum quod latet in corde.

necessaria etiam confessio auricularis,

Grave quidem est tollere lapidem, manifestare sepulcri spurcitias, immunditias occultas. Grave videtur praeceptum auricularis confessionis ob ruborem et verecundiam naturalem, nam quanti facit homo honorem tanti iusto pondere verecundiam facit. Sed nisi tollatur lapis et manifestetur peccatum occultum, non suscitabitur Lazarus, non resurget peccator a morte peccati ad vitam gratiae.

necessarius animi dolor et bona voluntas salutem vere desiderans.

Sororibus Lazari praecepit Christus, Marthae et Mariae: *Tollite lapidem.* Animus noster in peccato manens Lazarus est in monumento. Sorores animi sunt conscientia et voluntas bona, ardenti desiderio salutis praedita. Martha et Maria nimio dolore affectae erant ob mortem Lazari; mirum in modum desiderabant ut revocaretur ad vitam a Christo. Sic utique conscientia ob peccatum valde cruciatur, voluntas magno dolore afficitur, ut patet in lacrimis Magdalenae peccata sua plangentis. [14]

Peccatum aperiendum est sacerdoti, qui Christi locum tenet.

His ergo sororibus huius Lazari praecipit Christus tollere lapidem, conscientiae mandat Deus et voluntati ut peccatum occultum sacerdoti manifestent. Voluit Christus videre Lazarum mortuum, ut horror mortis ei manifestaretur. Sacerdos autem Christi locum in Sacramento tenet; huic ergo aperiendum peccatum est.

11) Lc 15, 21. 12) Ibid. 18, 13-14. Vulg.: *Iustificatus in domum suam.* 13) Cf. 1, 6; 4, 1 sqq. 14) Cf. Lc 7, 38 et supra, hom. prima huius Feriae, pag. 220, not. 49.

Sublato lapide, ait Christus magna voce: *Lazare, veni foras,*[15] cum, viso mortuo, fremuisset spiritu, turbasset semetipsum, lacrimatus fuisset, orasset ad Deum. Saepe peccator accedens ad confessionem, dum peccata sua sacerdoti aperit, iustificatur contritionis virtute. Fit enim ex attrito contritus virtute Sacramenti; augetur erubescentia, cognoscitur magis magisque turpitudo peccati, crescit dolor, fit maior contritio, maxime dum confessor compatiens poenitenti ostendit peccati magnitudinem et gravitatem deflens miseram conditionem peccatoris. Tunc, inquam, peccator, antequam accipiat absolutionem iustificatur suscitatus a Christo. Sed suscitatus iubetur absolvi a vinculis peccatorum: *Solvite eum et sinite abire.* O mirabilem virtutem divini huius Sacramenti! Dat vitam mortuo, corrupto cadaveri integram sanitatem, vires ad ambulandum et operandum et libertatem spiritus.

Saepe ante absolutionem iustificatur peccator virtute contritionis.

III. In divino autem hoc Sacramento quaedam requiruntur ex parte peccatoris poenitentis, quaedam ex parte sacerdotis et quaedam ex parte Christi, qui sua virtute Lazarum suscitavit. Nam nemo potest *dimittere peccata, nisi solus Deus.*[16] Ex parte peccatoris, ut sit *Lazarus a Bethania,*[17] ut sit fidelis, sit membrum Ecclesiae, nam infideles non possunt virtutem Sacramenti huius participare, nisi prius baptizentur. In Bethania, idest Ecclesia, suscitatur Lazarus, iustificatur peccator in sacramento Poenitentiae. Requiruntur sorores, Martha et Maria, quae tollant lapidem. Lapis quidem tollitur, aperitur monumentum, revelatur defunctus, cum in confessione manifestatur sacerdoti peccatum occultum. Sed confessionem necesse est ut praecedat contritio, dolor, poenitudo peccati, odium et abominatio peccati. Sed hanc necessario praecedit cognitio, conscientia peccati; incognita enim nec diligere possumus nec odisse. Cum igitur conscientia et bona voluntas aperiunt Christo et sacerdoti Christi peccata ob salutis desiderium, tunc a Christo suscitatur Lazarus, tunc iustificatur et vivificatur peccator, aeterna vita dignus redditur.

In Poenitentia ex parte peccatoris requiritur ut sit membrum Ecclesiae,

et peccata sacerdoti manifestet, praemissa sincera contritione cordis;

In sacerdote autem duo requiruntur: auctoritas et iurisdictio; nam sacerdotibus Christus ait: *Solvite eum et sinite abire; Accipite*

In sacerdote auctoritas et iurisdictio;

15) Io 11, 43. 16) Lc 5, 21. 17) Io 11, 1.

Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Sed vivum iubetur solvere, non peccatorem durum, obstinatum, impoenitentem, volentem perseverare in peccato; sed poenitentem, dolentem, contritum, a peccato surgentem; *Prodiit ... manus et pedes ligatus institis ;* [18] vivificatus a Deo est: *Solvite eum et sinite abire.*

ex parte Christi meritum humanitatis

Ex parte tandem Christi, qui summus sacerdos est alios sacerdotes instituens, duo similiter requiruntur: meritum et potestas: meritum humanitatis et potestas divinitatis. Meritum inde ostenditur, quod *infremuit spiritu et turbavit semetipsum;* [19] quod lacrimatus fuit, quod ad Patrem oravit, imo quod Bethaniam venit ad Lazarum suscitandum, nihil veritus odium Iudaeorum nec vitae discrimen. Sic Christus divina sua caritate et sanctitate meruit nobis remissionem peccatorum et gratiam Spiritus Sancti vitamque et salutem aeternam.

et potestas divinitatis.

Sed divina potestate quatenus verus est Deus peccata dimittit. Nam ad Lazarum suscitandum imperio ac divina usus est auctoritate dicens: *Lazare, veni foras ;* sicut etiam cum filium viduae naimitis suscitavit in porta civitatis: *Adolescens, tibi dico, surge.* [20]

Lapis sublatus a sepulcro significat confessionem ore factam,

IV. Nec mysterio vacat quod ad portam civitatis, dum efferretur, adolescens iste defunctus suscitatus a Christo est. Sed idem est porta civitatis, ex qua defunctus effertur, cum sublato lapide ab ostio monumenti. Ipsa designatur ore facta confessio et manifestatio peccati.

lacrimae matris contritionem cordis quam confessio sequitur;

Sed defunctum hunc suscitavit Dominus misericordia motus, videns lacrimas afflictae matris: *Misericordia motus ... dixit ei : Noli flere.* [21] Haec est contritio cordis, magnus dolor ob peccati mortem. Contritio autem prima est Sacramenti huius pars, quam oris confessio sequitur facta sacerdoti, Christi vicem gerenti, Christi vicario et ministro.

et sic Christus misericordia motus veniam concedit.

Agendum nobis est in divino hoc Sacramento cum Christo sicut egit Semei cum David rege. Cum enim regem graviter laesisset multisque affecisset iniuriis, tandem poenitentia ductus venit ad David prostratusque ad pedes eius ait: *Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, nec memineris iniuriarum servi tui in die qua egressus es*

18) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Ligatus pedes et manus institis.* 19) Ibid. vr. 33. Vulg.: *Seipsum*
20) Lc 7, 14. 21) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Dixit illi,* etc.

de Ierusalem, domine mi rex, neque ponas, rex, in corde tuo; agnosco enim servus tuus peccatumm eum . . . Idcirco . . . hodie . . . veni descendique in occursum domini mei regis. [22] David autem misericordia motus, quamvis ab Abisai incitaretur ad puniendum eum, nam aiebat ille: *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei qui maledixit christo Domini?* dixit Semei: *Non morieris. Iuravitque ei.* [23] Sic utique Christus videns cor contritum et humiliatum clementissime parcit.

Quam grata sit Christo vera poenitentia patet in iusto latrone. Cum enim ille peccata sua agnoscens: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus,* dixisset Christo: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum,* statim audivit: *Hodie mecum eris in paradiso.* [24] Sic modicum verae poenitentiae hominem vita aeterna et perpetua paradisi gloria dignum reddit.

Poenitentia haec hominem iustificat et salvat.

V. Sciendum est autem nobis, fratres, quod necessario deveniendum est ad peccatorum confessionem. Sed tunc nobis nihil proderit. Confessus fuit David peccatum suum coram Deo et Nathan propheta in secreto et misericordiam consecutus fuit peccatique absolutionem; confessus fuit etiam Achan filius Zambri coram Iosue et universa multitudine filiorum Israel peccatum suum quod de spoliis Iericho furatus fuerat auream regulam argentumque et pallium coccineum valde bonum; confessus, inquam, fuit delictum suum coram omnibus dicens: *Vere ego peccavi Domino Deo Israel,* [25] sed confessio haec nihil ei profuit; nam in iudicio convictus erat de delicto patratoque scelere, [26] hinc ab universo populo lapidibus obrutus fuit cum universa familia, combustis omnibus quae possidebat. [27] Si non confiteamur peccata nostra cum David, necessitate coacti confitebimur ea cum Achan coram Iosue et universa multitudine filiorum Israel in die iudicii, nec confessio illa proderit nobis ad salutem, sed ad perditionem aeternam

Ad peccatorum confessionem devenire oportet vel secreto cum David ut absolvamur,

vel publice in iudicio ut condemnemur.

VI. Poenitentia in Divinis Litteris *conversio* dicitur: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* [28] Homo similis est lunae ob naturae

Poenitentia dicitur conversio,

22) 2 Rg 19, 19-20. Vulg.: *Egressus es, domine mi rex, de Ierusalem,* etc. 23) Ibid. vrr. 21. 23. Vulg.: *Quia maledixit,* etc. 24) Lc 23, 41-43. Vulg.: *Domine, memento mei, cum,* etc. 25) Ios 7, 20. 26) Cf. ibid. vrr. 16-18. 27) Cf. ibid. vrr. 22 sqq. 28) Ioel 2, 12.

quia per peccatum homo vertitur ad mundum, per poenitentiam convertitur ad Deum;

mobilitatem. Luna nunc crescit, nunc decrescit; sed si quis advertat, cum decrescit in modum arcus facta ore et concavo arcus terram respicit, convexo autem coelum, ita ut soli quodam modo tergum verterit. Sic tendit ad nihilum, omne lumen amittit, sed recuperare potest. Dum crescit, fit quidem ad modum arcus, sed convexum habet et tergum versus terram, concavum autem et os arcus ac veluti faciem versus coelum solemque. Ita anima cum a Deo aversa mundum diligit, ad nihilum tendit, conversa autem a mundo ad Deum, gratiae incrementa suscipit ac semper in dies magis magisque in gratia et virtute proficit.

accedens ad Deum crescit in virtute, recedens a Deo deficit.

Est etiam homo lunae instar, quoniam sicut luna *nunquam in eodem statu permanet,* [29] semper vel crescit vel decrescit, vel accedit vel recedit a sole; ita homo vel proficit in virtute accedens animo ad Deum, vel deficit recedens a Deo.

Vera poenitentia est vim sibi inferre contra sensum

M o y s e s ait quod flumen a paradiso egreditur. [30] Ergo contra impetum fluminis navigandum nobis est, si volumus in paradisum ire: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* [31] Si navis, quae contra fluminis impetum navigat, non magna vi remorum sursum feratur, ab impetu aquarum deorsum rapitur versus mare. Haec est poenitentia, vim sibi inferre, vim facere contra carnem et sensum: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud ; Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [32]

et nunquam declinare a spiritus fervore.

Cavendum nobis summopere est ne declinare incipiamus a fervore spiritus et devotione, nam luna cum decrescere incipit, non desinit nisi quousque ad nihilum redacta est totaque lumine vacua efficiatur. Tepiditas facile ad gratiae privationem devenit.

29) Iob 14, 2. 30) Cf. Gn 2, 10. 31) Mt 11, 12. 32) Ibid. 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me venire.* Affert ex Breviario Rom. Commune Unius Martyris, antiph. ad *Magnificat* 2 Vesp.

V. ALIA HOMILIA

Ante sex dies paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus, etc. [1]

I. Divus Paulus exhortans unumquemque ad poenitentiam ait: *Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus.* [2] Lazarus ergo suscitatus peccator est per poenitentiam iustificatus, nam Deus ait: *Vivo ego, dicit Dominus... nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur... et vivat.* [3] Hinc saepissime Divinae Litterae omnes apud Deum peccato mortuos ad poenitentiam cohortantur, quoniam per eam salvantur peccatores, sicut in Ninivitis patet. [3a] Hanc Prophetae praedicant: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et... fletu et... planctu.* [4] Hanc Ioannes Baptista, magnus ille Angelus Domini: [5] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [6] Hanc Christus: *Poenitentiam agite,* [7] *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [8] Et post resurrectionem ait: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis... et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* [9] Hanc Petrus Apostolorum princeps: *Poenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti;* [10] et iterum: *Poenitemini... et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* [11] Hanc Paulus apostolus Athenis: *Tempora... huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annunciat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant.* [12] Hanc omnes Apostoli; nam missi a Christo ad praedicandum, inquit Marcus quod *exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent.* [13]

Poenitentia peccatores salvantur, ideo S. Litterae ad eam saepissime cohortantur; hanc Prophetae praedicant, Ioannes Baptista et ipse Christus, Petrus et Paulus omnesque Apostoli.

II. Sed quidnam est poenitentia tam salutaris tantopere praedicata? Hebraice dicitur תְּשׁוּבָה, [14] idest conversio, sicut per Prophetam ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro;* dicitur etiam

Poenitentia est conversio, resipiscentia et poenitudo animi,

1) Io 12, 1. 2) Eph 5, 14. 3) Ez 33, 11. Vulg.: *Mortem impii,* etc. Affert ex Breviario Rom., ord., antiph. *ad Primam,* Feria Quadr. 3a) Cf. Ion 3, 1 sqq. 4) Ioel 2, 12. 5) Cf. Mal 3, 1; Mt 11, 10; Mc 1, 2; Lc 7, 27. 6) Mt 3, 2. 7) Ibid. 4, 17. 8) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Si poenitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* 9) Ibid. 24, 46-47. 10) Act 2, 38. 11) Ibid. 3, 19. 12) Ibid. 17, 30. 13) 6, 12. 14) Ms.: *Teschubah,* et infra: *Nechumah.*

נחמה, poenitudo: *Poenitet... me fecisse*[15] hominem. Graece dicitur μετάμελια et μετάνοια,[16] idest poenitudo, resipiscentia, mutatum consilium, mutata ac retractata animi sententia.

de qua loquitur Isaias

Isaias 1 capite suarum *Revelationum* praedicans populo poenitentiam ait: *Manus... vestrae sanguine plenae sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite iudicium... et venite et arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur... si fuerint... sicut vermiculus, quasi lana alba erunt. Si volueritis et audieritis... bona terrae comedetis. Si autem nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.*[17] In quibus verbis notandum unum est, quod ait: *Venite et arguite me,* sive arguamur simul, disputemus causam nostram. Conqueruntur homines de Deo: Cur ob peccata nostra nos punit gravesque de nobis poenas sumit, cum nos creaverit tam proclives ad malum? *Sensus enim et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia sua.*[18] Sed Deus inquit: Si ad malum propensi estis et peccatis, potestis veniam petere et poenitentiam agere.

qui ostendit facilitatem poenitentiae, qua quis potest veniam petere.

virtutem et efficaciam, qua anima a quibusvis sordibus purgatur.

Ostendit autem his verbis poenitentiae virtutem et efficacitatem, quod tam facile purificat animas a peccatis quam facile aqua manus sanguine aut quibusvis sordibus pollutas; etiam si, inquit, ita animus peccata contraxerit, sicut lana alba coccineum aut purpureum et violaceum colorem, ex qua contextus pannus, licet millies aqua, liscivio, sapone lavetur, amittere tamen contractum colorem non potest ut pristino candori reddatur. Sed poenitentia, inquit, aqua est tantae efficacitatis, ut etiam pannum quovis colore infectum possit ad primaevum lanae candorem reducere. Sic luce clarius cernimus in Magdalena,[19] et hoc significat Lazarus resuscitatus a morte et corruptione pristinae vitae, sanitati et vigori restitutus. Hinc Ioannes Baptista praedicabat *baptismum poenitentiae,*[20] quoniam sicut aqua omnes abluit sordes, ita poenitentia omnia peccata.

15) Gn 6, 7. 16) Ms.: Μεταμελια, *methamelia,* et: Μετανοια, *methanoia.*
17) Vrr. 15-20. Vulg.: *Quasi vermiculus, velut lana... Quod si nolueritis,* etc. 18) Gn 8 21. Vulg.: *Humani cordis in malum,* etc. 19) Cf. Lc 7, 37 sqq. 20) Ibid 3, 3.

III. Hinc intelligimus quid significaret magna illa concha aenea in tabernaculo Moysi, ubi manus pedesque lavabant sacerdotes accessuri ad ministrandum Domino, cum speculis mulierum;[21] quid item vas illud aeneum in templo Salomonis ad idem opus paratum, quod ob magnitudinem appellatur *mare*, capiebat enim bis mille batos, et si ad summum usque impleretur ter mille batos;[22] continet autem batus metretam duodecim congiorum. Tabernaculum Moysi designabat synagogam, templum vero Salomonis Ecclesiam. Poenitentia autem semper necessaria fuit, quoniam nunquam defuit peccatum: *Non est... homo... qui faciat bonum, et non peccet;*[23] *Septies* in die *cadit iustus;*[24] *Omnis homo mendax.*[25] Habuit igitur synagoga vas plenum aqua ad sordes abluendas, positum iuxta altare holocausti, quod etiam poenitentiam significat; non habuit quidem sacramentum Poenitentiae, sed virtutem poenitentiae, sive, ut melius dicam, poenitentiam habuit quatenus virtus moralis est, non quatenus Sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata; ita ut, si tunc poenitentia quatenus virtus poterat ex Dei misericordia delere peccata ob agnitionem et detestationem peccati, ob cordis contritionem et veram animi ad Deum conversionem, nunc multo magis hoc possit sacramentum Poenitentiae praestare. Hinc fere sine comparatione multo maius extitit vas ad hoc paratum in templo Salomonis vase in tabernaculo Moysi.

Concha aenea tabernaculi designabat poenitentiam in synagoga, mare aeneum templi poenitentiam in Ecclesia;

sed in synagoga virtus moralis erat, in Ecclesia autem est Sacramentum.

Et praeter vas illud maximum, quod erat veluti *mare*, uti etiam appellatur, erant decem magnae conchae ad idem opus paratae, positae ad duo latera vasis maximi, quinque hinc et quinque inde;[26] implebantur autem ex aqua maris magni. Significat igitur magnum istud vas aquis purificatoriis plenum sacramentum Poenitentiae, quod magnam continet aquarum abundantiam ad abluendas omnium peccatorum sordes animasque supra modum purificandas: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor; Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.*[27]

Poenitentia omnium peccatorum sordes abluit;

Appellatur *mare*, cuius aquae nunquam deficiunt; sic virtus Sacramenti huius perpetua est. Collocatum fuit vas illud in atrio templi

21) Cf. Ex 30, 18-20; 38, 8. 22) Cf. 3 Rg 7, 23-26; 2 Par 4, 2-5. 23) Eccle 7, 21. 24) Prv 24, 16. *In die* lect. cod. 25) Ps 115, 11. 26) Cf. 3 Rg 7, 38-39; 2 Par 4, 6. 27) Ps 50, 4. 9. Ordine inverso affert hos vrr. *Domine* adicitur ex Liturgia Ecclesiae.

eius virtus perpetua est et universalis,

iuxta altare holocausti, quoniam a merito passionis et mortis Christi pendet virtus huius Sacramenti. Positum fuit supra duodecim boves aeneos, quorum tres respiciebant ad orientem, tres ad occidentem, tres ad aquilonem et tres ad austrum: instituens Christus sacramentum Poenitentiae collegio apostolico dedit auctoritatem divinam dimittendi peccata dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* [28] dedit autem divinam potestatem pro peccatis totius mundi, non unius tantum gentis: *Praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes;* [29] hinc respiciebant boves aequaliter ad omnes mundi plagas, et vas rotundum erat, ita ut omni ex parte ad illud aequaliter omnibus pateret accessus.

quia pro peccatis totius mundi Christus dedit hanc potestatem,

IV. Praeter vas autem magnum, quod erat prae nimia magnitudine et vasta mole immobile, erant decem conchae super bases mobiles positae, eadem aqua plenae et ad idem opus paratae. Vas magnum significat magnam auctoritatem a Christo traditam Apostolis, Pontificibus, Episcopis; sed haec eadem communicatur etiam minoribus sacerdotibus pro commoditate fidelium, ne omnes confiteri cogerentur Episcopis aut Summis Pontificibus eosque tenerentur adire magno cum incommodo.

non tantum Apostolis et Episcopis, sed etiam omnibus sacerdotibus.

Decem conchae positae erant eadem aqua plenae: multi instituti sunt sacerdotes divina hac auctoritate praediti, sed necesse est ut digni sint sacerdotes. Erant in vasibus concharum quadratis sculptae imagines cherubim, leonum et boum; figura quadrata symbolum est hominis perfecti, iustitia, prudentia, temperantia et fortitudine praediti. Sacerdotem decet sanctitate et iustitia omnique virtute ornatum; sed praecipue ut habeat figuras cherubim, plenitudinem scientiae; figuras leonum, magnitudinem animi, cordis, magnanimitatem, ut audeat corripere etiam magnates eosque peccatorum arguere, poenitentias imponere, si opus fuerit etiam absolutionem negare; figuras etiam boum, ut patienter ferat onus et laborem audiendi confessiones, etiam pauperum et ignorantium, qui confiteri peccata sua nesciunt.

Praeter auctoritatem requiritur ut sacerdotes sint scientia, iustitia, prudentia, temperantia et fortitudine praediti.

28) Io 20, 22-23. 29) Lc 24, 47.

Habebant etiam vases rotas mobiles, ut facile possent moveri: sit sacerdos facilis promptusque ad audiendos poenitentes, ad salvandas animas liberandasque a peccatis, ut aquis salutaris poenitentiae eas abluat ab omnibus immunditiis, ita ut fiant candidae sicut nix, imo super nivem dealbentur, licet fuerint peccata eorum sicut coccinum, quod suapte natura ruborem amittere non potest, et ad pristinum lanae candorem redire.

prompti ad audiendum poenitentes et ad salvandas animas

V. Poenitentiae magna virtus est, magna efficacia; non solum potest leprosos mundare, infirmos sanare, sed etiam mortuos suscitare; nec solum recens mortuos, ut filiam archisynagogi [30] et filium viduae naimitis,[31] sed etiam Lazarum corruptum in monumento. Nec solum potest manus a sanguine lavare, sed etiam lanam pannumque a quovis contracto colore. Videtur quidem impossibile relinquere malum habitum vitiorum diu inveteratum et veluti in naturam redactum; unde I e r e m i a s ait: *Si mutare potest aethiops pellem suam aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* [32] Sed tamen Poenitentia potest aethiopicam nigredinem in nivis candorem commutare, vim habet convertendi lupos in oves, vulpes leonesque in agnos, lutum in aurum, daemonem infernalem in Angelum paradisi, filium diaboli in filium Dei.

Magna virtus Poenitentiae quae mortuos etiam potest suscitare,

Magna res poenitentia est, magnum beneficium humano generi collatum, quod non collatum est Angelis. Peccavit angelus, [33] peccavit homo; [34] concessit Deus poenitentiam homini, non autem angelis. Cum angelo se gessit Deus tanquam dominus cum servo; cum homine autem tanquam pater cum filio. Si servus dominum graviter offendat, eicitur domo, ita ut in perpetuum non detur ei amplius regressus. Quod si filius peccet, delictum aliquod committat, corripitur a patre; aliquando etiam domo eicitur, sed veniam consequitur, sicut consecutus fuit Absalom a David, [35] filius prodigus a clementissimo patre. [36]

et magnum beneficium nec Angelis concessum, sed tantum humano generi collatum.

VI. Sciendum tamen quod non omnis poenitentia grata Deo est, sicut non omnis oblatio: grata Deo fuit oblatio Abel, non autem

Non omnis poenitentia est Deo grata,

30) Cf. Mc 5, 35 sqq. 31) Cf. Lc 7, 11-15. 32) 13, 23. 33) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.
34) Cf. Gn 3, 6 sqq. 35) Cf. 2 Rg 14, 25 sqq. 36) Cf. Lc 15, 11-24.


sed ea tantum quae stabilis est,

Cain;[37] sic grata fuit Deo poenitentia Petri,[38] non autem Iudae proditoris;[39] grata poenitentia Davidis,[40] Manasse,[41] Ninivitarum,[42] non autem Pharaonis, Saulis, Antiochi:[43] promittebat Pharao plagis affectus emendationem, sed facile mutabat propositum,[44] hinc tandem in mari Rubro submersus periit.[45] Saulis ficta poenitentia Deo grata minime fuit, ideo deiectus fuit a regno;[46] videns quod in manus David inciderat poenituit eum persecutionis mortalis contra ipsum, flevit, veniam petiit, promisit emendationem, sed post modicum tempus ad idem rediit.[47] Achab ab Elia correptus sese coram Deo humiliavit, egit poenitentiam, sed in sententia non permansit.[48] Talis est multorum poenitentia: *Canis reversus ad... vomitum et sus lota in volutabro luti.*[49]

sincera et ex corde vere contrito elicita.

Electorum autem poenitentia stabilis est, vera est, ex corde est, similis divinae poenitentiae de qua legimus: *Videns* Dominus *Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra; et tactus dolore cordis intrinsecus et praecavens in futurum: Delebo, inquit, hominem, quem formavi, a facie terrae.*[50] Tunc in signum magni doloris, veluti multas lacrimas effundens, diluvium aquarum misit e coelo omnesque impios perdidit et ad nihilum redegit, ita ut nemini parceret; solum Noe iustum cum ipsius familia salvavit.[51]

37) Cf. Gn 4, 3-5. 38) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 55-62. 39) Cf. Mt 27, 3-5; Act 1, 18. 40) Cf. 2 Rg 12, 13. 41) Cf. 2 Par 33, 10-14. 42) Cf. Ion 3, 5 sqq. 43) Cf. 1 Mach 6, 1-16. 44) Cf. Ex 8, 5 sqq.; 9, 23 sqq.; 10, 13 sqq.; 12, 29-32. 45) Cf. ibid. 14, 5 sqq. 46) Cf. 1 Rg 15, 24 sqq. 47) Cf. ibid. 18, 8-29; 24, 1 sqq.; 26, 1 sqq. 48) Cf. 3 Rg 21, 17-22, 1-38. 49) 2 Petr 2, 22. 50) Gn 6, 5-7. Vulg.: *Quem creavi*, etc. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, verba: *Et praecavens in futurum*, expuncta fuerunt. 51) Cf. ibid. 7, 1 sqq.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

FERIA TERTIA PALMARUM

Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. [1]

I. Regius Vates in *Psalmo*, ex quo praesens desumptus est versus, in remissione peccatorum statuit hominis felicitatem dicens: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* [2] Et recte quidem, quoniam propter peccatum homo felicitatem amisit eiectusque de paradiso est in hanc lacrimarum vallem [3] conversusque est veluti alter Nabuchodonosor ex homine, imo rege et imperatore mundi, in bestiam: [4] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [5] Accidit homini ob peccatum sicut procerrimae illi arbori quam in somniis Nabuchodonosor vidit; divina enim sententia praecisa fuit et ad nihilum fere redacta, solis radicibus in terra relictis ut iterum regerminare posset et in priorem statum formamque redire, [6] sicut ipsi Nabuchodonosor accidit; nam ob peccatum in bestiam actus et regno pulsus, cum, oculis in coelum levatis, culpam suam agnovit et confessus Deo fuit, ad priorem regni gloriam reversus est. [7]

Regius Vates hominis felicitatem in remissione peccatorum statuit, nam ob peccatum homo felicitatem amisit,

Cum igitur peccatum homini malorum omnium in causa extiterit, merito Regius Vates in peccati remissione statuit felicitatem. Nam remota causa, removetur effectus.[7a] Si interpositio terrae inter solem et lunam causa est eclipsis lunaris, remota interpositione, removetur et eclipsis; et si elongatio solis causa hiemis est,

remisso ergo peccato, omnium malorum causa tollitur.

1) Ps 31, 5. 2) Ibid. vrr. 1-2. 3) Cf. Gn 3, 6 sqq. Phrasis liturgica. cf. Breviarium Rom. Antif. finalis. 4) Cf. Dn 4, 30. 5) Ps 48, 13. 21. 6) Cf. Dn 4, 1-14. 7) Cf. ibid. vrr. 28-31. 7a) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 33, 1; q. 104, 1.

appropinquatio est causa aestatis et veris, occasus solis causa noctis, ortus solis causa diei.

Remissio peccatorum obtinetur humili eorum confessione,

Sed quomodo obtinenda a Deo est remissio haec peccatorum? *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* [8] Sic etiam I o a n n e s ait: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* Deus *et iustus, ut dimittat nobis* omnia *peccata nostra.* [9] R e g i u s V a t e s expertus hoc dicit; cum enim gravissima peccata commisisset, adulterium et homicidium, [10] territus divinis comminationibus per Nathan ipsi factis, statim ut peccatum suum confessus fuit dicens: *Peccavi Domino,* mox per humilem hanc confessionem obtinuit remissionem et indulgentiam, dicente Nathan, qui veluti confessarius fuit ipsius David: *Dominus . . . transtulit peccatum tuum;* noli timere, *non morieris.* [11] Sic confessio liberat hominem a peccato, a morte, quae est poena peccati, et ab ira Dei in quam incurrit homo ob peccatum. Expertus igitur ait: *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

sicut videmus in David.

Hanc peccati confessionem Deus requisivit a principio ab homine, ut cum ipso misericordiam faceret,

II. Hanc peccati confessionem ab initio mundi statim post peccatum requirere visus est Deus ab homine. Nam, post praecepti transgressionem, veniens ad eum *ad auram post meridiem,* Adam vocavit dicens: Adam, *ubi es? . . . Vocem tuam,* Domine, *audivi . . . et timui, eo quod nudus essem.* Sed *quis,* inquit, *ostendit tibi quod nudus esses?* Num *de ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* [12] Ponit ei in ore confessionem peccati, quoniam per confessionem delendum erat peccatum. Idem fecit Caino quaerens ab eo: *Ubi est Abel frater tuus?* [13]

qua quidem minime usus est cum Angelis.

Non sine causa autem venit Deus ad Adam cum leni aura diei, sed quoniam ad eum misericorditer corripiendum et liberandum a peccato veniebat per confessionem. Qua quidem misericordia minime usus est Deus cum Angelis qui peccaverunt; hinc est quod requisivit peccati confessionem ab Adam et Eva, non autem a serpen-

8) Ps 31, 5. 9) 1 Io 1, 9. Vulg.: *Remittat nobis,* etc. 10) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq.
11) Ibid 12, 13. 12) Gn 3, 8-11. Vulg.: *Indicavit tibi . . . ex ligno, de quo,* etc.
13) Ibid. 4, 9.

te, sed tantum maledictionis sententiam contra ipsum fulminavit dicens: *Quia fecisti hanc rem, maledictus eris inter omnia animantia terrae.* [14] Sic homini concessit Deus gratiam hanc et privilegium, non Angelis.

Sacrificia Antiquae Legis peccata dimittebant tantum ex fide et contritione offerentis.

Quamvis autem ab initio Deus sacrificia instituerit pro peccatis ad obtinendam remissionem eorum, sacrificia tamen illa nonnisi ex opere operantis, ex devotione, fide et contritione offerentis dimittebant peccata. [15] Hinc ait R e g i u s V a t e s : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [16]

Per contritionem multi remissionem peccatorum obtinuerunt, sed certi de ea esse non poterant nisi per divinam revelationem;

III. Per poenitentiam et contritionem cordis multi obtinuerunt a Deo remissionem peccatorum: David, Manasses, [17] Ninivitae, [18] publicanus, [19] Magdalena [20] et multi alii. Sed non poterat homo certus esse de percepta peccatorum remissione per contritionem et poenitentiam, nisi per divinam revelationem, sicut David, sicut etiam Isaias. Cum enim peccatum suum agnoscens dixisset: *Vae mihi, quia tacui!* [21] statim descendit de coelo Seraph cum ignito calculo tangensque ipsius labia dixit: *Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.* [22]

ideo Christus sacramentum Poenitentiae instituit ut certitudinem perceptae remissionis habere possemus.

Multi ante Christi adventum, priusquam Sacramentum hoc institutum esset, per poenitentiam et orationem satagebant obtinere a Deo remissionem peccatorum suorum, sicut Ezechias a Deo vitam obtinuit. Cum enim per I s a i a m divinam audisset sententiam mortis contra se latam: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives,* [23] statim, conversa facie ad parietem versus templum, cum lacrimis orans vitam multorum annorum meruit obtinere, reversusque ad eum I s a i a s bonum hoc attulit ei nuncium. [24] Sic facit nunc sacerdos nobiscum utens clavium potestate legitime. Sed ut multo maiorem certitudinem perceptae remissionis habere possemus, voluit Dominus divinum hoc instituere Sacramentum.

14) Ibid. 3, 14. Vulg.: *Quia fecisti hoc, maledictus es,* etc. 15) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 62, 6. 16) Ps 50, 18-19. 17) Cf. 2 Par 33, 12-13. 18) Cf. Ion 3, 1 sqq. 19) Cf. Lc 18, 13-14. 20) Cf. ibid. 7, 48 sqq. 21) Is 6, 5. 22) Ibid. vr. 7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ecce tetigit hoc,* etc. 23) 38, 1. 24) Cf. ibid. vrr. 2-8.

Regius Vates assignat omnes partes sacramentalis Poenitentiae: contritionem, confessionem, satisfactionem.

IV. *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino.* Assignat in hoc loco Regius Vates omnes partes sacramentalis Poenitentiae: contritionem, confessionem et satisfactionem fructumque et effectum Sacramenti huius. Contritionem dicens: *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi;* confessionem: *Dixi: Confitebor adversum me,* et satisfactionem: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* [25] Sunt hae tres partes poenitentiae principales, totum purificantes hominem: contritio cor, confessio linguam, satisfactio manus.

Contritio debet esse cordialis, totalis et poenalis,

A corde incipiendum est: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu, et scindite corda vestra.* [26] Contritio necesse est ut sit cordialis, totalis et poenalis; hinc *scissuram cordis* vocat Ioel; Ezechias vero *amaritudinem animae: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* [27] Necesse est ut poenitentia nostra divinam poenitentiam imitetur, nam homo *ad imaginem et similitudinem Dei* [28] conditus est, ut Deum in omnibus pro virili imitetur.

imitans divinam poenitentiam in deletione peccatorum.

Proponit nobis Moyses divinam poenitentiam: *Videns* Dominus *Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra; et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli, poenitet enim me fecisse eos.* [29] Sic aperuit cataractas coelorum et maximo diluvio impium mundum totum submersit aquis. [30]

Conscientia primo examinanda est, ut omnia peccata detegantur,

Incipit poenitentia a visione malitiae, a cognitione peccati et consideratione malorum operum. Nec tantum operum externorum, sed etiam internarum actionum: *Quod multa malitia hominum . . . et cuncta cogitatio cordis.* Sic primo et ante omnia examinanda est magna cum diligentia, quam oculatissime propria conscientia, investiganda sunt omnia peccata tum omissionis tum commissionis, non tantum quae sunt contra praecepta negativa, sed etiam quae sunt contra affirmativa: *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam*

25) Ps 31, 6. 26) Ioel 2, 12-13. 27) Is 38, 15. 28) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 29) Ibid. 6, 5-7. 30) Cf. ibid. 7, 17 sqq.

meam non abscondi. Delictum est non facere bonum debitum, *iniustitia* est facere malum prohibitum; *delictum* est non diligere Deum ex toto corde, non sanctificare dies festos, non sperare et confidere in Deo, ut par est, non credere in Deum, non diligere proximum, non exercere opera caritatis et pietatis; *iniustitia* est blasphemare Deum et Sanctos, falso per nomen Dei et Sanctorum iurare, fornicari, occidere, furari, falso testificari contra proximum. Sic circa haec examinanda conscientia est quam diligentissime.

tum omissionis et commissionis.

Cognitionem autem peccati necesse est ut sequatur odium, displicentia et abominatio: *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Hinc oriuntur lacrimae peccatricis animae, quae sunt veluti diluvium submergens omnes impios, et mare Rubrum, in quo perit Pharao cum universo exercitu suo;[31] Iordanis, in quo Naaman mundatur a lepra;[32] piscina, in qua homo curatur ab omni infirmitate.[33]

Cognitionem peccati necesse est ut sequatur odium et abominatio.

Quoniam vero non facile homo, carnalis cum sit, perfectam habere potest contritionem peccatorum suorum, adiuvatur a Deo externis et internis tribulationibus. Sic Regius Vates eodem *Psalmo* ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea dum clamarem tota die, in rugitu meo tota die; quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea dum configitur spina ;* hebraice: *Conversus est viror meus in siccitates aestivales.*[34] Sic pepulit hominem a paradiso, sic minitatus Davidi fuit, sic tribulatione percussit Manassen, sic in necessitate filius prodigus in se reversus fuit;[35] sic sapiens mulier in civitate Abela, cognito quod Siba receptus in civitatem causa erat obsidionis et ruinae civitatis, institit ut occideretur, quo occiso et capite extra muros proiecto, soluta est obsidio.[36] Sic gentem hebraeam per flagella saepe ad poenitentiam compulit, et ut facile persuaderentur egredi de terra Aegypti, prius eos a Pharaone et Aegyptiis gravissimas persecutiones pati permisit, ac sic quam libentissime, ductore Moyse, egressi sunt ex Aegypto in sacrum desertum et per desertum in terram promissionis.[37]

Sed quia perfecta contritio difficilis est, ad hanc homo adiuvatur a Deo internis et externis tribulationibus;

sic saepe flagellantur peccatores, ut ad poenitentiam compellantur,

Sic inquit: *Inveteraverunt ossa mea,* viribus etiam corporis de-

31) Cf. Ex 14, 27-31. 32) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 33) Cf. Io 5, 2-4. 34) Ps 31 (hebr. 32), 2-3. 35) Cf. Lc 15, 14-18. 36) Cf. 2 Rg 20, 16-22. 37) Cf. Ex 1, 1 sqq.; 2, 23 sqq.; 5, 1 sqq.

nam temporalibus malis pressi gravitatem peccati facilius cognoscunt et dolent.

stitutus sum, *dum clamarem in rugitu meo tota die* ob remorsum conscientiae; rugiebam a facie gemitus mei:[38] malus animus infernus sibimetipsi est. *Quoniam die ac nocte aggravata est super me manus tua* per multas tribulationes, sicut aggravata fuit super Philisthaeos ut dimitterent arcam Domini;[39] *Conversus est viror meus in siccitates aestivales*, arefactus est omnis humor consolationis in corde meo. Sic temporalibus malis pressus homo cognoscit gravitatem peccati sui et sic dolet et conteritur offertque Deo sacrificium spiritus contribulati et cordis contriti et humiliati.[40]

Cognoscenda autem sunt peccata non solum in universali, sed in particulari, commissionis, omissionis, in corde et in opere,

V. Sunt autem cognoscenda peccata non solum in genere et in universali, sed in particulari: *Videns . . . quod multa malitia hominum esset in terra.* Quod autem hic *malitiam* dicit M o y s e s, R e g i u s V a t e s dicit *delictum et iniustitiam: delictum*, propter transgressionem praeceptorum affirmativorum, et *iniustitiam* propter transgressionem negativorum. Nam examinanda conscientia est non tantum de malis commissis, sed etiam de bonis omissis. Multi enim propter omissionem bonorum operum damnabuntur: *Esurivi . . . et non dedistis mihi manducare*, etc.;[41] nec solum de peccatis in opere, sed etiam in corde examinanda est conscientia: *Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.*

ut, condigno dolore concepto, ad eorum integram confessionem peccator deveniat.

Tunc, sic optime examinata conscientia et dolore condigno de peccatis suscepto: *Tactus dolore cordis intrinsecus*, deveniendum est ad propositum confessionis: *Delebo . . . hominem quem formavi;* proponendum et satagendum ut sit confessio integra: *Ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli; Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino.* Confessio enim haec salutem affert per remissionem peccatorum. In hoc enim differt f o r u m p o l i a f o r o f o r i ; nam in foro hoc reus qui confitetur delictum damnatur, sicut Achan confessus furtum coram Iosue damnatus ad mortem fuit;[42] et in f o r o p o l i per confessionem homo absolvitur:[43] *Et tu remisisti impietatem peccati mei.*[44] Sic per confessionem delicti sui

38) Cf. Ps 37, 9. Ms.: *Gemitus Dei.* 39) Cf. 1 Rg 5, 1 sqq. 40) Cf. Ps 50, 19. 41) Mt 25, 42 sqq. 42) Cf. Ios 7, 20 sqq. 43) Phrasis iuridica, de qua cf. L. Ferraris *Prompta Bibliotheca*, sub voce: *Forum*. 44) Ps 31, 5.

homo restituitur paradiso, a quo per peccatum eiectus fuit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [45]

Statuit Deus ante paradisum Cherubim cum gladio versatili et flamma ignis, [46] quod poenitentiae hieroglyphicum est, nam per eam occiditur homo et vivificatur, occiditur peccator et vivificatur iustus. In confessione homo Abraham est pergens ad immolandum dilectissimum Isaac, ferens altera manu gladium et altera ignem. [47] Sic homo gratissimum Deo sacrificium in confessione offert, quod infinitam aeternamque meretur a Deo benedictionem.

Confessio haec gladius versatilis et igneus est, occidens peccatorem et vivificans iustum.

45) Mt 3, 2; 4, 17. 46) Cf. Gn 3, 24. 47) Cf. ibid. 22, 1-6.

FERIA QUARTA PALMARUM

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Memor erit in saeculum, etc. [1]

Panis propositionis iuxta candelabrum positus super altare typus erat panis eucharistici,

I. Iuxta mensam propositionis erat aureum candelabrum cum septem lucernis ardentibus, [2] quasi multum luminis requireretur ad videndum panem illum propositionis, qui hebraice dicitur לֶחֶם פָּנִים, [3] *panis facierum.* Sed quia panis ille sacer, quem nonnisi sacerdotibus lex concedebat in cibum, [4] divinissimi Angelorum panis, supercoelestis ac supersubstantialis typus erat, ad hunc videndum mentalibus oculis magnum utique requiritur lumen. Rogandus nobis est Deus Pater luminum, [5] ut emittat lucem suam ac veritatem suam, quae nos deducant et adducant ad montem sanctum et ad tabernaculum ipsius. [6] Nam divinum hoc Sacramentum *mons* est *domus Domini in vertice montium,* [7] in quo quidem ineffabili ac supra modum mirabili imperscrutabilique modo Deus ipse habitat, ita ut divinum hoc Sacramentum vere sit miraculum omnium miraculorum Dei, sol inter astra, aurum inter metalla, miraculum divinae potentiae, sapientiae et bonitatis ac caritatis unicum et singulare.

In quo Deus ipse inhabitat.

Figurae Eucharistiae fuerunt sacrificia panis et carnis,

II. Angelus ille divinus, qui in humana effigie parentibus Samsonis apparuit, dixit se appellari פֶּלְאִי, [8] idest *mirabilem,* quod Christi nomen est apud Isaiam: *Vocabitur nomen eius admirabilis.* [9] Angelus autem ille unum tantum miraculum operatus fuit;

1) Ps 110, 4-5. 2) Cf. Ex 40, 20-23. 3) Ms.: *Lechem panim.* Cf. supra, Feria Quarta Dom. Passionis, pag. 100, not. 17. 4) Cf. Lv 24, 5-9. 5) Cf. Iac 1, 17. 6) Cf. Ps 42, 3. 7) Is 2, 2. 8) Cf. Idc 13, 18-19. Ms.: פלא. 9) 9, 6.

iussit nanque ut Manue, Samsonis pater, panem et carnem adduceret ad offerendum Domino, sicut etiam ab Angelo iussum fuit Gedeoni; cumque attulisset ille ac obtulisset, accenso divinitus igne, sicut in sacrificio Gedeonis,[10] cum flamma ignis etiam Angelus in coelum ascendit.[11]

quae obtulerunt Gedeon et Manue.

Mirabile plane mysterium! Panes et carnes obtulit Manue, iubente Angelo, super altare lapideum. Duo erant in Lege sacrificiorum genera, quae sacerdos Deo offerre poterat: alterum farinaceum ex panibus, incruentum sacrificium,[12] quale fuit Melchisedech;[13] alterum cruentum ex carnibus mundorum animalium,[14] quale, ut plurimum, erat aaronicum. Sic apud Ezechielem iubetur sacerdos per singulos dies mane offerre Domino in sacrificium agnum immaculatum una cum panibus ex simila conspersa oleo.[15] Sic Manue, iubente Angelo Dei, panes offert et carnes, sed una cum hoc sacrificio Angelus Domini ascendit in coelum, quia hic vere est *magni consilii angelus.*[16]

Talia sacrificia etiam in Lege praecipiebantur offerri.

III. Ait autem ibi Divina Scriptura quod Manue obtulit sacrificium illud Domino מַפְלִא,[17] *mirabilia facienti,*[18] in huius figuram, quoniam hoc memoriale est omnium mirabilium Dei. Magnum hoc est miraculum divinae potentiae. Moyses in Aegypto convertit aquas in sanguinem;[19] Christus in Cana Galilaeae, cum primo divinitatem suam manifestavit, aquam convertit in vinum.[20] Sed tandem ultimo miraculo convertit panem in carnem suam et vinum in sanguinem suum. Magnum miraculum fuit Hebraeis manna in deserto, unde dixerunt mirantes: *Man hu? man hu?... Quid est hoc? quid est hoc?*[21] Unde propterea panis ille appellatus fuit *manna* ab admiratione, quamvis responderit Moyses: *Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.*[22] Sed hic vere admiratione et stupore acti dicere possumus: *Quid est hoc? quid est hoc?* Respondet Christus: *Hic est panis qui de coelo descendit:*[23] *Hoc est Corpus meum.*[24]

Divina Eucharistia magnum miraculum est divinae potentiae

10) Cf. Idc 6, 11-21. 11) Cf. ibid. 13, 11-20. 12) Cf. Lv 2, 1 sqq. 13) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 3. 14) Cf. Lv 1, 1 sqq. 15) Cf. 46, 13-15. 16) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 17) Ms.: *Maphli.* 18) Idc 13, 19. 19) Cf. Ex 7, 20. 20) Cf. Io 2, 2-10. 21) Ex 16, 15. 22) Ibid. Vulg.: *Quem Dominus dedit,* etc. 23) Io 6, 59. 24) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24.

adeo ut malus cogitari nequeat, cum ipse Deus Homo sub specie panis inhabitet.

Magnum miraculum! Totum seipsum Christus manu sua tenebat. *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* [25] Nihil vel cogitari quidem potest in terra vel in coelo divino hoc Sacramento mirabilius. Nam si sapientes aiunt quod magnum miraculum est homo, [26] quodnam miraculum erit Deus et homo? Deus humanatus et homo vere deificatus? Hic autem vere Christus est, verus perfectusque Deus homo sub specie fragmenti panis. *Quid est hoc? quid est hoc?* Miraculum super omne miraculum omnipotentiae Dei.

In pane eucharistico plenitudo divinitatis corporaliter invenitur.

Apud Hebraeos [27] nomen מָן arithmetica ratione tantum fere valet quantum Dei duo illa nomina: יְהוָה et אֲדֹנָי. [28] Haec enim duo nomina numerum constituunt nonaginta unum; מָן vero numerum nonaginta. Quod si quis addat primam litteram gutturalem, quae virtute continetur in eo post *kamez*, vocalem magnam, [29] idem adamussim continebit. Quale fuisset miraculum si quis sub minimo granulo mannae infinitam Dei magnitudinem inclusam vidisset? Hic autem sub minimo fragmento tota inhabitat divinitatis plenitudo corporaliter. [30] Ita Deus omnipotentia sua ob infinitam caritatem parvulum se constituit: *Parvulus . . . natus est nobis . . . filius datus est nobis . . . Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* [31]

Christus bis seipsum coarctavit super hominem peccato mortuum: in incarnatione et in Eucharistia.

IV. Eliseus propheta videns filium sunamitidis, quem ipse a Deo obtinuerat, mortuum, semel et iterum seipsum super eum totum inclinavit ad eum vivificandum, imo seipsum coarctavit, cum homo esset perfectae aetatis, ille autem puerili aetate, ut poneret faciem suam super faciem pueri defuncti, manus suas super manus illius, pedes suos super pedes eius. [32] Sic Christus videns hominem, unicum totius naturae filium, quem ipse condiderat, peccato mortuum ac vita functum, ad eum vivificandum semel et iterum seipsum super eum inclinavit seipsumque coarctavit: prius quidem in incarnatione, tunc

25) Is 66, 8. 26) Cf. Mercurius Trismegistus *Asclepius*, cp. 3, pag. 482; Plato *De Legibus*, lib. 1, t. 2, pag. 645; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 17, col. 80-82. 27) Ms.: *Hebraeo.* 28) Ms.: יהוה et: אדני. 29) Cf. *Quadragesimale Primum*, pag. 86, not. 12. 30) Cf. Col 2, 9. 31) Is 9, 6. 32) Cf. 4 Rg 4, 16-35.

enim, magnus cum esset Deus, factus est parvus homo; et tandem in divinissimi Sacramenti institutione. Sic hominem calore divinae caritatis vivificavit seque vere Eliseum, idest d i v i n u m s a l v a t o r e m [33] ostendit.

Sacramentum hoc mirabile argumentum est divinae erga nos caritatis: *Cum dilexisset suos . . . in finem dilexit eos,* [34] hoc est: in fine vitae maximum addidit dilectionis argumentum. Ionathas, ut ostenderet magnitudinem amoris sui erga Davidem, exuit se vestimentis suis et Davidem induit eique arma sua dedit; [35] Elias pallium suum reliquit Eliseo ascendens in coelum. [36] Sed Christus corpus suum, totum seipsum nobis reliquit.

Sacramentum hoc mirabile argumentum est divinae erga nos caritatis

Argumentum etiam divinae in Christo sapientiae. Cognovit populus sapientiam Salomonis in iudicio duarum meretricum; sed cum utraque mulier infantem desideraret, nescivit tamen rex sapientissimus modum invenire quo utrique satisfaceret, nisi puerum gladio dividendo; sed uni dedit infantem quam veram matrem esse agnovit. [37] Non sic Christus verus Deus. Duae mulieres, Ecclesia militans in terra et Ecclesia triumphans in coelo, Christum desiderabant; utraque apud se Christum detinere tanquam suum filium desiderio magno flagrabat. Quis modum invenire novisset quo utrique satisfieri vere posset, ut Christus semper vere esset simul in coelo et in terra? Invenit Christus, nam ascendens in coelum ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* [38] Ascendit praesentia corporali manifesta et visibili in coelo et remansit praesentia reali, sed invisibili in terra, in sacratissimo hoc ac superdivinissimo Eucharistiae sacramento. *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* [39]

et sapientiae infinitae;

solus enim Deus modum invenire poterat ut Christus Deus-Homo semper vere simul esset in coelo et in terra.

33) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 34) Io 13, 1. 35) Cf. 1 Rg 18, 4. 36) Cf. 4 Rg 2, 11-15. 37) Cf. 3 Rg 3, 16-27. 38) Mt 28, 20. 39) Rom 11, 33.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Passio Domini Nostri Iesu Christi. [1]

Hodie, moriente Christo, sol obscuratur, quia sol simulacrum Christi est.

I. Non immerito hodie, moriente Christo in cruce, *obscuratus est sol*, [1*] [sol] enim iste simulacrum et imago quaedam Christi est, hinc *resplenduit facies* Christi *sicut sol.* [2] Eclipsatus est hodie Christus *Sol iustitiae,* [3] auctor omnium bonorum, ideo *obscuratus est sol,* retraxit et abscondit in semetipso divinus iste sol radium divinae potentiae, radium divinae sapientiae, radium divinae bonitatis, radium divinae gloriae omnesque radios divinitatis suae. *Obscuratus est sol.* Christus passus et mortuus est. Reputatus est hodie Christus homo infimus, non potens seipsum salvum facere, homo insipiens et stultus, homo iniquus et scelerosus, homo vilissimus et infamis: *Qui cum in forma Dei esset,* aequalis Deo infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae, caritatis et gloriae, *accipiens formam servi ... humiliavit semetipsum ... usque ad mortem, mortem autem crucis.* [4]

In septem locis hodie Christus passus est.

Septem radii divini huius solis obscurati sunt in septem locis, ubi Christus hodie passus est: in horto, in domo Annae, in domo Caiphae, in domo Pilati, in domo Herodis et in monte Calvariae. Videndum nobis est quaenam Christus in omnibus hisce locis passus sit, a quibus et quam ob causam.

In horto, ubi Adam peccaverat,

II. Sed prius videamus quaenam Christus passus est in horto. Passus est Christus in horto, quia in horto Eden peccavit Adam. [5]

1) Liturgia Ecclesiae. Cf. Missale Rom. Feria Sexta in Parasceve. In codice haec verba pro inscriptione ponuntur; nos vero aliam posuimus: « Feria Sexta in Parasceve ».
1*) Lc 23, 45. 2) Mt 17, 2. 3) Mal 4, 2. 4) Phil 2, 6-8. Vulg.: *Formam servi accipiens,* etc. 5) Cf. Gn 3, 6.

Christus passus est maximam angustiam.

Requirit autem publica iustitia non raro ut ubi reus commisit delictum ibi etiam meritas poenas luat. Passus est Christus in horto maximam angustiam: *Coepit pavere et taedere,*[6] *contristari et moestus esse;*[7] *Tristis est anima mea usque ad mortem;*[8] *Factus in agonia prolixius orabat; et factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram.*[9]

Dies passionis dies fuit maximi doloris Deo, quia crudelissime occidebatur unicus eius Filius.

Dies passionis dies tribulationis est maximique doloris Deo et Angelis, Christo, Matri, Apostolis omnibusque discipulis et fidelibus Christi. Deo quidem, quia moritur, imo crudelissime occiditur ei unicus et dilectissimus Filius a propriis servis, ab agricolis vineae: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* Et eicientes eum extra vineam occiderunt.[10] Mensura doloris est amor;[11] ex magno amore magnus necesse est ut oriatur dolor, ex magno fonte magnus rivus. Dei erga Christum infinitus est amor, ergo infinitus dolor. Hodie vere dici potest quod *videns . . . quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra; et tactus* est *dolore cordis intrinsecus* et ait: *Delebo . . . hominem, quem formavi, a facie terrae.*[12]

Ideo in signum divini huius doloris velum templi scinditur.

In signum divini doloris hodie *obscuratus est sol,* obtenebratus est totus mundus, terra contremuit et *velum templi scissum est.*[13] Patriarcha Iacob, visa tunica filii sui Ioseph lacerata et sanguine tincta, existimans eum a feris devoratum, scidit vestimenta sua;[14] similiter David, audita morte filii sui primogeniti Amnon, scidit vestimenta sua magno cum fletu.[15] Sic Deus in signum doloris scidit velum templi. Si vehementer illi doluere, cum tamen plures haberent filios, cur non Deus unicum tantum habens? Sed primogenitum, ut fuit Ruben Iacobo[16] et Amnon Davidi,[17] sed pulcherrimum ut Ioseph[18] et Absalom,[19] sed sapientissimum ut Ioseph in Aegypto[20] et Salomon in Ierusalem,[21] sed obedientissimum omnique virtute ornatum ut Ioseph,[22] et Patri simillimum, ut Davidi fuit filius Che-

6) Mc 14, 33. 7) Mt 26, 37. 8) Ibid. vr. 38; Mc 14, 34. 9) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Sicut guttae,* etc. 10) Mt 21, 38-39. 11) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1^{a} 2^{ae}, q. 25, a. 1-3; q. 36, a. 3; 2^{a} 2^{ae}, 1, q. 28, a. 1; part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 565. 12) Gn 6, 5-7. Vulg.: *Quem creavi*, etc. 13) Mt 27, 51; Mc 15, 38; Lc 23, 45. 14) Cf. Gn 37, 33-34. 15) Cf. 2 Rg 13, 28-31. 16) Cf. Gn 29, 32. 17) Cf. 2 Rg 3, 2. 18) Cf. Gn 39, 6. 19) Cf. 2 Rg 14, 25. 20) Cf. Gn 40, 8 sqq.; 41, 25-36. 21) Cf. 3 Rg 3, 10-12; 2 Par 1, 7-12. 22) Cf. Gn 37, 13-14.

leab,[23] sic dictus quoniam patris simillimus erat.[24] Sed unicus erat ei, sicut Isaac Abrahamo.[25] Erat ergo immensus Dei erga Christum amor, hinc infinitus dolor: *Tactus dolore*, etc.

Dies magni doloris fuit etiam Angelis, qui in Christi morte vehementer contristati sunt.

Angelis etiam dies hic magni doloris fuit: *Angeli pacis amare flebunt ;*[26] sicut enim in nativitate Christi laetati sunt et prae laetitia choros ducentes Domino cecinerunt dicentes: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,*[27] sic in morte Christi vehementer tristati sunt. Diligunt enim Angeli Christum sicut fidelissimi servi optimum et amantissimum dominum; hinc in deserto *accesserunt et ministrabant ei ;*[28] hinc hodie descendit *Angelus de coelo confortans eum.*[29] *Angeli pacis amare flebunt.* In huius doloris signum obtenebratum est coelum.

Maximus etiam fuit dolor Divinae Matris, sicut maximus erat eius amor erga Filium.

Magnus, imo supramodum maximus fuit dolor Virginis sacratissimae, afflictissimae Matris, sicut maximus eius erat erga Christum amor. Quattuor solent esse causae, quae vehementer movent matres ad filium tenerrime diligendum: prima, si filius sit unicus et singularis; secunda, si pulcher valde sit et gratiosus; tertia, si virtutibus sit excultus et optimis moribus ornatus; quarta, si magna cum reverentia et obsequentia matri semper obediat et in omnibus morem gerat, ita ut eam nunquam contristet, sed gratum se ei semper exhibeat eamque singulariter diligat, consoletur, foveat, honoret, revereatur. Quattuor autem hae causae in Christo singularissimae fuerunt.[30]

In domo Annae et Caiphae Christus pati voluit, ut satisfaceret pro peccatis praelatorum.

III. Nunc videndum nobis est quaenam passus Christus est in domo Annae et in domo Caiphae pontificis. In curiis praelatorum et principum spiritualium committuntur multa peccata. Ad satisfaciendum autem pro iis et ad merendum nobis multa bona Christus multa pati voluit in domo Annae et Caiphae, qui erant principes sacerdotum et ecclesiastici praelati. Voluit Christus pro huiuscemodi peccatis satisfacere et mereri gratiam pastoribus Ecclesiae, ut po-

23) Cf. 2 Rg 3, 4. 24) כִלְאָב sonat: *Ipse pater*, vel: *Pater perfecit.* Cf. F. E. Leopold *Lexicon Hebraicum et Chaldaicum*, sub hac voce. 25) Cf. Gn 21, 1-5; 22, 2. 16. 26) Is 33, 7. 27) Lc 2, 14. Vulg.: *Gloria in altissimis*, etc. Affert ex Liturgia Missae. 28) Mt 4, 11. 29) Lc 22, 43. 30) Alba relicta reliqua parte folii 105 transitur ad folium 106a, et repetitur titulus, quem omisimus: « Passio Domini N. I. Ch. ».

pulum Dei Sanctamque Ecclesiam iuste, pie et sancte gubernent, regant et pascant.[31]

IV. Videndum nunc est quaenam passus est Christus in domo Pilati et Herodis, qui erant principes saeculares; quoniam enim in curiis principum saecularium multa committuntur peccata, iniustitiae et iniquitates, ideo Christus in domibus saecularium principum voluit multa pati ad satisfaciendum pro huiuscemodi peccatis et ad merendum gratiam principibus, ut iuste et pie rempublicam gubernent regantque populos.[32]

In domo Pilati et Herodis, ut satisfaceret pro peccatis principum.

V. Tandem videndum nobis est quaenam passus est Christus Dominus noster in monte Calvariae, ubi opus redemptionis nostrae consummavit. Ait enim, mox animam efflaturus: *Consummatum est.*[33] Et cur voluit Christus extra Ierusalem pati et in loco, ubi malefactores a publica iustitia ad mortem damnati interficiebantur?[34] Cur etiam tempore veris, die paschatis et hora sexta? Cur crucifigi? et inter duos latrones?[35]

In monte Calvariae opus redemptionis consummavit,

Calvariae quidem locus figura mihi esse videtur mundi huius. Paradisus ante peccatum erat locus vitae et deliciarum,[36] sed ob peccatum mundus hic factus est locus passionis et mortis; ob peccatum enim primorum parentum omnes homines damnati sunt ad cruces passionum plurimarum et dolorum et tandem ad mortem.[37]

quia Calvariae locus figura est huius mundi.

31) Alba relicta reliqua parte folii, transitur ad folium 107ª, ubi idem titulus repetitur, quem item omisimus. 32) Alba relicta reliqua parte folii, transitur ad folium 108ª, ubi idem titulus repetitur, quem omisimus. 33) Io 19, 30. 34) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 4, (P. L. 26, 209); S. Beda *Exposit. in Matthaeum* lib. 4, cp. 27, ibid. 92, 123; *in Marcum*, lib. 4, cp. 15, ibid. col. 286; *in Lucam*, lib. 6, cp. 23, ibid. col. 615; S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 46, a. 10, ad 3. 35) Cf. Mt 27, 33-38; Mc 15, 22-25; Lc 23, 32-33; Io 19, 17-18. 36) Cf. Gn 2, 8-14. 37) Cf. ibid. 3, 6 sqq. Alba relicta reliqua parte folii, transitur ad folium 109, ubi invenitur breve fragmentum alterius homiliae, quam omisimus, cum repetantur quae in homilia praecedenti dicta sunt.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE [1]

II. ALIA HOMILIA

Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron. [2]

Hodie natura universa contremiscit, quia Deus patitur et tanquam malefactor occiditur;

I. Horribile spectaculum et quo nunquam horribilius et horrendius in mundo visum est, unde claudit oculos coelum ne tantum videat horrorem, et terra tale tantumque impietatis pondus ferre non valens tota contremuit. Terra insurgit contra coelum, luna contra solem, tenebrae in lucem, nox in diem, creatura in Creatorem, homo in Deum, Iudaeus in Christum manusque suas lavat in sanguine sui Messiae, sui Salvatoris, sui Creatoris, sui Dei. Hodie auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, Dominus Angelorum, imperator coeli et terrae, creator mundi, vivus et verus Deus patitur, moritur, occiditur. Filius Dei vivus verusque Deus eo devenit hodie, ut a Iudaeis tanquam publicus latro et malefactor comprehensus iudici praesentaretur, falso accusaretur, iniuste ab iniquo iudice damnaretur et per manus impiorum carnificum flagellaretur, duceretur ad supplicium, suspenderetur crucifixus in ligno summo cum cruciatu maiorique cum infamia, dedecore et verecundia.

sed impassibilis pati voluit et immortalis mori amore nostri nostraeque salutis;

Deus immortalis, quis unquam id vel mente capere potuisset, [3] ut infinita maiestas tua eo deveniret, ut tanquam infamis latro per manus carnificis vitam in cruce finires? Impassibilis patitur et patitur tormenta talia, immortalis moritur et morte turpissima vilissimaque! Sed, o Deus, quisnam tibi tuam abstulit omnipotentiam, ut te defendere ab inimicis tuis minime posses? *Oblatus est quia ipse voluit.* [4] Caritas et amor nostri nostraeque salutis desiderium: haec

1) Inscriptionem hanc reliquimus prout in codice invenitur, f. 110. 2) Io 18, 1.
3) Ms.: *Unquam* iterum ponitur. 4) Is 53, 7.

Christum ligavit hodie, haec Christum flagellavit, haec eum spinis coronavit, haec clavis in cruce affixit: *Oblatus est quia ipse voluit.* Mori voluit tanquam pater pro salute filiorum, tanquam dux pro salute militum, tanquam rex pro salute regni et tanquam dominus pro salute servorum; ipse enim est Dominus noster, rex noster, dux noster, pater noster, Deus noster.

plorandum ergo et dolendum nobis est.

Ah! igitur, si filii videntes mortuum patrem, quamvis absque ulla poena et summo cum honore, lacrimas tamen continere non possunt nec cohibere fletum, quid nobis, si vere filii sumus, agendum est hodie? Quis fletus, quis planctus, quae lacrimae sufficient nobis hodie?

Quod si duriora sunt corda nostra saxis, ecce virga Moysi, quae a durissimo saxo copiosissimas aquas eduxit. [5]

Crux sancta, tu hodie frange cordis nostri duritiam, etc.

Egressus Christus de coenaculo venit in hortum,

II. *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius*, etc. [6] Egreditur Dominus, facta iam coena, lotis pedibus discipulorum, instituto Eucharistiae sacramento, facto sermone discipulis et finita oratione ad Patrem dictoque hymno, idest actis post coenam gratiis Deo. [7] Egreditur autem ab Ierusalem discipulis comitatus, transit per torrentem Cedron, venit in hortum, dicit discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* [8] nam *coepit pavere et taedere,* [9] *contristari et moestus esse;* [10] et tandem ad Patrem ait: *Pater . . . si possibile est, transeat a me calix iste,* [11] *factusque in agonia prolixius orabat; et factus est sudor eius velut guttae sanguinis.* [12] Sed undenam, quaeso, Domino tanta tristitia, tantus dolor, et maxime post coenam? Quoniam tunc homines solent non tristiores esse, sed multo laetiores; Christus autem tristatur et usque ad mortem, unde sanguineum effudit, dolorem maximum sentiens, sudorem.

ubi tristatur usque ad mortem et sanguineum sudorem fundit.

Causae tantae tristitiae in principio itineris:

Sed si consideremus unde egreditur Christus, quo et qua tendit, eiusque comitatum, videbimus profecto causas doloris Christi. Primo quidem in loco, unde Christus egreditur, multa fuere quae Christo

5) Cf. Ex 17, 5-6. 6) Io 18, 1. 7) Cf. ibid. 13, 1-17, 1 sqq. 8) Mt 26, 38. 9) Mc 14, 33. 10) Mt 26, 37. 11) Ibid. vr. 39. 12) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Et factus in agonia . . . sicut guttae sanguinis.*

locus unde Christus egreditur multas praebuit causas doloris,

doloris huius occasionem causamque praebuere. Siquidem in legali coena videns Christus agnum paschalem mortuum et occisum, in eo vidit suam ipsius mortem veluti depictam. Nam agnus ille figura Christi erat, sicut Ioannes ait: *Os non comminuetis ex eo;* [13] hoc enim de illo agno scriptum est, [14] Ioannes autem interpretatur de Christo, quoniam Christum agnus ille significabat; ubi Christus videbat innocentiam suam poenasque et mortem iniustissimam seque occidi ab eis qui sanguine illius agni salvati erant a morte. [15] Sicut autem, si cui iam ad mortem a iudice damnato in ultima coena proponatur spectaculum mortis quam passurus est, aut tunc legatur ei sententia contra eum lata, profecto magna tristitia afficietur, sic Christus in paschali coena videns agnum, etc. Nam agnum comedentes tenebant baculum in manibus et comedebant cum amaris herbis, quae crucem et amaram passionem designabant. [16]

nam in agno paschali innocentiam suam et mortem iniustissimam figuratam videbat;

Deinde in communi coena, peracta iam legali, instituit Sanctissimum Sacramentum, in quo similiter universa eius passio designata fuit, ait enim: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, et: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, etc.; [17] ubi praesentabatur Christo separatio animae a corpore et sanguinis a carne, passio et mors.

sacramentum Eucharistiae institutum passionem eius designabat;

Tertio, in lotione pedum discipulorum [18] praesentabatur Christo mors ipsius, nam ex latere eius exitura erat aqua cum sanguine, [19] quod futurum erat balneum ad lavanda peccata nostra: *Lavit enim nos a peccatis nostris in sanguine suo;* [20] unde, quoniam lotio illa hanc significabat, dixit Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum,* [21] nam lotio illa spiritualem lotionem praetendebat: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet;* [22] *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* [23]

ipsa lotio pedum discipulorum ipsius mortem significabat;

Quarto, videbat Christus sibi ante oculos positum proditorem Iudam, qui in corde suo nonnisi proditionem Christi machinabatur et forte secum habebat denarios, quibus Christum vendiderat Iudaeis tanquam vilissimum mancipium; [24] unde videns Christus Iudam

praesentia proditoris eius spiritum contristabat,

13) 19, 36. 14) Cf. Ex 12, 46. 15) Cf. ibid. vrr. 13. 22-23. 16) Cf. ibid. vrr. 8. 11. 17) 1 Cor 11, 24-25. 18) Cf. Io 13, 4-5. 19) Cf. ibid. 19, 34. 20) Apc 1, 5. 21) Io 13, 8. 22) Ibid. vr. 10. 23) Ibid. 15, 3. 24) Cf. Mt 26, 14-15; Mc 14,10-11; Lc 22, 3-6.

turbatus est spiritu, ut Ioanne 13 dicitur, dixitque: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* [25]

Quinto, quia necdum finita coena, cum post bucellam introisset in Iudam satanas, mox abiit coepitque cum Iudaeis tractare ut Christum ea nocte traderet, [26] abiitque et accepit a Iudaeis cohortem et a principibus et Pharisaeis ministros [27] ut Iesum caperet; Christus autem in spiritu omnia quae contra ipsum tractabantur luce clarius videbat.

maxime quando vidit eum e coenaculo egredi ut proditionem opere compleret;

Sexto tandem, in isto egressu ab Ierusalem videbat Christus universae synagogae totiusque populi Iudaeorum damnationem perditionemque et spiritualem et corporalem, et temporalem et aeternam, propter peccatum occisionis Christi. Nam in isto Christi egressu figurabatur quod relinquebat eum Deus et quod de templo Dei fiebat *synagoga satanae.* [28] Sicut autem flevit in die palmarum Christus videns civitatem, [29] quando veniebat ad eam *rex... iustus et salvator*, [30] multo magis hodie; nam discedit ab ea iustitia, salus et regimen Dei, omne penitus bonum, eamque malum omnisque Dei maledictio invasura erat, sicut experientia docuit et adhuc docet. Quare his omnibus et quidem gravissimis doloribus angebatur Christus in principio huius sui itineris.

augebatur tandem egrediens de Ierusalem et veniens in hortum, quia sic synagoga a Deo relinquenda erat.

III. Nec minores passus fuit in medio, *trans torrentem Cedron.* Siquidem nomen torrentis huius mortem Christo praesentabat. Cedron enim idem est ac obscuritas: [31] Christus in Cedron, sol obscuratus, obtenebratus, mortuus. Et sicut Salomon Semei dixit: Cum *pertransieris torrentem Cedron, scito te moriturum*, [32] sic Christus hic mortis suae sententiam in nomine isto audivit. Transiens Christus hunc torrentem recordatus fuit David regis, qui summa cum afflictione, nudis pedibus, hunc pertransivit torrentem, cum a suo filio Absalom suoque populo Israel persecutionem patiebatur quaerebaturque ad mortem, [33] in figuram passionis Christi, qui a suomet discipulo, quem tanquam filium diligebat, et ab iis, quibus innumera

Aliae causae doloris in medio itineris: torrens Cedron quem pertransiit, figurabat ipsius mortem

25) Vr. 21. 26) Cf. ibid. vrr. 27-30. 27) Cf. ibid. 18, 3. 28) Apc 2, 9.
29) Cf. Lc 19, 41. 30) Zach 9, 9. 31) Sic enim latine *Cedron* interpretatur.
32) 3 Rg 2, 37. Vulg.: *Transieris ... te interficiendum.* 33) Cf. 2 Rg 15, 16-23.

beneficia contulerat, morti tradendus erat. Item serpens ille aeneus,[34] qui Christi figura fuit,[35] confractus fuit ab Ezechia et redactus in pulverem in hunc fuit torrentem proiectus, eo quod a populo adorabatur.[36] Quare et hoc praesentabatur Christo tanquam mortis et passionis ipsius imago. Et forte hunc etiam pertransivit torrentem Isaac cum a patre ducebatur ad victimam, quoniam in Ierusalem erat locus ubi Abraham, inspirante Deo, filium ducebat in montem Moria,[37] ubi constructum fuit a Salomone templum.[38]

et torrentem passionum et poenarum suarum;

Praefigurabatur etiam in torrentis huius transitu quod transiturus erat mox torrentem passionum, dolorum poenarumque, nam aquae in Divinis Scripturis tribulationes designant: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam ;*[39] sic: *De torrente in via bibit.*[40] Et transitus quidem iste praefiguratus fuit in transitu maris Rubri[41] et in transitu Iordanis cum salute.[42]

discipulorum comitatus, sciebat enim mox eos scandalum passuros.

Transivit autem Christus *cum discipulis suis* hunc torrentem, sicut Moyses cum Hebraeis et Iosue cum universo populo, ad ostendendum quod passurus erat ipse pro salute nostra. Habuit autem Christus in hac via et aliam doloris causam, comitatus scilicet discipulorum, quoniam mox scandalum passuri erant et amissuri fidem Petrusque negaturus eum erat;[43] unde ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim : Percutiam pastorem et dispergentur oves.*[44] Ista autem dispersio summum afferebat Christo dolorem, veluti cum pastor videt a lupo oves disperdi, imo cum pater filios amittit.

Aliae causae doloris in fine itineris: in horto vidit omnia peccata mundi

IV. Tandem, in fine huius itineris multae aliae se Christo obtulerunt causae doloris. Intravit enim in hortum, ubi mox praesentavit se Christo Adae peccatum, quod in horto commissum fuit,[45] cum omnibus mundi peccatis, quae ex illo veluti ex radice ortum habuere. Quoniam autem omnia haec peccata Christus perlaturus erat in corpore

34) Cf. Nm 21, 8-9. 35) Cf. Io 3, 14. 36) Cf. 4 Rg 18, 4. 37) Cf. Gn 22, 1-14. An mons iste Moria fuerit, opinio est quae difficultate non caret. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub voce: *Moria.* 38) Cf. 2 Par 3, 1. 39) Ps 68, 2. 40) Ps 109, 7. Vulg.: *Bibet.* 41) Cf. Ex 14, 21 sqq. 42) Cf. Ios 3, 1 sqq. 43) Cf. Mt 26, 56 sqq.; Mc 14, 50 sqq.; Lc 22, 55-62; Io 18, 15-27. 44) Mt 26, 31. 45) Cf. Gn 3, 1 sqq.

suo, pro omnibus passurus poenitentiamque acturus, poenitentia autem principaliter in contritione cordis consistit, hinc *coepit contristari et moestus esse*. Sicut autem obtulerunt se Christo omnes culpae, ita etiam omnes poenae quas pro illis passurus erat.

et omnes poenas quas pro illorum expiatione passurus erat;

Et tandem, quia dolor nascitur ex amore; qui enim valde amat valde dolet in amissione vel laesione eius quod amat, sic pater dolet amisso filio, dives thesauro. Christus autem diligebat super omnia Deum, deinde seipsum, tertio Matrem suam, quarto discipulos suos, quinto synagogam uti patriam suam et sexto mundum universum. Hinc videbat Christus Patris summam infinitamque offensam; quae enim maior regi fieri potest offensio quam occidere illi unigenitum filium summe dilectum et summa cum crudelitate et dedecore? Diligebat seipsum, vitam, honorem famamque suam; haec autem mox amissurus erat. Diligebat Matrem, cuius mox gladius erat animam pertransiturus.[46] Diligebat discipulos universamque Ecclesiam, sed hi dispergendi mox erant. Diligebat patriam suam, synagogam, quae ob mortem ipsius redigenda ad nihilum erat. Et tandem diligebat mundum universum, ex quo per mortem suam vel paucissimi salvandi erant, quemadmodum paucissimos secum habebat discipulos, idest tres tantum: Petrum, Iacobum et Ioannem, et hos dormientes.[47]

doluit etiam quia super omnia Deum diligebat, quem offensum cognoverat,

seipsum quoque, et Matrem suam, discipulos, synagogam et mundum.

Quare ex omnibus hisce causis Christus summo afficiebatur dolore omnesque hae causae acutissimi erant gladii cor eius transfigentes. Hinc orat ad Patrem dicens: *Pater . . . transeat a me calix iste.* Non tantum propter amissionem vitae suae id orabat Christus tanquam mortem refugeret, sed etiam et maxime propter alias causas praedictas. Mortem tamen, quam naturali voluntate abhorret, sicut infirmus amaram medelam, deliberata voluntate acceptat dicens: *Fiat voluntas tua, si non potest hic calix transire* a me.[48]

Hae omnes causae fuerunt maximi doloris,

Nec semel tantum id oravit Christus, sed ter, summa cum instantia et afflictione,[49] adeo ut factus in agonia sanguineum sudorem effunderet, quasi diceret Patri: Pater, si necessarius est sanguis meus ad lavanda peccata, ego libenter hic totum effundam. Sudore hoc suo

hinc orat factus in agonia;

46) Cf. Lc 2, 35. 47) Cf. Mt 26, 37-40; Mc 14, 33-37. 48) Mt 26, 42. Ordine inverso affert hanc pericopen. 49) Cf. ibid. vr. 44; Mc 14, 35-41.

sanguineo Christus voluit veluti diluvium aliud efficere, quo submergerentur non peccatores,[50] sed peccata; voluit facere veluti aliud mare Rubrum, per quod salvarentur Israelitae et demergerentur cum Pharaone Aegyptii; voluit facere salutare balneum, ad instar piscinae quae erat in Ierusalem.[51]

et ter orat.

Ter Christus oravit, sicut Iacob pluries ut eum Deus de manu fratris sui Esau liberaret, sciens quod veniebat ille cum exercitu contra eum;[52] sic et Paulus postea ter oravit ut ab angelo satanae liberaretur.[53]

Venit in hortum ut oret, et in poenam peccati sanguinem sudat.

V. *Egressus est* autem *Iesus trans torrentem Cedron,* non ut mortem aut manus persequentium effugeret, nam[54] non ivisset ad locum Iudae cognitum, sed sciebat Iudas locum quia Iesus frequenter illuc veniebat ad orandum;[55] sed causa orationis venit Christus in hortum. Sudavit Christus sanguineum sudorem, quoniam in poenam peccati dictum fuit Adae: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*[56] Sed Christus ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius,*[57] idest opus redemptionis humanae. Sed quoniam dictum etiam Adae fuit: *Spinas et tribulos germinabit tibi,*[58] et: *Non dabit tibi fructus suos,*[59] et: *Morte morieris,*[60] haec omnia in horto praesentata Christo fuerunt. In horto peccatum Adae et poena peccati: sudor, magnus labor; magna poena: spinae et tribuli; paucitas fructus: pauci salvandi; tandem poena damni: *Morte morieris.*

Venit in hortum Oliveti, unde ascensurus erat in coelum.

Unum poterat Christo Salvatori esse gaudii causa in horto, quoniam hic in monte Oliveti erat, unde Christus ascendit in coelum,[61] et forte hoc Angelus Christo dicebat *confortans eum.*[62] Sed sciebat Christus quod crux ei futura erat veluti scala ad ascendendum, porta ad intrandum, clavis ad aperiendum coelum et quia mons erat Oliveti, Christus autem *olivam* se dicit:[63] *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei,*[64] afferens oleum gratiae et charismatum spiritualium. Sed oliva nonnisi in torculari pressa affert oleum, hinc ait: *Nondum*

50) Cf. Gn 7, 17 sqq. 51) Cf. Io 5, 2. 52) Cf. Gn 33, 3. 53) Cf. 2 Cor 12, 8. 54) Ms.: *Si* adicitur. 55) Cf. Io 18, 2. 56) Gn 3, 19. Ex hebraico. 57) Io 4, 34. 58) Gn 3, 18. 59) Ibid. 4, 12. 60) Ibid. 2, 17. 61) Cf. Act 1, 9-12. 62) Lc 22, 43. 63) Ms.: *Dicit* bis ponitur. 64) Ps 51, 10.

erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, [65] exaltatus in cruce, sua enim passione et morte meruit nobis Christus remissionem peccati et gratiam Spiritus Sancti, quod est oleum virginum. [66] Iter istud Christi in monte Oliveti terminatum fuit, unde Christus ascendit in coelum, quoniam Christi passio et mors via erat iterque ad exaltationem: *Propter quod et Deus exaltavit illum.* [67] Sic finis persecutionis propter iustitiam gloria est: *Quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [68]

ut significet passionem et mortem viam esse ad exaltationem.

Faciendum tamen nobis est, imminente persecutione, sicut Christus egit: reliquit civitatem mundumque et venit ad Patrem; non ab hominibus, sed a Deo petivit auxilium. Petendum autem est cum humilitate, nam: *Positis genibus.* [69] *Procidit in faciem suam;* [70] petendum cum perseverantia, nam ter oravit: *Et factus in agonia prolixius orabat;* petendum cum pietate: *Fiat voluntas tua*, ut deliberata voluntas nostra semper sit divinae voluntati conformis. Nam fructus orationis erit vel liberatio [a persecutione], sicut Iacob liberatus fuit de manu Esau, [71] vel confortatio ad perferendam persecutionem cum salute: descendit Angelus *confortans eum;* unde summa cum animi fortitudine ivit obviam inimicis dicens: *Quem quaeritis?* [72]

Docet Christus imminente passione petendum esse auxilium a Deo cum humilitate, perseverantia et pietate.

VI. *Egressus est Iesus.* Egressus quidem Spiritu Sancto ductus, sicut Deus eduxit Abraham ut ostenderet ei terram quam daturus illi erat et semini eius; hinc venit in montem Oliveti, unde postea ascendit in coelum. Sic etiam cum Abraham dixit Deo: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Praemium quale servitutis meae? Deus *eduxit . . . eum foras dixitque illi: Suspice coelum et numera stellas, si potes . . . Sic erit*, inquit, *semen tuum . . . Ego sum Deus qui eduxi te de Ur Chaldaeorum ut darem tibi terram hanc* [73] in hereditatem. Quare duo promisit Abrahamo Deus: terram fluentem lac et mel [74] multamque posteritatem; sic Deus nocte eduxit Christum a Ierusalem in montem Oliveti, forte ad haec duo praemia passionis suae ostendenda.

Sicut Deus eduxit Abraham de terra sua, sic Christum de Ierusalem educit.

Et sicut tunc, cum iussisset Deus Abrahae ut offerret illi sacrifi-

65) Io 7, 39. 66) Cf. Mt 25, 4. 67) Phil 2, 9. 68) Mt 5, 10. 69) Lc 22, 41. 70) Mt 26, 39. 71) Cf. Gn 33, 10 sqq. 72) Io 18, 4. 73) Gn 15, 2. 5-7. Vulg.: *Et ait illi... Ego Dominus... terram istam.* 74) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5.

Abraham sacrificare iussus figura Christi;

cium, irruit super ipsum sopor, sive extasis, *et horror magnus ac tenebrosus*, [75] ita hic Christus *coepit pavere . . . contristari et moestus esse.* Iussit autem illi Deus ut in sacrificium offerret vitulam *triennem et capram trimam et arietem annorum trium, turturem . . . et columbam*, [76] per quae omnia Christus ipse designatur.

ipsa etiam animalia sacrificanda Christum figurabant tum ratione qualitatis

Iubet immolari sibi sacrificium animalium mundorum, non immundorum, quia Christus mundissimus: *Qui peccatum non fecit;* [77] sacrificium animalium non tantum terrestrium, sed etiam coelestium, quia Christus Deus et homo, nam per columbam etiam Spiritus Sanctus designatur, qui in columbae specie super Christum descendit in baptismo; [78] et terrestria quidem animalia divisa fuerunt, [79] non autem coelestia, quoniam passus Christus fuit ut homo, non ut Deus. Est autem Christus vitula non vitulus hic, propter infirmitatem carnis quam passibilem pro nobis assumpsit, capra propter *similitudinem carnis peccati*, [80] nam haedi et caprae reprobos designant; [81] aries dux ovium, Christus caput et sponsus Ecclesiae omniumque electorum, qui oves sunt ad dexteram positi.

tum etiam aetatis.

Immolanda autem animalia trium annorum voluit, siquidem huius generis animalia tunc sunt in florida et perfecta aetate; sic Christus in florida perfectaque aetate passus est, omni perfectione plenissimus.

Veniebant nocturnae volucres ad comedendas carnes sacrificii, *et abigebat eas Abraham*, [82] quia daemones, qui per volucres designantur: *Volucres coeli comederunt illud*, [83] nullam habuerunt in Christo partem; *Venit enim princeps mundi huius et in me non habet quicquam.* [84]

Aliae circumstantiae sacrificii Abrahae

Iussit autem Deus Abrahae sacrificium istud ut hac oblatione mereretur sibi terram promissionis. Hic autem et praecipuus fructus praemiumque passionis Christi: *In quo*, inquit, *scire potero quod possessurus sim eam?* [85] Qua via, quo medio, quid agendo possessionem hanc consecuturus sum? *Sume*, inquit, etc. Sed dum Abraham offert sacrificium, cecidit super eum extasis *horrorque magnus ac tene-*

75) Gn 15, 12. 76) Ibid. vr. 9. 77) 1 Petr 2, 22. 78) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21-22; Io 1, 32. 79) Cf. Gn 15, 10. 80) Rom 8, 3. 81) Cf. Mt 25, 32-33. 82) Gn 15, 11. 83) Lc 8, 5. 84) Io 14, 30. 85) Gn 15, 8. Vulg.: *Unde scire possum*, etc.

brosus; sic dum se Christus Patri offert ad mortem: *Fiat voluntas tua,* factus in agonia est coepitque pavere et contristari. Et sicut tunc revelavit Deus Abrahae afflictiones, quas passurum erat semen ipsius in Aegypto, [86] sic Christus praevidit hic quanta passuri erant fideles sui supplicia martyriaque propter nomen suum. Et hinc Christus maxima angebatur poena, et propterea forte sanguinem sudando effudit, maxime sciens quod multi persecutionum metu negaturi eum erant, sicut Petrus. Angelus autem descendit *confortans eum,* in signum quod Spiritus Sanctus descensurus erat de coelo ad confortandos virtute sua fideles, ut ferre ac sustinere possent persecutiones.

figurabant poenas, quas Christus passus est praevidens supplicia fidelium suorum et etiam eorum defectiones.

VII. Quoniam summopere Christus discipulos suos diligebat plus quam pater et acutissimo doloris gladio anima eius transfigebatur ob mox futuram eorum dispersionem, ter reliquit orationem et venit ad eos, monens ut vigilarent et orarent ne intrarent in tentationem ob carnis infirmitatem. Nec tantum monuit, sed corripuit etiam dicens: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* [87] Sic maximum ostendit cordis sui dolorem, nam eos magis quam Iacob suum Ioseph et Beniamin diligebat. [88]

Quia summo amore discipulos diligebat, summo etiam dolore angebatur ob futuram eorum dispersionem.

Quoniam dolor amore mensuratur, Christus cum super omnia Patrem diligeret amore maximo et intensissimo, maximus eius intensissimusque hic dolor erat, quoniam tanta cum Patris offensa moriturus erat. Nam si cum ea pietate eum occisuri fuissent Iudaei qua Abraham filium suum, Iephte filiam, [89] qua summus pontifex vitulum immolabat, [90] qua nautae miserunt Ionam in mare, [91] non summum hunc Christus persensisset dolorem. Haec summa fuit calicis huius Christi amaritudo, hoc myrrha, hoc fel et absinthium, summa Iudaeorum impietas crudelitasque.

et quia intensissimo amore diligebat Patrem, intensissime etiam dolebat, quoniam cum tanta illius offensa ipse moriturus erat.

Alter vero huic germanus dolor fuit de scandalo, dispersione ac spirituali perditione discipulorum; hinc ter discessit ab oratione ad eos confortandos, quoniam Christus summopere cupiebat discipulorum salutem; discessit ter ab oratione, nam in duobus praeceptis universa lex pendet: [92] orans Christus ostendit se super omnia Patrem

Quia Patrem diligebat, ter oravit; quia diligebat discipulos ter discessit ad eos confortandos.

86) Cf. ibid. vr. 13. 87) Mt 26, 40-41. 88) Cf. Gn 37, 3; 44, 20 89) Cf. Idc 11, 35-39. 90) Cf. Lv 1, 3-5. 91) Cf. Ion 2, 1 sqq. 92) Cf. Mt 22, 40.

diligere, discedens ostendit discipulos se amare et tanquam alter Ioseph missus a patre errabat in campo fratres suos quaerens, si cuncta essent prospera erga fratres suos.[93] Et ob duplicem hanc causam Christus oravit ut transiret ab eo calix.

Angelus confortans maiore dolore eum affecit quia ad patiendum confortabat.

Quod si descendit Angelus ad confortandum eum, nil tamen Christus confortatus fuit, imo maiori dolore affectus. Unde post Angeli confortationem dicitur quod *factus in agonia prolixius orabat; et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis.* Nam sicut medicata plaga magis dolet, sic cordis dolor fit multo acerbior, dum causa doloris memoratur in confortatione. Sic cum accessissent filii filiaeque ad confortandum Iacob pro morte Ioseph, non accepit consolationem.[94] Deinde, quia si confortabat eum Angelus, confortabat utique ad patiendum et ad calicem hunc bibendum. Ergo fuit veluti nuncius iudicis reo proferens mortis sententiam, quamvis cum pietate.

Ideo cordis eius angorem auxit usque ad sanguinis effusionem.

At quis nesciat quod eo in puncto maximum reus patitur dolorem estque sententia illa veluti gladius transfigens cor et malleus conterens illud? Quare confortatio ista ad instar mallei fuit, quo percussum Christi sanctissimum cor sanguinem, qui circa illud ad eius defensionem collectus erat, sparsit omnique ex parte diffudit. Hinc *factus est sudor eius*, etc. Et sudor quidem oritur a calore et labore. Sic sudor iste Christi ortus fuit a calore spiritus caritatis Christi et ab infirmitate carnis.

Angelus Christum confortavit ut hominem.

Descendit . . . Angelus de coelo confortans eum. In deserto *Angeli accesserunt et ministrabant ei*[95] tanquam Domino[96] et regi, nunc Angelus confortat tanquam hominem paulo minus minoratum ab Angelis;[97] sic Angelus confortavit Agar in deserto,[98] sic Elias confortatus ab Angelo fuit;[99] confortatus fuit qua parte minor est Angelis; confortatus, quia caro suapte natura infirma; confortatus mox ut seipsum Patris voluntati remisit: *Fiat voluntas tua;* sic enim fit omnibus qui se Dei voluntati in omnibus submittunt; *confortans eum,* sicut Angelus Iacob: *Si* enim *contra Deum fortis fuisti, quanto magis,* etc.[100]

Angelus apparuit Christo corporali et visibili specie viri, sicut apparuere Angeli Abrahamo, Loth, Iacob angelus luctans cum

93) Cf. Gn 37, 13-14. 94) Cf. ibid. vr. 35. 95) Mt 4, 11. 96) Ms.: *Domini.*
97) Cf. Hebr 2, 9. 98) Cf. Gn 21, 17-19. 99) Cf. 3 Rg 19, 5-7. 100) Gn 32, 28.

eo, Gedeoni, Iosue, Manue et aliis. Confortatio autem ista verbis sensibilibus et externa fuit, sicut et tentatio in deserto fuit externa, et sensus tantum Christi indigebat confortatione. Sicut autem cum quis hominem publica iustitia moriturum confortat, auget ei dolorem commemorando mortem quam ille summopere abhorret, ita Angelus Christo.

visibili specie ei apparens et sensibiliter loquens.

VIII. *Factus in agonia.* Fuit agon atque conflictus quidam in Christo inter carnem et spiritum, sensum et rationem, naturam et gratiam. Nam caro permittebatur in hoc facere quod in se erat et conflictare mortem refugiendo. Nec tamen in aliquo laesus a carne spiritus fuit, sed absque culpa. Eratque pugna etiam inter potentias et obiecta; sensitiva enim potentia refugiebat obiectum poenale mortemque, quod est ultimum terribilium. [101]

Agonia Christi orta est ex conflictu spiritus eius cum carne quae mortem refugiebat.

Factus est sudor eius, etc. Potest homo etiam naturaliter sanguinem sudare, nam apertis poris prae nimio labore, egresso aquae illo humore, qui est sudoris materia, exhaustoque, egreditur sanguis, sicut natura, exhausto semine, subministrat sanguinem. [102] Sed egreditur subtilissimus sanguis nec in multa copia. At non sic Christo accidit; nam egressus in magna copia est, unde decurrebat in terram. [103] Et guttae erant non tenues parvaeque, sed praegrandes, unde graece est θρόμβοι, [104] trombus autem grumum etiam significat et concreti sanguinis partem. Quare supernaturalis fuit sudor iste prae nimio pondere, nam: *Posuit . . . in eo iniquitatem omnium nostrum,* [105] et: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* [106] sicut ponebantur omnia peccata populi super hircum emissarium. [107] Hinc summum infinitumque sensit dolorem.

Sudor sanguineus non naturalis fuit, sed supernaturalis, prae nimio pondere peccatorum;

Deinde ex passionis mortisque obiecto. Siquidem praesentabatur Christo quod passurus erat ab omnibus, etiam a suis discipulis, a Matre etiam: Heu me, Mater mea! ut quid me genuisti virum dolorum? etc.; a Patre: *Calicem, quem dedit mihi Pater* ; [108] a Spiritu Sancto, qui per os Caiphae protulit mortis sententiam; [109] a seipso: *Oblatus*

ex praevisione etiam poenarum, quas passurus erat ab omnibus, in corpore et in anima;

101) Aristoteles: « Omnium rerum nihil horribilius morte; nam omnium rerum est extremum ». *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20. 102) Cf. Aug. Calmet *Comment. S. Scripturae,* dissert. in initio Evangelii S. Lucae. 103) Cf. Lc 22, 44. 104) Ms.: *Fromui.* 105) Is 53, 6. 106) 1 Petr 2, 24. 107) Cf. Lv 16, 20-22. 108) Io 18, 11. 109) Cf. Mt 26, 65-66; Mc 14, 63-64.

est quia ipse voluit;[110] ab angelis malis, quia: *Introivit in eum satanas;*[111] ab Angelis bonis, nam Angelus nuntiavit ei mortis sententiam. Passurus erat in omnibus corporis membris, sensibus, partibus etiam animae, unde: *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* et in suprema parte supremum dolorem propter Patris offensam. Unde: *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas,*[112] veluti alter Iob.[113]

ex genere et circumstantiis mortis;

Considerabat mortis genus, locum et tempus, in die paschae, praeter poenas, infamiam et verecundiam summamque in honore laesionem. Considerabat summam in anima innocentiam et in corpore delicatissimam complexionem, quae multo magis sentit afflictiones.

ex intensitate dolorum qua nulla maior esse potest.

Fuit item dolor Christi maximus, unde ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus,*[114] ob doloris puritatem, absque ulla consolationis admixtione, sentiebatque singulos tum animae tum corporis dolores in suo vigore, ac si singulos per se pateretur, non sicut in nobis cum maior dolor obruit minorem. Unde Christus sicut in statu innocentiae, gratiae et gloriae omnes homines superavit, ita et in statu poenae.

Sanguis hic fusus fuit ex nimia caritate, ad lavanda peccata.

Decurrebat sanguis Christi in terram, quia fundebatur ad lavanda terrenorum hominum peccata et ad fecundandam terram bonam, ut centuplum redderet.[115] Fudit per totum corpus sudorem, quasi toto corpore lacrimas pro peccatis nostris effunderet et ut pro omnibus suis membris totaque Ecclesia satisfaceret. In Aegypto aqua[116] fuit conversa in sanguinem[117] et virga in serpentem.[118] Christus iustissimus reputatus peccator et sudor eius in sanguinem vertitur. Sanguis iste pretium est mundi, ideo quia effusus est tanquam sudor ex nimio cordis calore, ex nimia caritate, quae sola meretur vitam.

Hucusque Christus passus est in anima.

IX. *Iudas ergo cum accepisset cohortem et a pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum lanternis et facibus et armis,* etc.[119] Hucusque[120] intrinsecus tantummodo passus est Christus doloris

110) Is 53, 7. 111) Io 13, 27. 112) Is 1, 6. *Capitis* adicitur ex Liturgia Ecclesiae. Cf. Breviarium Rom. in Festo Septem Dolorum B. M. V., antiph. *ad Laudes*, die 15 Septembris, et in officio Passionis. 113) Cf. Iob 2, 7-8. 114) Thr 1, 12. 115) Cf. Lc 8, 8. 116) Ms.: *Aquam.* 117) Cf. Ex 7, 20. 118) Cf. ibid. 4, 2-3. 119) Io 18, 3. 120) In margine haec adiecta fuerunt: « Mittunt pontifices et Pharisaei sacrilegos ministros ad comprehendendum Dominum, sicut Saul misit ad capiendum David, rex Israel Ochozias ad

gladio sentiens transfigi sibi cor, praevidens in spiritu universam passionem mortemque suam. Sic I e r e m i a s in spiritu praevidens sanctae civitatis et templi destructionem, summo affectus dolore inconsolabili fletu lamentabatur.[121] Nunc autem incipit et externa passio. Hucusque passus est in anima, unde ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* nunc autem pati incipit et in corpore.

nunc incipit passio eius externa.

Hinc forte ob id visus fuit Christus Ezechieli tanquam homo igne plenus; sed a lumbis sursum erat tanquam electrum pretiosissimum, sed sine splendore; a lumbis vero deorsum splendebat ignis.[122] A lumbis sursum designatur anima et a lumbis deorsum corpus, unde in Aegyptiorum mysteriis homo per centaurum designabatur;[123] per ignem vero maxima designatur afflictio, unde: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[124] Per ignem ergo a lumbis sursum designatur passio interna: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Haec autem est electrum argento auroque pretiosius, haec pretium redemptionis nostrae: *Fiat voluntas tua;* in voluntate enim consistit meritum et in caritate. Per ignem vero a lumbis deorsum designatur passio corporis externa, quae oculis videri potest, qua captus fuit a cohorte, flagellatus, spinis coronatus et tandem crucifixus.

Utraque haec passio significata fuit in visione Ezechielis.

Coepit autem haec passio a comprehensione in horto, cum a cohorte et a ministris Iudaeorum captus fuit Christus tanquam latro. Sic enim ait: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus,* etc.[125] Ego, inquit, quotidie apud vos eram docens in templo, cur me non tenuistis, si malefactor sum tanquam publicus latro? *Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*[126] Indicat Christus causam cur se capi sinat; Quia, inquit, *haec est hora vestra,* qua vobis permittit Deus facere in me quaecunque vultis. Quam causam expressit Chri-

Christus non vi sed voluntarie se comprehendi permisit; hoc ostendit verbis

comprehendendum Eliam, et rex Syriae ad capiendum Eliseum. Sed in defensionem huius astitit multo maior Angelorum exercitus in equis et curribus igneis; sed multo maior Angelorum exercitus in Christi defensionem paratus fuisset, nam: *Possum,* inquit, *rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.* Nam ipse est cui millia millium ministrant et decies millies centena millia assistunt. Sic *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel; omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Sacra autem Christi humanitas verus est Salomonis lectulus. Imo solus Angelus, qui descendit ad confortandum Christum, potuisset eum ab exercitu defendere, cum unus solus Angelus una nocte destruxerit universum exercitum Sennacherib ob defensionem Ierusalem ».

121) Cf. 9, 1 sqq.

122) Cf. Ez 1, 27.

123) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica,* f. 32b.

124) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc.

125) Ibid. 26, 55; Mc 14, 48; Lc 22, 52.

126) Lc 22, 53.

stus Petro dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum ?* [127] *Quomodo ergo implebuntur Scripturae ?* [128] Sicut, inquit Christus, non potuistis me tenere in templo cum apud vos essem, ita nec nunc quidem possetis, si capi ego nollem. Quare ostendit Christus se non necessario, sed voluntarie capi.

et factis, quia non fugit nec se abscondit,

Quod nedum verbis, sed factis etiam ostendit. Primo, quia *sciens omnia quae ventura erant super eum,* [129] non fugit nec se abscondit, quod solent homines facere dum cohors eos persequitur, sed venit obviam illis eisque seipsum manifestat dicens: *Quem quaeritis ?* [130] Secundo, quia potuisset utique facere sicut fecit Elias ministris regis Israel, qui venerant ad capiendum eum: iussit enim ut ignis de coelo descenderet eosque consumeret et factum sic fuit; [131] vel sicut Moyses in contradictione Core, facere ut aperiretur terra devoraretque eos; [132] potuisset in ictu oculi facere ut torrentis Cedron aquae multiplicarentur et demergerent eos, sicut in diluvio [133] vel in mari Rubro,[134] vel saltem, sicut Eliseus ministros regis Syriae, eos caecitate percutere, [135] nam sic etiam Sodomitis factum est, cum contra Loth insurgere voluerunt; [136] potuisset eos deludere, sicut David delusit ministros Saul, ut loco eius statuam invenirent; [137] potuisset sicut David fugere seseque abscondere, uti fecit cum Nazareni eum voluerunt praecipitare de monte, [138] et Iudaei lapidare in templo. [139] Quae omnia posse ostendit Christus dum unico verbo tantum omnes prostravit; siquidem cum dixisset: *Ego sum,* omnes *abierunt retrorsum et ceciderunt in terram,* [140] divinitatis eius virtute prostrati. Quare multo magis potuisset facere ut solus Petrus eos omnes suo interficeret gladio, [141] sicut solus Ionathas cum suo armigero invasit exercitum Philisthaeorum atque prostravit, dicens non esse difficile Domino *salvare vel in multis vel in paucis,* [142] quoniam persequebatur unus mille et duo fugarent decem millia. [143]

nec se ullo modo defendere vult, cum possit,

sicut potuit unico verbo omnes inimicos prostrare

Imo Dominus ut magis magisque ostenderet se voluntate, non necessitate pati, auriculam Malcho restituit, quam Petrus absciderat.[144]

127) Io 18, 11. Cf. not. 19 praec. hom., pag. 252. 128) Mt 26, 54. 129) Io 18, 4. 130) Ibid. 131) Cf. 4 Rg 1, 3-14. 132) Cf. Nm 16, 1-27. 133) Cf. Gn 7, 17 sqq. 134) Cf. Ex 14, 23 sqq. 135) Cf. 4 Rg 6, 11-23. 136) Cf. Gn 19, 4-11. 137) Cf. 1 Rg 19, 13-17. 138) Cf. Lc 4, 29-30. 139) Cf. Io 8, 59. 140) Ibid. 18, 6. 141) Cf. Mt 26, 51; Mc 14, 47; Lc 22, 50. 142) 1 Rg 14, 6. 143) Cf. Dt 32, 30. 144) Cf. Lc 22, 51.

Nam si miraculo potuit sanare, potuit et occidere, sicut potuit prostrare verbo dicens: *Ego sum.* Nam, ut sciremus quod divinae vocis virtute prostrati hi fuere, ceciderunt non in faciem suam, sed *retrorsum*, veluti vi magna impetuque impulsi, ut non voluntate, sed necessitate abierint retrorsum atque ceciderint, quo praefigurata fuit Iudaeorum ruina in suae temeritatis et impietatis poenam.

et solo tactu auriculam abscissam Malcho restituere.

Alia item ratione ostendit Dominus se potuisse mortem effugere cum Petro dixit: *An . . . non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi . . . plus quam duodecim legiones Angelorum ?* [145] Unus autem Angelus una nocte percussit omnes primogenitos Aegypti, [146] occidit multa millia hominum in Israel [147] et universum Sennacherib excercitum interfecit. [148] Quid tot legiones fecissent?

Sic noluit legiones Angelorum in sui defensionem petere,

Et quidem Iudae potuisset Dominus facere sicut Ozae cum arcam tetigit, [149] cum accessit ad eum et osculatus eum fuit dicens: *Ave Rabbi,* [150] tradens eum proditione pessima, sicut Ioab pessime prodidit Abner [151] et Amasa [152] principes Israel; sed correptione tantum usus est dicens: *Amice, ad quid venisti ?* [153] *Osculo Filium hominis tradis?* [154] Salvare enim venerat non perdere, mortemque libenter obibat ut sua mors nobis causa esset aeternae vitae. Hinc se capi permisit dans prostratis surgendi [facultatem] viresque eum capiendi, cum iterum interrogans: *Quem quaeritis ?* habitoque responso: *Iesum Nazarenum,* ait illis: *Dixi vobis quia ego sum ; si ergo me quaeritis, sinite hos abire.* [155] Se quidem capi permisit, non autem suos. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [156]

nec Iudam proditorem morte percutere, sed prostratos inimicos sublevat seseque illis tradit,

Noluit autem nec permisit secum suos capi, ne perirent spiritu deficientes ob metum a fide, sicut Petrus, et corpore occisi a Iudaeis; sic enim in aeternum periissent. Hinc ait: *Sinite hos abire; Quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.* [157] Quo facto etiam ostendit Dominus quod, nisi capi se permisisset, minime comprehensus fuisset.

suos tamen liberans ne perirent deficientes in fide.

Permittente ergo Domino cohors et tribunus et ministri Iudaeorum *comprehenderunt* eum *et ligaverunt.* [158] Sic comprehensus fuit Samson a Philisthaeis ; [159] sed non funes tenebant Christum ligatum,

145) Mt 26, 53. 146) Cf. Ex 12, 29-30. 147) Cf. 2 Rg 24, 15-17. 148) Cf. 4 Rg 19, 35. 149) Cf. 2 Rg 6, 6-7. 150) Mt 26, 49; Mc 14, 45. 151) Cf. 2 Rg 3, 26-27. 152) Cf. ibid. 20, 7-10. 153) Mt 26, 50. 154) Lc 22, 48. 155) Io 18, 7-8. 156) Ibid. 10, 11. 157) Ibid. 18, 9. 158) Ibid. vr. 12. 159) Cf. Idc 16, 21.

Etiam comprehensus potuisset se ab eorum manibus eripere, quia non vis sed amor Christum comprehensum tenebat.

sed amor, nam potuisset Christus facere quod Philisthaeis fecit Samson ;[160] sic item arca Dei capta a Philisthaeis fuit, sed illis multa maximaque intulit damna, unde sua sponte remiserunt eam in terram Israel liberam;[161] sic et Christus multa his mala inferre potuisset, unde profecto liberum Christum dimisissent; sicut comprehensus fuit Daniel proiectusque in lacum leonum,[162] sicut comprehensus Ioseph ut occideretur,[163] sicut comprehensus fuit Ieremias a sacerdotibus, prophetis et populo clamabantque omnes : *Morte moriatur;*[164] nam et ad capiendum Christum venerunt etiam principes sacerdotum et magistratus templi et seniores.

Christus ducitur ad Annam et hinc ad Caipham.

X. *Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.*[165] Non sine causa I o a n n e s, cum narrat adductum Iesum ad Annam, memorat Caiphae consilium,[166] sed ut ostendat omnia ex divina dispensatione fieri, sicut consilium illud Caiphas non a semetipso dedit; quare divina etiam dispensatione Christus ductus ad Annam est, et hinc ad Caipham. Nam sic vitulus, qui immolandus erat, adducebatur ad tabernaculum, ut Aaron et filii eius imponerent super illum manus suas sicque occisum sacrificarent.[167]

Septem in passione Christi itinera legimus.

Ductus fuit Dominus Iesus primo ad Annam, inde ad Caipham,[168] hinc ad Pilatum,[169] postea ad Herodem, deinde iterum ad Pilatum,[170] et tandem ad supplicii locum. Unde septem in passione Christi itinera legimus: a coenaculo ad hortum, ab horto ad Annam, ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum et a Pilato ad Calvariae locum; et semper magis magisque Christi passio crevit, semper graviora passus.

Multa passus est in domo Annae.

Multa passus Christus in horto fuit, nec tamen minora hic passus in domo Annae est; non quidem passus hic est iniustam examinationem et alapam a ministro pontificis, ut videtur dicere I o a n n e s,[171] nam haec passus est in domo Caiphae pontificis, ubi, ut ceteri omnes E v a n g e l i s t a e aiunt,[172] examinatus fuit negatusque a Petro,

160) Cf. ibid. 15, 13-15. 161) Cf. 1 Rg 4, 21-5, 1-10. 162) Cf. Dn 6, 16-17; 14, 27-30. 163) Cf. Gn 37, 20-30. 164) Ier 26, 8. 165) Io 18, 13.
166) Cf. 18, 14. 167) Cf. Ex 29, 10; Lv 1, 5; 4, 1-4; 8, 14-15. 168) Cf. Io 18, 24. 169) Cf. ibid. vr. 28. 170) Cf. Lc 23, 7-11. 171) Cf. 18, 13-24. 172) Cf. Mt 26, 57 sqq.; Mc 14, 53 sqq.; Lc 22, 54 sqq.

et I o a n n e s dicit haec passum Christum coram pontifice, nam ait: *Interrogavit eum pontifex;* [173] *Sic respondes pontifici?* [174] *Erat notus pontifici . . . introduxit* in atrium pontificis. [175] Sed Caiphas erat pontifex, Annas autem erat *socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius . . . et misit eum Annas . . . ad Caipham pontificem.* [176] Hoc dixit I o a n n e s inter narrandum Christi examen et Petri negationem: *Et misit eum Annas . . . ad Caipham pontificem,* idest m i s e r a t; Hebraeis enim praeteritum perfectum pro plus quam perfecto etiam saepissime sumitur, nam unum tantummodo praeteritum habent; ideo inquit: *Interrogavit eum pontifex,* quia Annas miserat eum ad Caipham pontificem. Nam si in domo Annae hoc examen factum esset, Petrus Christum plusquam ter negasset; sed Christus ait: *Ter me es negaturus.* [177] Si ergo tribus tantum vicibus negavit, non ergo eum apud Annam negavit, quia omnes alii E v a n g e l i s t a e clarissime referunt omnes tres negationes in domo Caiphae fuisse. [178]

Quare non est passus Christus in domo Annae iniustum examen pontificis, ministri alapam et Petri negationem, sed hoc est passus: nam *misit eum . . . ad Caipham pontificem;* ad Caipham, inquam, qui summo Christum odio prosequebatur et Iudaeis *consilium dederat: Quia expedit unum hominem mori pro populo,* [179] unde ab illa die cogitaverunt Christum interficere. [180] Quare in hoc Christum maxime laesit, nam misit ovem ad lupum. Erat vir magnae auctoritatis, uti socer Caiphae pontificis et princeps sacerdotum, unde honoris causa duxerunt Christum ad eum. Poterat eum facillime liberare eiusque protectionem et defensionem suscipere et tanquam David ovem de faucibus leonis et ursi liberare, [181] Christo favorem et gratiam, iuxta nomen suum quod g r a t i a m designat, impendens.

Idest iniustam detentionem, et cum facillime posset eum liberare, misit ad Caipham qui summo odio Christum prosequebatur

Sed nihil horum agit, imo totum oppositum. Misit eum sic ligatum tanquam latronem summe dehonestatum ad Caipham pontificem, ostendens quo animo affectus in Christum esset mittens ovem ad lupum, agnum ad leonem. Quod si pontifex ipse tunc temporis fuisset, non utique eum ad Caipham misisset, sed apud se retinuisset, nihil minus quam Caiphas facturus contra Christum. Quare suo

et misit eum summo dedecore, ligatum tanquam latronem ad certam occisionem

173) 18, 19. Vulg.: *Pontifex . . . interrogavit Iesum.* 174) Ibid. vr. 22. 175) Ibid. vrr. 15-16. 176) Ibid. vr. 24. 177) Mc 14, 30. 178) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 54-62. 179) Io 18, 14. 180) Cf. ibid. 11, 53. 181) Cf. 1 Rg 17, 34-36.

hoc facto Annas contra Christum mortis sententiam protulit, cum ad pontificem occisorem eum misit, sicut David Uriam ad Ioab,[182] ut eum morti traderet. Non enim misit eum ad Caipham sicut Pilatus ad Herodem volens liberare eum,[183] sed damnare, ita mittit ovem ad victimam, ad carnificem;[184] quare hic non solum consensit morti Christi, sed etiam auctor fuit. Quare summam hic Christus passus fuit impietatem videns principem hunc sacerdotum gaudio affectum de sua comprehensione.

Sed maiora passus est in domo Caiphae ob Petri negationem.

XI. Sed maiora passus fuit Christus in domo Caiphae, nam hic primo passus est Petri negationem et primam et secundam et tertiam, summo cum animi sui dolore, quamvis eum ore tantum Petrus, non corde negaret.

Elucet in Petro animi virtus, dum Christum a cohorte defendere vult

Sequebatur autem eum Simon Petrus et ille *alius discipulus,*[185] *quem diligebat Iesus,*[186] etc. Constat hic quam vere Dominus dixerit Apostolis, maxime autem Petro: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma,*[187] nam ex spiritus promptitudine Petrus, nedum in horto periculo se exposuit exercitumque tanquam alter Ionathas armis appetiit, fortior factus Davide – nam hic quidem ursum atque leonem tandemque gigantem fuit aggressus, ille[188] autem exercitum armatorum,[189] – sed nunc etiam eadem spiritus promptitudine sequitur Christum, nedum usque ad Annae domum, verum etiam usque in atrium pontificis; nec tantum in atrium exterius, quod omnibus commune erat, verum etiam in atrium interius quo Ioannes notus pontifici introivit Petrumque ipsum introduxit. Non enim Petrus timore affectus non intravit in interius pontificis atrium, sed quia, ignotus cum esset, admissus minime fuit ab ostiaria, donec a Ioanne rogata illa ipsum admisit.[190]

et eum sequitur usque ad Annae et Caiphae domum,

At vero infirmitas carnis inde elucet, quod captum Dominum sequebatur quidem, sed a longe, quod est timoris indicium, non forti-

182) Cf. 2 Rg 11, 14-17. 183) Cf. Lc 23, 6-7. 184) In margine haec adiecta fuerunt: « *Misit*, inquit, *eum . . . ligatum ad Caipham pontificem*. Eo abfuit ut Christum tanquam innocentem absolveret, ut tanquam reum pessimumque latronem ac perniciosissimum seductorem magis magisque ligaret. Hoc est quod Ioannes ait, quod ligatum misit ad Caipham, insinuans quod eius iussu novis fuerit Christus vinculis colligatus ». 185) Io 18, 15. Vulg.: *Sequebatur autem Iesum*, etc. 186) Ibid. 13, 23. 187) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 188) Ms.: *ille quidem... hic autem* 189) Cf. Rg 14, 6-15. 190) Cf. Io 18, 16.

tudinis; deinde: *Dicit . . . Petro ancilla ostiaria : Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius ? Et dixit : Non sum.* [191] Magna carnis infirmitas! Mulier induxit hominem ad peccandum seducta a diabolo,[192] et mulier Petrum inducit ad negandum Christum; nam et in illo peccato Adam quodammodo Deum negavit, cum diabolo magis quam Deo crediderit. Sed ille peccavit ex nimio amore, iste ex timore. Mulier autem, quae Petrum ad negandum Christum impulit, ancilla erat conditione et ancilla summi sacerdotis, officio ostiaria. Haec Petrum domum ingressum intuita, daemonis spiritu acta, nam: *Satanas,* inquit, *expetivit vos ut cribraret sicut triticum,*[193] petit an Christi discipulus esset, ut Ioannes ait, deinde, quasi certa de re, aliis ait: *Hic cum* Iesu Nazareno, sive Galilaeo, *erat,* ut Lucas ait,[194] iterumque conversa ad Petrum ait: *Tu cum Iesu Nazareno eras,* ut aiunt Matthaeus[195] et Marcus.[196] Quare non est inter Evangelistas discrepantia. Petrus autem, ut conceptam de se opinionem removeret, multa dixit: *Non sum,* inquit;[197] Mulier, *nescio quid dicis ;*[198] *Non novi illum.*[199] Quod si Matthaeus dicit eum sedisse *foris in atrio,*[200] Ioannes vero eum intrasse, sed erant duo atria unum commune *deorsum,* ut Marcus ait,[201] aliud interius superiusque, quo intravit Ioannes et introduxit Petrum.

sed etiam magna infirmitas carnis, dum captum Dominum sequitur a longe,

maior, dum ab ancilla interrogatus Christum negat,

Hoc ergo primum passus Christus est in domo pontificis, Petri negationem quae, etsi oretenus tantum erat, Christo tamen magnum dolorem attulit. Nam dum negat Petrus Christi se esse discipulum et familiarem, tacite fatetur Christum improbum quendam fuisse, et[202] turpe est et infame se improborum infamiumque amicum et familiarem fateri. Ubi praevidit Christus quotnam eum tormentorum vi negaturi essent.

quod certe magnum dolorem Domino attulit, etsi Petrus oretenus tantum eum negaverit.

XII. Alterum vero quod Christus hic patitur est examen iniustum: *Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis et doctrina eius.*[203] Congregato sacerdotum, scribarum et seniorum concilio, sistitur Iesus tanquam reus in medio, ligatus tanquam latro et examinatur ab iniquo et iniustissimo iudice; interrogatur autem contra omne

Patitur etiam examen iniustum ab iniquo iudice.

191) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Dicit ille,* etc. 192) Cf. Gn 3, 1-6. 193) Lc 22, 31.
194) Ibid. vr. 56. 195) 26, 71. Vulg.: *Et hic erat cum Iesu Nazareno.* 196) 14, 67.
197) Lc 22, 58; Io 18, 25. 198) Mt 26, 70. 199) Lc 22, 57. 200) 26, 69.
201) 14, 66. 202) Ms.: *Ut* loco: *Et.* 203) Io 18, 19.

ius, cum nulla praecesserit accusatio, nullum crimen; interrogatur autem de discipulis tanquam seditiosus, et de doctrina tanquam haereticus. Vae qui dicunt bonum malum, ponentes lucem in tenebras et dulce in amarum ![204] Sic in Christi morte confractae sunt tabulae legis, perversum omne ius.

Iesus autem prudentissime et sapientissime respondet, et summa cum modestia;

Iesus autem prudentissime et sapientissime respondit ad utrunque quaesitum unica responsione: *Ego palam locutus sum mundo,* etc.[205] Tu me, inquit, insimulas de falsa doctrina et de seductione; sed qui talia agunt, inquit, loca quaerunt occulta, nam *qui male agit odit lucem.*[206] Ego vero semper palam, idest publice, in loco patenti, *quo omnes Iudaei conveniunt,* locutus sum. Quod si suspicaris me falsa dogmata docuisse, *interroga eos qui audierunt* me; ecce sunt praesentes qui audierunt me: *In occulto,* inquit, *locutus sum nihil,*[207] quod sit contrarium illi doctrinae quam publice docui. Si quis ergo me de falsa doctrina accusavit, inquirite veritatem ab his qui audierunt me.

et tamen a sacrilega manu ministri pontificis alapam accipit;

Sed cum optime summaque cum modestia Christus responderit, malum pro bono accepit. Siquidem: *Haec . . . cum dixisset* Iesus, *unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens : Sic respondes pontifici ?*[208] Horrendum facinus! Regi Angelorum a diaboli mancipio et ministro impii pontificis datur manu sacrilega alapa faciei, in quam *desiderant Angeli prospicere.*[209] Ubi magna cernitur ministri severitas horribilisque impietas qui, ut pontifici adularetur gratamque rem ageret, alapam dedit summo regi gloriae; maior pontificis iniquitas, qui tantum scelus in sua praesentia totiusque concilii commissum dissimulavit gratumque habuit; sed maxima Christi patientia, quae tantam pertulit offensam, sicut Michaeas propheta,[210] quam nec vilissimi humunciones, quibus nullus est honor, ferre possunt.

sed patientissime fert, et cum se vindicare de iniuria posset,

Christus tamen patientissime respondit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene,* etc.[211] Respondit Dominus absque ullo vel impatientiae vel vindictae signo aut motu animi perturbati. Potuisset Dominus facere impio huic ministro id quod fecit ipsemet impio Ieroboam, quando contra prophetam Domini

204) Cf. Is 5, 20. 205) Io 18, 20. 206) Ibid. 3, 20. 207) Ibid. 18, 20-21. Ordine inverso affert hos vrr. 208) Ibid. vr. 22. 209) 1 Petr 1, 12. 210) Cf. 3 Rg 22, 24; 2 Par 18, 23. 211) Io 18, 23.

brachium extendit, statim enim attractum exiccatum illi brachium fuit;[212] ut fecit Ozae cum irreverenter arcam Domini tetigit, subita enim morte peremptus fuit.[213] Sed fraterne corripit iuxta quod ait: *Si peccaverit in te frater tuus*, etc.[214] Quod si aliam non praebuit[215] maxillam,[216] paratum se tamen ostendit. Respondere tamen voluit, ne tacens videretur se male locutum et pontificem iure eius taxasse doctrinam, quae omnibus tanquam optima summe erat ad salutem necessaria. Quare nostri causa respondit et salutis nostrae sollicitus. Fecit Iesus dilemma et cornutum argumentum: Vel, inquit, bene, vel male locutus sum. Si male, tuum non est punire, cum non sis iudex, sed testificari et ostendere coram iudice quod male locutus sum. *Si autem bene, cur me caedis?* Impius iste immemor fuit potentiae et clementiae Domini: potentiae qua omnes in horto prostravit, clementiae qua suo cognato abscissam auriculam suo tactu restituit atque sanavit.[217]

fraterne caedentem corripit, ut se et suam doctrinam defenderet.

Sic respondes pontifici? Quid, quaeso? Non est cum ratione loquendum reo pro se coram iudice? Voluit hic Christum et ignominia maxima iniustissimaque et convicio afficere, ut pontifici morem gereret. Sic Sedecias ignominia et convicio laesit Michaeam coram Achab rege, ut regi morem gereret. Sic etiam Phassur percussit Ieremiam, eo quod libere contra Ierusalem loqueretur.[218]

Maxima et iniustissima ignominia minister hic Christum affecit.

XIII. Quamvis autem Ioannes nihil aliud referat quod Christus passus sit in domo pontificis, multa tamen alia passus est, ut alii referunt Evangelistae, quae videbimus post explicatas Petri negationes. Siquidem, dum Christus examinaretur a pontifice, Petrus quoque examinabatur a ministris, et ille esse se Christum affirmabat, Petrus autem negabat, non tamen odio sed timore impulsus, factus ex leone lepus cuniculusque et ex gigante pygmaeus. Sic ille qui super aquas ambulavit,[219] dum in horto nec exercitum armatorum timuit cum esset cum Christo,[220] nunc *videns... ventum validum*[221] coepit mergi. Sic Aaron summus sacerdos timore correptus idolum conflavit[222]

Multa alia hic passus est Christus, praesertim secundam et tertiam negationem Petri.

212) Cf. 3 Rg 13, 4. 213) Cf. 2 Rg 6, 6-7. 214) Lc 17, 3. 215) Ms.: *Adhibuit.*
216) Cf. Mt 5, 39; Lc 6, 29. 217) Lc 22, 50-51. 218) Cf. Ier 20, 1-2.
219) Cf. Mt 14, 29. 220) Cf. ibid. 26, 51; Mc 14, 47; Lc 22, 49-50; Io 18, 10.
221) Mt 14, 30. 222) Cf. Ex 32, 4-8.

et facto ipso Deum, quem summe colebat, opere, non intentione negavit. Sic Petrus.

Petrus primo male negat Christum, secundo peius, tertio pessime,

Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Nunquid et tu ex discipulis eius es ? At ille *dixit : Non sum. Dicit ei unus ex servis*, etc. [223] Petrus primo Christum male negavit, secundo peius, tertio pessime, sicut prima vice de se Petrus valde praesumens gloriose locutus fuit dicens: *Animam meam ponam pro te;* [224] secundo gloriosius dicens: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor ;* [225] tertio gloriosissime: *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* [226] Sic de se Petrus valde praesumebat, quasi nulla circumdatus esset infirmitate ac si firmissimus esset scopulus magnusque marmoreus mons in medio maris, nullas timens procellas. Sed qui stricto ensi pectus iugulumque se daturum promisit, postea mollissimae linguae ictum sustinere non valuit, et qui omnia tormentorum genera se pro Christo ferre paratum dixit, nullis in tormentis positus ad unius mulierculae vocem Christum negavit. Sic tenuissima procella Petri navim demersit.

ter de se magis praesumens.

Prima vice Christum simpliciter negavit.

At si primo male Christum negavit, secundo multo peius, crevit enim fortiorque fuit tentatio; nam primo quidem una tantum ancilla ipsum appetiit, nunc autem, ut M a t t h a e u s ait, videns eum *alia ancilla* ait his qui erant ibi, sive *circumstantibus*, ut ait M a r c u s : *Quia hic ex illis est ;* [227] *Et hic cum Iesu Nazareno erat.* [228] Tunc homo quidam ex illis, ut L u c a s ait, dixit Petro: *Et tu de illis es ;* [229] dixit autem in persona omnium circumstantium, hinc I o a n n e s ait: *Dixerunt . . . ei.* [230] Quare E v a n g e l i s t a e veluti concentum faciunt in hac narratione negationis Petri, quam diligentissime faciunt ad ostendendam veritatem vaticinii Christi dicentis Petro: *Antequam gallus bis vocem dederit, ter me negabis.* [231] Nam cum multa in hac negatione acciderint diversaque, ipsi idem narrantes diversimode narrare videntur, sicut ex diversis vocibus constat musicalis concentus. Nam sicut in prima negatione M a t t h a e u s dixit *ancillam,* [232] M a r c u s *summi sacerdotis,* [233] et I o a n n e s *ostiariam,* [234] ut ad invicem sese declarando concordarent, et quod M a t t h a e u s

223) Io 18, 25-26. 224) Ibid. 13, 37. Vulg.: *Pro te ponam.* 225) Mt 26, 33.
226) Lc 22, 33. 227) 14, 69. 228) Mt 26, 71. Vulg. : *Et hic erat*, etc.
229) 22, 58-59. 230) 18, 25. 231) Mc 14, 30. 72. Vulg.: *Priusquam gallus vocem bis dederit.* 232) 26, 69. 233) 14, 66. 234) 18, 17.

dicit *atrium foris*,[235] Marcus *atrium deorsum*,[236] Ioannes declarat huc intromissum Petrum;[237] sic in secunda negatione Matthaeus dicit Petrum egressum ante ianuam,[238] Marcus exiisse *foras ante atrium*,[239] Ioannes quod stabat et calefaciebat se,[240] quoniam Petrus post primam negationem egressus fuit, timens periculum, a loco in quo prius sedebat ad vestibulum atrii, non extra domum. At postea, vel frigore impellente, aut ne solitarius manens maioris suspicionis causam daret, revertitur ad ignem et ubi prius male, secundo peius Christum negat; nam, ut Matthaeus ait, *cum iuramento negavit*.[241]

at cum cognovisset periculum, ad illud revertitur et negat secundo cum iuramento.

Tertio, quoniam maior eum invasit tentatio; nam *post pusillum*, ut Matthaeus[242] Marcusque[243] aiunt, quod *pusillum* Lucas declarat fuisse intervallum *quasi horae unius*,[244] qui astabant dixerunt Petro: *Vere et tu ex illis es, nam . . . galilaeus es*,[245] *loquela tua manifestum te facit*.[246] Fuit autem unus qui primo ex persona omnium appetiit Petrum, hinc Lucas ait: *Alius quidam affirmabat dicens: Quia hic*, etc.,[247] vel huius asseveratione alii moti dicebant; Petrus autem tertio negavit; et quoniam, ut Ioannes ait, unus ex ministris pontificis audiens Petrum negantem dixit: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Petrus videns se testimonio de visu urgeri magnoque timore correptus, quoniam hic testis erat Malchi cognatus,[248] constantissime ac pertinacissime negare coepit cum anathemate et iuramento: *Coepit*, inquit, *anathematizare et iurare: Quia non novi hominem*.[249] Sic perseverans Petrus in malorum consortio, a malo in peius ad pessimum usque devenit. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit*, etc.[250]

tertio vero cum anathemate et iuramento, et sic a malo in peius procedens, ad pessimum usque devenit.

Negat ante Petrus Christum in atrio summi sacerdotis, ubi omnes Christi inimici erant, in synagoga satanae,[251] in tempore nocturno, ad ignem profanum, quoniam *frigus erat*,[252] quae omnia mysteriis plena sunt. *Frigus erat*: refriguerat caritas; nox erat: versabatur in tenebris, defecerat ei lux fidei et gratia Dei, unde vere dicebat,

Ex his negationibus praecipue elucet quam necessariae sint vigilantia et oratio.

235) 26, 69. 236) 14, 66. 237) Cf. 18, 16. 238) Cf. 26, 71. 239) 14, 68. 240) Cf. 18, 18. 241) 26, 72. Vulg.: *Negavit cum iuramento*. 242) Ibid. vr. 73. 243) 14, 70. 244) 22, 59. 245) Mt 26, 73; Mc 14, 70. 246) Mt 26, 73. 247) 22, 59. Vulg.: *Vere et hic*. 248) Cf. 18, 26. 249) Mc 14, 71. Vulg.: *Quia nescio hominem*. 250) Ps 1, 1. 251) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 252) Io 18, 18.

quamvis praeter intentionem: *Quia non novi hominem*; si enim vere quis et qualis homo Christus erat vere perfecteque novisset, profecto eum minime, quamvis summis in tormentis positus, negasset. Hinc elucet quam necessarium sit vigilare et orare, ut Christus ait, ne intremus in tentationem,[253] cum sint omnia periculis plena. Sed videamus Petri poenitentiam.

Cum autem Dominus in ipsum respicit, statim Petrus convertitur et peccatum suum deflet,

Et statim gallus cantavit,[254] *et*, ut Lucas ait, *conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Iesu . . . et egressus*, etc.[255] Poenitet Petrum peccati et una cum Davide peccatum suum deflet dicens corde: *Miserere mei, Deus*, etc.[256] Sed tunc poenitet cum Dominus respexit eum divinitatis suae oculo, qui ad instar est solis pellens tenebras simul et frigus. Sic Petrus clamavit: *Domine, salvum me fac. Et . . . extendens Iesus manum tenuit eum* dicens: *Modicae fidei, quare dubitasti?*[257] Sic Aaron a Moyse de vituli adoratione correptus poenitentiam egit, quoniam cum vere virtutem coleret fragilitate peccaverat.[258] Conversus est Petrus, quoniam Christus pro eo oraverat: *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus*, etc.[259] *Flevit amare*[260] Petrus, quoniam Christus virga virtutis suae percussit cor eius lapideum aquasque ut Moyses de petra eduxit;[261] abstulit tanquam alter Iacob lapidem de ore putei, ut Rachel oves suas adaquaret.[262]

quia non malitia sed fragilitate peccaverat.

Qui vere ex corde virtutem colunt, etsi aliquando labuntur, facile tamen convertuntur.

Sic qui vere sanctitatem colunt[263] ex corde, facile convertuntur, ut in levitis cernimus qui, etsi ipsi quoque idolum adoraverant, statim tamen ad Moysi correptionem conversi, idolum destruxerunt Moysenque secuti suis gladiis idololatras occiderunt, summo peccati odio affecti.[264] *Flevit* Petrus *amare* ut veluti in lacrimarum diluvio peccata sua mergeret, ac veluti in mari Rubro Aegyptii una cum Pharaone praefocati fuere,[265] sic in mari lacrimarum suarum peccata ipsius. Hic aquis septies se lavans mundatus a lepra est, sicut Naaman syrus;[266] in hac piscina mundatus sanatusque ab omni infirmitate fuit.[267]

253) Cf. Mt 26, 41; Mc 14, 38; Lc 22, 46. 254) Io 18, 27. 255) 22, 61-62. Vulg.: *Verbi Domini*, etc. 256) Ps 50, 1. 257) Mt 14, 30-31. Vulg. *Iesus extendens manum apprehendit*, etc. 258) Cf. Ex 32, 21-24. 259) Lc 22, 32. 260) Mt 26, 75; Lc 22, 62. 261) Cf. Ex 17, 5-7; Nm 20, 8-11. 262) Cf. Gn 29, 1-10. 263) Ms.: *Olunt*. 264) Cf. Ex 32, 26-29. 265) Cf. ibid. 14, 23 sqq. 266) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 267) Cf. Io 5, 2-4.

XIV. Ne tamen Christus Petri poenitentiam videns gaudio afficeretur, sicut pastor ove inventa, mulier drachma perdita et pater reverso filio prodigo,[268] sicut summo fuerat affectus dolore ob peccatum ipsius, adhuc in Caiphae domo summis afficitur iniuriis. Siquidem pontifex cum suo satanico concilio volentes formare processum contra Christum, examinant falsos testes, iuxta quod Christus dixerat: *Interroga eos qui audierunt*[269] me, multique cum falsi testes accessissent, tandem duo accesserunt dicentes: *Nos audivimus hunc dicentem:*[270] *Possum destruere templum* hoc, etc.[271] Hoc summum maximumque testimonium contra Christum adductum fuit!

Post negationem Petri in domo Caiphae, Christus summis iniuriis afficitur, falso enim accusatur.

O summa Christi innocentia! Voluerunt hi nodum in scirpo quaerere,[272] glaciem in igne, maculas in sole: *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.*[273] Sic impia Iezabel contra Naboth falsos testes adhibet,[274] sic hi falsos adhibuerunt contra Christum testes, cum Christi innocentiam nossent, sicut Iezabel innocentiam Naboth. Et quidem duo postremi falsi fuere, nam Christus non dixit: *Possum destruere*, sed: *Solvite templum hoc.*[275]

sed ex ipsis accusationibus magis eius innocentia elucet.

Christus autem adversus falsos testes nihil respondit, sicut scriptum est: *Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates et dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens*, etc.;[276] itemque: *Cum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum et silui a bonis.*[277] Unde pontifex Christi silentium ferre non valens, ira plenus surgens a solio dixit Christo: Non audis quanta *adversum te testificantur? Nihil respondes?*[278] Christus autem merito silebat tum quia indigna erant responsione obiecta, tum quia sciebat nihil se profecturum.

Adversus falsos testes Christus nil respondet, sciebat enim nihil se profecturum;

Tandem cupiens nequissimus pontifex silentio Christum eripere, adiurat Christum dicens: *Adiuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei;*[279] adiurat Christum ut, si non responderet, accusaretur tanquam Dei contemptor; si respondens affirmaret,

adiuratus tamen a pontifice,

268) Cf. Lc 15, 4 sqq. 269) Io 18, 21. 270) Mc 14, 58. Vulg.: *Eum dicentem.* 271) Mt 26, 61. 272) Proverbium, de quo cf. P. Mannucius *Adagia*, col. 848. 273) Ps 63, 7. 274) Cf. 3 Rg 21, 1 sqq. 275) Io 2, 19. 276) Ps 37, 13-15. 277) Ps 38, 2-3. 278) Mt 26, 62. Ordine inverso affert haec verba. 279) Ibid. vr. 63. In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut impius Achab adiuravit sanctum prophetam Michaeam, quem oderat, quia veritatem ei dicebat, sic Caiphas hodie Christum ».

damnaretur tanquam usurpator divinae dignitatis regiaeque maiestatis contra Deum et contra Romanos; si negaret, veniret in iudicium tanquam haec sibi falso ac seditiose sibi usurparit et ante aliquot dies se tanquam talem a populo acclamari permiserit.[280] Hac ratione impius pontifex Christum per Deum adiuravit, laminam illam auream quam supra caput ferre semper debebat,[281] hodie sub suis pedibus ponens, abusus divino nomine, quod vane et fraudolenter assumpsit.

ob reverentiam Dei et sacerdotis clarissime respondet se Filium Dei esse

Christus vero ob Patris reverentiam, cum vere ipse auream laminam supra caput ferret, atque ut Iudaeis omnem suae infidelitatis pretextum amputaret, nec pontificis, quamvis impii atque scelestissimi, auctoritatem contemnere videretur, clarissime respondit: *Tu dixisti;*[282] *Ego sum,* ut Marcus ait;[283] *Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.*[284]

et iudicem mundi supremum.

Nunquam clarius Christus se verum esse Messiam ac Filium Dei confessus est. Dicens autem: *Videbitis,* diem praedicit iudicii, quando ab omnibus videndus est, bonis et malis; dicens autem: *Sedentem,* alludit ad vaticinium: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis;*[285] et dicens: *Venientem in nubibus coeli,* alludit ad vaticinium Danielis: *Ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat,* etc.[286]

Pontifex vero ex hac responsione causam mortis invenisse arbitratur

Quasi vero Christus divinae huius veritatis confessione gravissimum scelus admisisset, pontifex vestimenta sua scidit dolorem fingens zelumque Dei, cum tamen gaudio repletus esset hoc Christi responso, putans se ob hanc solam causam posse in Christum mortis sententiam ferre.

et contra legem vestimenta sua scindit.

Scidit autem *vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?... Audistis blasphemiam, quid vobis videtur?*[287] At illi *omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.*[288] Bone Deus, facit pontifex contra legem, ubi prohibetur pontifici scindere vestimenta sua.[289] Christus autem veritatem adiuratus confitetur, et lux reputatur obscuritas, obscuritas autem lux. Christus dicens veritatem reputatur blasphemus et tanquam blasphemus reus mortis, nam lege praecipitur ut blasphemus a populo lapidibus obruatur.[290]

280) Cf. Mt 21, 9; Mc 11, 9-10; Lc 19, 38; Io 12, 13. 281) Cf. Ex 28, 36-38; 29, 6. 282) Mt 26, 64. 283) 14, 62. 284) Mt 26, 64. 285) Ps 109, 2. 286) 7, 13. 287) Mt 26, 65-66; Mc 14, 63-64. 288) Mc 14, 64. 289) Cf. Lv 21, 10. 290) Cf. ibid. 24, 16.

XV. *Reus est mortis*, inquiunt, quia dixit se Christum Filium Dei esse. Quaenam haec, quaeso, blasphemia? Sed hic omnis est iuris ordo perversus. Comprehenditur Christus tanquam reus absque crimine, absque infamia, absque accusatoribus; non est tempus aptum iudicii; adhibentur falsi testes et tandem iudex sumit accusatoris partes dicens: *Blasphemavit . . . Audistis blasphemiam, quid vobis videtur?* Et omnes dixerunt: *Reus est mortis.* [291] Sic Aaron et omnes filii eius imponunt manus sacrilegas super caput vituli huius sacrificandi. [291*]

Sic contra omnem iuris ordinem Christus condemnatur;

Nec hic contenti leones isti famelici lupique rapaces, sed eius carnibus saturari cupientes, dimiserunt Iesum in manibus satellitum ac ministrorum, ut per totam noctem male tractaretur. Unde: *Viri, qui tenebant eum, illudebant ei caedentes* [292] eum, et *expuerunt in faciem eius et colaphis eum ceciderunt,* [293] *et velaverunt eum et percutiebant faciem eius et interrogabant eum dicentes:* [294] *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* [295] Bone Deus, cui unquam reo, quamvis scelestissimo, talia facta sunt? Spuunt in faciem Christi, de qua scriptum est: *Ostende faciem tuam et salvi erimus;* [296] *In quem desiderant Angeli prospicere;* [297] *Speciosus forma prae filiis hominum.* [298] Erat autem Iudaeis consuetudo in faciem spuere pro maxima ignominia; sic legimus *Numeris* 12 [299] et *Deuteronomio* 25. [300] Sic facies illa, quae *resplenduit . . . sicut sol,* [301] sputis est foedissime conspurcata. Deinde faciem velaverunt oculosque eum veluti excaecantes, sicut Philisthiim Samsonem illudentes. [302] Sic Moyses operta facie velataque videtur, [303] sed non in gloriam, in ignominiam. Sed sicut scidit vestimenta sua pontifex, eo quod illis tanquam indignus spoliandus esset, ita hi faciem Christi velant, quoniam indigni erant eam videre.

In manibus satellitum dimittitur ut affligatur,

qui in eius faciem sacrilege conspuunt eumque ignominiose velant,

Tertio, percutiunt eum colaphis et palmis, idest clausa manu et aperta planaque. Quarto, illudunt tanquam falsum prophetam percutientes faciem eius et dicentes: *Prophetiza . . . quis est qui te percussit?*

colaphis percutiunt et, tanquam falsum prophetam illudunt,

Sic dicere nunc poterat Christus: *Ego autem sum vermis et non*

291) Mt 26, 66. 291*) Cf. Ex 29, 10. 292) Lc 22, 63. Vulg.: *Tenebant illum*, etc. 293) Mt 26, 67. 294) Lc 22, 64. 295) Mt 26, 68; Lc 22, 64-65. 296) Ps 79, 4. 8. 20. 297) 1 Petr 1, 12. 298) Ps 44, 3. 299) Cf. vr. 14. 300) Cf. vr. 9. 301) Mt 17, 2. 302) Cf. Idc 16, 21-26. 303) Cf. Ex 34, 33 sqq.; 2 Cor 3, 13.

ita adimplentes quae de eo scripta erant.

homo, opprobrium hominum et abiectio plebis,[304] et quod Isaias ait: *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me,* sive, ut hebraice est: *Ab ignominiis et sputo.*[305] Sic etiam Beatus Iob de se dicebat: *Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt poenis meis.*[306] Sic enim Ieremias de eo ait: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*[307]

Duo sunt quae maxime Christus passus est: unum contra vitam, aliud contra honorem, in corpore et in anima.

XVI. Duo autem sunt quae Christus maxime passus est: unum contra vitam, alterum contra honorem et famam; unum contra corpus, alterum contra animam. Primum est poenas pati, alterum ignominias. Passus est poenas corporis in vinculis et percussionibus, sed ignominias in illusionibus. Siquidem habitus est tanquam latro, tanquam impostor, magus et incantator; unde Iudas: *Tenete eum et ducite caute,*[308] timens ne forte praestigiis faciem suam Christus immutaret, sicut audierat immutatam fuisse Christi faciem in transfiguratione.[309] Habitus tanquam iniurius pontifici: *Sic respondes pontifici?* tanquam blasphemus in Deum: Hic blasphemat; tanquam seditiosus et haereticus: *Interrogavit eum de discipulis . . . et de doctrina* sua; et tandem tanquam falsus propheta, et ob haec illusus per totam noctem Christus fuit.

Haec autem pati voluit ad delenda peccata nostra.

Sed haec duo pati voluit Christus ad delenda peccata nostra. Siquidem in peccato duo sunt: sensualis delectatio, uti in comestione vetiti fructus, et offensa Dei, quae est contra Dei honorem dum spernuntur mandata ipsius. Hinc duo haec pati Christus voluit: poenas propter primum, ignominias propter secundum. Sic: *Vulneratus ipse est propter iniquitates nostras, attritus . . . propter scelera nostra.*[310]

ut nobis tum corporis tum animae felicitatem mereretur

Et quoniam Christus verus homo erat constans ex anima et corpore, carne et spiritu, non tantum Deus, hinc corpore carneque pati voluit poenas, spiritu vero ignominias, ut nobis tum corporis tum animae gloriam sempiternamque felicitatem cum immortalitate carnis et spiritus mereretur in coelis.

Itemque quia peccando homo et vitam amisit et dignitatem honoris: *Dominetur piscibus maris,* etc.,[311] *Gloria et honore coronasti*

304) Ps 21, 7. 305) 50, 6. 306) 16, 11. Vulg.: *Satiati sunt,* etc. 307) Thr 3, 30. 308) Mc 14, 44. 309) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 2; Lc 9, 29. 310) Is 53, 5. Vulg.: *Ipse . . . vulneratus est,* etc. 311) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc.

eum;[312] et: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est,* etc.;[313] sic mortis et poenarum sententiam tulit in hominem post peccatum Deus eumque e paradiso deliciarum eiecit,[314] ob id Dominus duo haec pati voluit.

et vitam corporis et dignitatem honoris nobis restitueret.

XVII. Quoniam vero in magnam Christi cedebat infamiam et ignominiam quod ab intimo discipulo traditus esset ad mortem, quod argumento apud homines, maxime vero apud impios Iudaeos, Christi inimicos, esse poterat saltem suspicionis alicuius mali occulte in secreto perpetrati, cum ab eo traditus esset qui eius secreta noverat, divina providentia factum est, ad declarandam Christi innocentiam omnemque vel minimam mali suspicionem amovendam, ut Iudas, audita fama damnationis Christi, magna poenitentia duceretur vel ob delicti magnitudinem, vel ex pudore et ignominia qua apud homines vel omnes, maxime publici proditores afficiuntur, retulit Iudaeis triginta argenteos dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum.*[315]

Voluit Deus ut Christus ab intimo familiari pateretur qui postea eius innocentiam magis declararet.

Fascinaverat primo diabolus oculos Iudae ne peccati gravitatem agnosceret eiusque turpitudinem ac mala quae secum affert; sed excaecat mentem, sicut Philisthaei excaecaverunt Samsonem[316] et Naas rex Ammonitarum excaecare volebat Hebraeos eruens eis dextros oculos.[317] Sed, perpetrato peccato, ex caeco furore revelavit turpitudinem eius multoque maiorem ostendit, ut in desperationis barathrum hominem mergat. Sic etiam Caino accidit,[318] sic modo Iudae, qui videns quod Iudaei sententiam damnationis Christi minime revocabant, *proiectis argenteis in templo, recessit et abiens laqueo [se] suspendit;*[319] sic Achitophel Davidis proditor.[320]

Diabolus excaecavit Iudam ut ad peccatum induceret et postea ad desperationem eum impelleret,

Sic a malis non reportatur nisi desperationis materia ob gravem erroneae conscientiae carnificinam. Sic enim desperatus est Iudas videns se ob peccatum derelictum a Deo et ab hominibus etiam desertum, in quorum gratiam peccaverat Christum tradens. Unde gravi poenitentia ductus non, sicut Petrus, *egressus foras flevit amare,* quoniam *conversus Dominus respexit* eum. Ille recessit ab inimicis Christi, iste vero accessit volens per seipsum suo mederi malo. Unde ex verbis

qui audiens mortis sententiam in Christum latam, laqueo se suspendit,

312) Ps 8, 6. 313) Ps 48, 13. 21. 314) Cf. Gn 3, 17 sqq. 315) Mt 27, 4. 316) Cf. Idc 16, 21. 317) Cf. 1 Rg 11, 2. 318) Cf. Gn 4, 9-16. 319) Mt 27, 5. 320) Cf. 2 Rg 17, 23.

Iudaeorum: *Quid ad nos? Tu videris*, facto eius dolore poenaque multo acerbiori, *abiens laqueo se suspendit*, [321] *et suspensus crepuit medius diffusaque sunt omnia viscera eius.* [322] Suspensus est qui nec coelo nec terra dignus erat; suspensus est in aere, privatus bonis et coelestibus et terrenis; suspensus in aere, quia totus cessit diabolo et aereis potestatibus. Sic *induit maledictionem sicut vestimentum*, etc., [323] *crepuit medius* nimio spiritualis nequitiae vento inflatus spirituque satanae, quo plenus erat, distentus, *et diffusa sunt omnia viscera eius*, ut qui amisit viscera pietatis, viscera etiam amiserit corporis, bonis omnibus et externis et internis privatus. Sic *qui volunt divites fieri*, ut Paulus ait, *in tentationem incidunt et in laqueum diaboli;* [324] nihilque aliud remansit Iudae nisi funis peccati, quo suspensus et mortuus est in aere, omnibus coeli et terrae bonis privatus.

et viscera corporis effudit qui viscera animi iam amiserat.

Sed sicut mors Achitophel typus quidam fuit mortis ipsius Absalom, qui et ipse suspensus et mortuus est, [325] ita mors Iudae *qui dux fuit eorum qui comprehenderunt Iesum*, [326] sicut ducem ille se facere voluit contra David, praesagium quoddam fuit infelicissimi Iudaeorum interitus, nam et ipsi omnibus sunt bonis privati et in diaboli potestatem redacti.

Interitus Iudae praesagium fuit interitus Iudaeorum.

Pontifices autem indignum existimantes mittere pecuniam illam in corbonam, eo quod pretium sanguinis esset, *consilio . . . inito, emerunt ex ea agrum figuli in sepulturam peregrinorum*, [327] quod divina providentia factum est. Siquidem Christi morte comparata est requies [328] aeterna iis qui in hoc mundo tanquam advenae fuerint, ut in superna Ierusalem ius haberent. Hoc autem praecipue Gentilibus, non Iudaeis, propter incredulitatem eorum, cum pretium mortis Christi profanum reputarent; hinc pretium sanguinis expenderunt pro mortuis advenis.

Ager emptus significat morte Christi requiem aeternam comparatam fuisse iis qui advenae sunt in hoc mundo.

Ager autem hic mundum etiam designat Christi morte redemptum. Deus, mundi dominus, figulus et formator est hominum. Hinc mysterium istud praevisum praedictumque a vate Zacharia fuit, [329] qui forte etiam Ieremias dictus est, vel, cum Evange-

nam ager ille mundum figurat a Christo redemptum.

321) Mt 27, 4-5. 322) Act 1, 18. Vulg.: *Et diffusa*, etc. 323) Ps 108, 18.
324) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Incidunt in tentationem*, etc. 325) Cf. 2 Rg 18, 9-15.
326) Act 1, 16. Vulg.: *Qui fuit dux*, etc. 327) Mt 27, 7. Vulg.: *Emerunt ex illis*, etc.
328) Ms.: *Requie*. 329) Cf. 11, 12-13.

lista simpliciter, ut moris sui est, *per Prophetam* dixerit,[330] scriptor aliquis addidit *Ieremiam*, ob id quod de empto agro legimus Ieremia 32.[331]

XVIII. *Adducunt* autem *Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane, et ipsi non introierunt... ut non contaminarentur.*[332] Et ecce aliud Christi iter a domo Caiphae in domum Pilati. Quinam autem sint hi qui Christum ad Pilatum adducunt: *Omnis multitudo eorum,*[333] inquit Matthaeus, siquidem, confestim facto mane, convenerunt *omnes principes sacerdotum et seniores populi,* et scribae *adversus Iesum, ut eum morti traderent*[334] eumque iterum examinant dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis*[335] palam. Volunt ut ratificet Christus factam confessionem. Quam cum iterum Christus ratificasset, tunc strictius vincientes eum omnes una adduxerunt eum ad Pilatum. Quare duo concilia facta sunt hodie contra Christum: unum quidem hac nocte, alterum vero mane, statim ut dies factus est, et sic bis Christus hodie ab universo concilio Iudaeorum reus mortis est iudicatus, ad instar Ioseph, qui ab omnibus suis fratribus odio habitus, mortalem ab omnibus persecutionem passus fuit; et sicut ille a fratribus venditus fuit Ismaelitis,[336] sic Christus hodie traditur Pilato. Sed multo peius, nam ille venditus fuit ne occideretur, hic autem occidendus traditur; sicut idem Ioseph a sua domina falso accusatus, coniectus fuit in carcerem ut morti traderetur,[337] sic falso Christus a Iudaeis Pilato accusatur: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributum dari Caesari et dicentem se Christum regem esse.*[338] Sic Samson ligatus a suis, traditus fuit in manus Philisthaeorum,[339] sic arca Dei devenit in manus Gentilium.[340]

Post secundum concilium et secundam confessionem suae divinitatis, Christus adducitur a Caipha ad Pilatum

et iterum falso accusatur.

Et quidem Iudaei, immo Iudaeorum pontifices et sacerdotes, Christum primo factis accusant, nec verbis accusare dignantur, praetendentes ut Pilatus indicta causa, de mandato regio Christum morti traderet tanquam in flagranti crimine repertum et crimine quidem laesae maiestatis maximo. Unde cum petit ab eis Pilatus: *Quam*

Primo Iudaei facto Christum accusant Pilato eum tradendo

330) Mt 27, 9. Cf. de hoc S. Augustinus *De Consensu Evangelistarum*, lib. 3, cp. 7, (P. L. 34, 1174-1176). 331) Cf. vrr. 6-9. 332) Io 18, 28. 333) Haec scribit Lucas 23, 1, Matthaeus vero sequentia. 334) 27, 1. 335) Lc 22, 66. 336) Cf. Gn 37, 4 sqq. 337) Cf. ibid. 39, 7 sqq. 338) Lc 23, 2. Vulg.: *Tributa dare*, etc. 339) Cf. Idc 15, 9. 13. 340) Cf. 1 Rg 4, 21 sq.

ut indicta causa ad mortem eum damnaret,

accusationem affertis adversus hominem hunc? veluti indignati quod eis fidem non adhiberet ac si fide digni non essent, respondent: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* [341] Quid, inquiunt, quaeris accusationem, cum universum concilium tradat tibi hunc hominem tanquam reum mortis crucifigendum? Iniuriam facis nostrae tum auctoritati tum religioni quaerens accusationes, quasi universum concilium nostrum contra omnem iustitiam et pietatem innocentem hominem tibi crucifigendum tradat. Voluissent hi ut, sicut dominus Ioseph, nimium credens fidensque verbis et accusationibus impiae uxoris, eum statim tanquam mortis reum tradidit in carcerem, sic Pilatus eorum fidens auctoritati et religioni Christum mox sibi traditum crucifigendum mandasset.

et arroganter respondent cum praeses causam accusationis quaerit,

Sed quoniam non erat consuetudo Romanis damnare aliquem absque accusatione et nisi accusatus praesentes haberet accusatores tempusque respondendi acciperet ad purganda crimina, [342] sicut medicus non prius debet infirmo amaram potentemque medelam dare, quam infirmitatis genus probe cognoverit; hinc Pilatus iniusta impiaque Iudaeorum responsione nonnihil offensus ait: *Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate.* [343] Si, inquit, secundum legem vestram mihi incognitam hic reus est mortis, vestrum est in eum sententiam dicere, quoniam meum non est sic de plano, sine iuris strepitu nullaque iudicii forma figuraque servata, hominem morti adigere, sed cognita causa atque probata. Quod si vos causam examinastis et cognita atque probata reum convicistis, vos eum iudicate. Volunt illi sub auctoritatis et religionis praetextu summam impietatem perpetrare, sicut serpentes sub pulcra colorum varietate mortale venenum celant.

nolens eum condemnare nisi cognita et probata causa.

XIX. Et quidem miranda est impiorum Iudaeorum fallax hypocrisis. Siquidem sub praetextu sanctitatis non sunt ingressi in praetorium Pilati: *Ne contaminarentur, sed . . . manducarent pascha,* [344] idest paschalia sacrificia, quae nonnisi a mundis comedi poterant; [345]

Miranda Iudaeorum hypocrisis, qui peccatum aestimant

341) Io 18, 29-30. 342) Cf. Act 25, 16. Cicero *Pro Roscio* : « Nocens nisi accusatus fuerit condemnari non potest ». *Orat.*, 2, vol. 2, col. 31. Hinc iuris romani dispositio: *Ne quis indicta causa condemnetur.* 343) Io 18, 31. 344) Ibid. vr. 28. Vulg.: *Ut non contaminarentur*, etc. 345) Cf. Lv 22, 1 sqq.

hinc per ministros et milites tradunt Pilato Christum funibus catenisque vinctum. Bone Deus, quaenam haec est hypocrisis? Aestimant peccatum ingredi in domum pagani hominis et cum tali immunditia manducare paschalia sacrificia azymosque panes, et gravissimum peccatum tradendi ad mortem hominem innocentem et iustum nihili pendunt; peccatum occidere pulicem et non occidere hominem?

domum pagani hominis ingredi, et innocentem occidere nihili pendunt.

Sed ecce alia hypocrisis plena responsio: *Nobis*, inquiunt, *non licet interficere quemquam.* [346] Vere quidem ablata erat Iudaeis a Romanis auctoritas iudicandi damnandique poena capitis, [347] nam si ipsi potuissent, non utique Pilato Christum tradidissent, nec Paulum Gallioni ut in eum mortis sententiam diceret, [348] neque enim primo petiere ut crucifigeret, sed ut interficeret; poterant ex concessione Romanorum secundum legem suam delicta aliis poenis, quam poena mortis castigare, unde flagellati fuerunt ab eis Apostoli [349] et Paulus ab eis *quinquies quadragenas, una minus,* accepit. [350] Hinc aiunt: *Nobis non licet interficere quemquam;* unde aperiunt quam poenam praetendant Christo infligi, poenam, inquam, mortis. Pilatus autem dixerat ut iudicarent eum secundum legem suam, prout concessum eis a Romanis erat, nondum intelligens quod mortem Christi petebant. Sed profecto cum Pilatus dixerit generaliter: *Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate,* cur non ipsi hac usi licentia sunt, cum dixerint: *Nos legem habemus et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit?* [351] Sed habita hac licentia non sunt usi, quoniam adhuc ratione temporis dieique festi non licebat; [352] sic enim neque Herodes Petrum ligatum vinctumque in carcere in diebus azymorum interficere voluit. [353]

Insuper, cum illis ablata fuisset a Romanis auctoritas damnandi poena capitis

et potuissent secundum legem aliis poenis delicta punire,

Praetendebant autem maximum esse in mora periculum, si distulissent mortem usque ad post paschae octavam; quare ratione religionis praecipue sibi non licere dicunt interficere quemquam. Praeseferunt zelum legis ne diem festum violarent, sed suas caeremonias servarent, summam autem iniustitiam et impietatem nihil

impie urgent Pilatum ut mortis sententiam in Christum ferat.

346) Io 18, 31. 347) Cf. S. Cyrillus Alex. *In Ioannis Evang.*, lib. 6, (P. G. 74, 614); Rupertus Abbas *Comment. in Ioannem*, lib. 13, (P. L. 169, 776); Petrus Comestor *In Evangelia*, cp. 163, ibid. 198, 1626; S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 47, a. 4, ad 4; *Talmud Ierosol.*, *Sanhedrim*, cp. 7; *Talmud Babyl.*, *Sanhedrim*, f. 41. 348) Cf. Act 18, 12-16.
349) Cf. ibid. 5, 40-41. 350) 2 Cor 11, 24. 351) Io 19, 7. 352) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 47, a. 4, ad 3. 353) Cf. Act 12, 1-4.

verentur committere; et malitiose quidem iudicium refutant tanquam sibi tanto in festo sua lege prohibitum, sed per Pilatum diudicari volebant ut crucifigeretur.

Sed divina dispensatione omnia facta sunt.

XX. Siquidem hoc mortis genus adeo crudele et ignominiosum non erat secundum legem, quamvis nec lege esset prohibitum, unde Iosue suspendit in ligno regem Hai [354] et Gabaonitae septem filios Saul, [355] sicut ante legem suspensus fuit princeps pistorum Pharaonis [356] et ab Assuero impius Aman. [357] Sed quoniam divina dispensatione omnia fiebant, hinc ait Evangelista Iesum a pontificibus tanquam reum mortis iudicatum traditum Pilato: *Ut sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus,* [358] siquidem: *Oportet,* inquit, *exaltari Filium hominis;* [359] et alias: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis* et illudent eum *et condemnabunt eum ... et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* [360]

et Deus impietate Iudaeorum usus est ad opus salutis nostrae perficiendum.

Quare usus est Deus impietate Iudaeorum ad implenda divina mysteria, ut salutis nostrae opus perficeretur, sicut usus fuit Christus caecitate chelidonii [361] et morte Lazari [362] ad suam declarandam virtutem divinam, sicut usus fuit pro salute Israelis et exaltatione Ioseph impietate fratrum ipsius, sicut viperis utimur ad theriacam componendum contra venenum. Sic tenebris, quamvis suapte natura malis, et hiemali frigore utitur Deus ad terrae plantarum et animalium beneficium; et medici plagis cauteriisque utuntur ad corporis sanitatem.

Iudaei Christum accusant de seductione populi contra principes,

Sic ad salutem nostram usus est Deus inexplebili Iudaeorum in Christum odio, quo ipsi commoti, cum viderent Pilatum nihil effecturum sine accusatione, Christum de tribus accusare incipiunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributum dari Caesari et dicentem se Christum regem esse.* Non accusant eum de sabbati violatione aut de aliis huiuscemodi, quae sunt contra legem, sed haec

354) Cf. Ios 8, 29. 355) Cf. 2 Rg 21, 6-9. 356) Cf. Gn 40, 22. 357) Cf. Est 7, 9 sq. 358) Io 18, 32. 359) Ibid. 12, 34. 360) Mt 20, 18-19.

361) Cf. Io 9, 1 sqq. Ms.: *Caelidonii.* In Lexicis a nobis consultis hoc adiectivum non invenimus. Forte derivatur a chelidonia, herba quaedam virtute contra aliquas oculorum infirmitates praedita. Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 27, pag. 86; lib. 25, cp. 8, pag. 290.

362) Cf. Io 11, 1 sqq.

proferunt in medium, quae apud Romanos permagni momenti erant: *Hunc*, inquiunt, *invenimus* nos, servata iuris forma figuraque iudicii, post diligentem investigationem; comperta nobis et probata est veritas quod iste pessimus quidam seditiosus est, nam subvertit gentem nostram a legitimorum principum obedientia et docet non esse dandum Caesari tributum sibique regium sua auctoritate nomen assumit. O mendacia impudentissima! Contra primam accusationem Christus docuit: *Super cathedram Moysi sederunt*, etc.;[363] contra secundam ipse pro se et Petro solvit didrachma,[364] et petentibus an liceret censum dare Caesari respondit: *Reddite . . . quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo;*[365] et contra tertiam, cum facto multiplicationis quinque panum miraculo, *cum cognovisset* quod homines *venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit . . . in montem ipse solus.*[366]

et de usurpatione auctoritatis regiae.

Eae autem criminationes uti falsissimae et impiissimae adeo displicuere Deo summae veritati et bonitati, ut pro his tribus tres Iudaeis praecipuas maximasque poenas inflixerit. Nam ea gens funditus est subversa atque eversa, ubique sub tributo vivit et miserrima servitute, et tertio vero sunt orbati Messia vaneque alium semper expectant et quaerunt. Sic ob falsam Naboth criminationem[367] punita fuit Iezabel impia[368] una cum Achab consentiente.[369]

Propterea synagoga funditus eversa fuit, ubique sub servitute vivit et orbata est Messia.

XXI. *Introivit ergo iterum Pilatus in praetorium et vocavit Iesum et dixit ei : Tu es rex Iudaeorum ?*[370] Cum tria essent Christo obiecta, Pilatus de uno tantum interrogat, an ipse esset rex Iudaeorum, quem expectabant Messiamque vocabant; hoc enim fuit maximum obiectorum, quo confesso, reliqua facile crederentur, ut tanquam rex tributa et populi obedientiam ad se converteret.

Pilatus Christum interrogat an ipse rex sit;

Christus autem, quoniam criminationes has non audierat, cum ipse intra praetorium maneret, quo fuit a cohorte et ministris adductus, hae autem foris factae sunt, dissimulans se eas scire, quas vere sciebat, dixit Pilato: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me ?*[371] Interrogas, inquit, tanquam singularis persona id scire a me cupiens, an ut iudex? Si enim ut iudici obedientia tibi praestanda est veritas-

Christus statim non respondet;

363) Mt 23, 2. 364) Cf. ibid. 17, 23 sqq. 365) Ibid. 22, 21; Mc 12, 17; Lc 20, 25. 366) Io 6, 15. 367) Cf. 3 Rg 21, 19. 368) Cf. 4 Rg 9, 30 sqq. 369) Cf. 3 Rg 22, 33-38. 370) Io 18, 33. Vulg.: *In praetorium Pilatus*, etc. 371) Ibid. vr. 34. Vulg.: *Dixerunt tibi de me?*

que dicenda, quamvis accusatus non mox inquirendus iudici est, nisi cognita probataque causa testibus competentibus aut iudiciis.

Voluit autem Christus non statim respondere ne videretur ex vanae gloriae impulsu aut ex timore aut ne forte respondisse videretur ut coram Pilato gratiam inveniret, ut liberaretur. Unde hac Domini interrogatione non nihil offensus Pilatus ait: *Nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti?* [372] Non, inquit, ut singularis persona id quaero, quasi ego quoque tanquam iudaeus Messiam Iudaeorum expectam, sed tanquam iudex, cum de hoc accusatus sis apud me a gente tua.

sed cum novit eum ut iudicem inquirere, ne videretur obedientiam recusare.

Regnum meum non est de hoc mundo, etc. [373] Tibi, inquit, tanquam iudici dicenda veritas est. Ego regnum habeo, rex sum; *regnum* autem *meum non est de hoc mundo*, non est corporale sed spirituale, non terrenum sed coeleste, non temporale sed aeternum, non humanum sed divinum. Nec tamen Christus se regem esse absolute vel negat vel affirmat, ne vel veritatem negasset, vel Pilatum, qui Caesaris dignitatem in Iudaea tuebatur, formidine amittendi principatum affecisset; unde nec Pilatus firme satis percepit Christum regem esse; et si ex verbis eius deduxit, unde ait: *Ergo rex es tu?* sed Christus similiter respondit: *Tu dicis quia rex sum ego.* [374]

affirmat se regem esse, sed explicat qualis rex ipse sit et quale regnum suum,

Sic loquitur Christus ne de regno se iactare videretur, sed quale suum sit regnum declarat, et cur, vinctus cum esset funibus atque catenis tanquam reus et infamis homo, non verebatur de se fateri quod gloriosum est, quale est regem esse: *Ego*, inquit, *ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam* [375] Regnum, inquit, meum coeleste, divinum et aeternum est. Nam natus sum et veni in mundum, cum ante mundum essem; veni autem ut aperirem ostenderemque hominibus veritatem regni mei ad illudque omnes perducerem homines felicitate donatos. Sed quoniam non omnes diligunt veritatem fidei, religionis et verae aeternaeque beatitudinis, hinc non omnes credunt mihi. Sed omnis qui veritatem diligit cupitque vera scire et bene operari ut salutem consequatur aeternam, hic audit verba mea, recipit meam doctrinam mihique credit.

idest regnum coeleste, divinum, aeternum.

372) Ibid. vr. 35. 373) Ibid. vr. 36. 374) Io 18, 37. 375) Ibid. Vulg.: *In hoc natus sum, etc.*

XXII. Pilatus autem haec non intelligens sed parvi faciens ait: *Quid est veritas ?* [376] Quaenam ista est, quam dicis, veritas ? Quare contemnens audire responsum egressus est statim ad Iudaeos, ut Christi innocentiam testaretur modumque eum liberandi quaereret, cum nullam in eo mortis causam invenisset. *Ego*, inquit, *nullam invenio in eo causam;* [377] ubi enim nullum est peccatum, nulla causa est mortis, nam *stipendia . . . peccati mors,* [378] sicut per peccatum mors intravit in mundum. [379]

Pilatus nullam inveniens in Christo causam, innocentiam eius iterum testatur apud Iudaeos;

Sed si accusabatur Christus a Iudaeis quod dicebat se Christum regem esse et Christus id Pilato confessus est, quomodo inquit Pilatus: *Nullam invenio in eo causam ?* Profecto quia Christus regem quidem esse se dixit, sed non de hoc mundo, adeo ut regnum ipsius regno Caesaris adversaretur; unde intellexit forte Pilatus quod, sicut singularis erat Iudaeorum religio, a ritibus et cultu Romanorum omniumque aliarum nationum valde diversa, sic regem aliquem, quem Messiam dicebant, expectarent ad singularem eorum religionem pertinentem, sicut habebant Prophetas, pontifices et principes sacerdotum aliaque huiuscemodi illis singularia. Et talem facile credidit Christum esse, ac propterea in die palmarum tanto cum honore et populi acclamationibus susceptum in Ierusalem fuisse; [380] Iudaeorum autem principes invidia motos eum falso de temporalis regni spectantis ad romanum imperium usurpatione accusasse. Hinc ait nullam se invenire in Christo causam, ut in eum mortis sententiam diceret.

nam se regem esse Christus quidem dixit, sed non de hoc mundo, nec Caesari adversantem.

Quo audito Iudaei, timentes ne Pilatus Christum liberaret, elevatis vocibus multisque clamoribus coeperunt eum accusare in multis; [381] veritate enim destituti ad irrationales clamores convertuntur et clamoribus vincere strepituque volunt. Conglomerant autem multas in Christum accusationes, ut multitudine criminationum Pilati animum ad sua vota inclinarent; et cum certum crimen non habeant, obiciunt multa, ut ex multis vel uno obiecto Pilatum contra Christum commoverent.

Iudaei autem clamoribus Pilatum contra Christum commovere conantur;

Et haec quidem multa nunc Christo in faciem obiectabant. Christus autem tanquam agnus nihil respondebat, *ita ut miraretur prae-*

376) Ibid. vr. 38. 377) Ibid. 378) Rom 6, 23. 379) Cf. ibid. 5, 12.
380) Cf. Mt 21, 7-9; Mc 11, 7-10; Lc 19, 35-38; Io 12, 12-13. 381) Cf. Mc 15, 3.

Christus vero tacet ne videatur mortem effugere velle,

ses.[382] Tacebat Christus ne margaritas ante porcos proiceret.[383] Nam si respondens sese defendisset suamque innocentiam demonstrasset, Iudaeos contra se magis magisque provocasset, et iudex iam eius innocentiam noverat. Tacuit ne videretur se mortem velle effugere calicemque a Patre sibi propinatum nolle ebibere.

sic ostendens summam patientiam et humilitatem,

Tacens autem summam ostendit patientiam, cum gravatus tot falsis criminibus nihil respondit, summam mansuetudinem et cordis humilitatem, vanum mundi ostendens se honorem contemnere, imo et vitam hanc, cum hae accusationes criminales essent mortalesque sagittae, nam ideo accusabatur ut tanquam reus iudicaretur mortique traderetur.

ita ut Pilatus etiam miretur.

Hinc non immerito miratur Pilatus silentium Christi, quoniam nunquam alias talem viderat mansuetudinem et patientiam, maxime sciens Christi innocentiam et videns quod a se etiam incitatus ut responderet seseque ab obiectis criminibus purgaret, contemnens tamen et vanum honorem et mortalem vitam, perseveraret tacens ac si elinguis et mutus esset, nec carneum cor, sed lapideum adamantinumque haberet; ita nil sui miserebatur!

Audiens autem Pilatus Christum Galilaeum esse, quaerens se et illum ab hoc iudicio liberare,

XXIII. Tandem sic vehementi admiratione plenus audiens inter multas accusationes Christo obiectas, quod populum commovisset *incipiens a Galilaea*, cupiens eum liberare seseque ab hoc iudicio extricare, interrogat si Christus galilaeus sit, moxque respondentibus illis, cognovit Christum galilaeum esse.[384] Nec tamen simpliciter Iudaei faciunt Galilaeae mentionem, sed quoniam Galilaei saepe reperti sunt seditiosi, ut fuit Iudas Galilaeus et Theodas,[385] Galilaeique illi quorum sanguinem Pilatus ipse cum eorum sacrificiis miscuit.[386] Quare Galilaeae commemoratione Iudaei Galilaeorum factiones Pilato ob oculos ponunt, ut eum facile in Christum commoveant tanquam in seditiosum, maxime cum dicant eum a Galilaea coepisse commovere populum seditiosumque facere, idque per universam Iudaeam perfecisse, nec Ierusalem metropolim veritum esse.

Pilatus vero nihil ob id in Christum commotus, sed putans nactum se occasionem liberandi Christum seque ab hoc iudicio extri-

382) Mt 27, 14. 383) Cf. ibid. 7, 6. 384) Cf. Lc 23, 6-7. 385) Cf. Act 5, 36-37. 386) Cf. Lc 13, 1.

candi, misit Christum ad Herodem,[387] non quidem illum Ascalonitam, qui Innocentes in Christi odium peremit,[388] nec ad illum Agrippam, qui Iacobum apostolum occidit et Petrum coniecit in vincula,[389] sed ad Herodem Galilaeae tetrarcham, qui fuit filius primi Herodis Ascalonitae et patruus Agrippae, frater Aristobuli, qui fuit pater Agrippae.

eum mittit ad Herodem Antipam.

XXIV. Mittitur Christus ad Herodem Antipam, qui Ioannem Baptistam occidit;[390] mittitur ad vulpem illam qui etiam Christum quaesivit occidere;[391] mittitur ad tyrannum, homicidam atque adulterum incestuosum, qui contra omnem legem viventis adhuc fratris tenebat uxorem; iamque Christus hodie quarto praesentatur iudici, nam primo Annae, secundo Caiphae, tertio Pilato et nunc quarto Herodi praesentatur. Et quamvis graviter peccaverit Pilatus mittens Christum ad Herodem, mittens innocentem, quem liberare tenebatur, ad tyrannum et iniustissimum iudicem, tribuens Iudaeis maiorem insaniendi impieque saeviendi in Christum occasionem, divina tamen dispensatione factum est: primo, ut Christi innocentia magis magisque elucesceret, cum a quattuor iudicibus examinatus, nullum tamen deprehensus sit crimen admisisse; secundo, ut passionis Christi meritum gloriaque adaugeretur; tertio, ut ostenderetur quod[392] ab omni tribunali iustitiae vel ecclesiasticae vel saecularis relegata erat iustitia eiusque loco iniquitas residebat.

Divina dispensatione quarto loco Christus ab Herode iudicatur,

ut eius innocentia magis elucesceret, meritum passionis augeretur et iniustitia Iudaeorum clarior appareret.

Unde Christus, *Rex regum*,[393] hodie voluit omnia iustitiae tribunalia visitare. Audierat clamores oppressorum ab iniquis iudicibus, sicut audivit clamorem Sodomorum et sicut tunc ait: *Descendam et videbo* an iuxta clamorem qui venit ad me, egerint nec ne, *ut sciam;*[394] sic nunc descendit Deus, rex coeli mutato habitu, sicut rex Israel cum descendit in campum.[395] Visitavit tribunal Annae principis sacerdotum, qui erat velut magnus episcopus, et expertus est iniustitiam; missus enim fuit ab eo ad Caipham, qui Christi in mortem primus conspiraverat; eoque abfuit ut eum absolveret, quod magis magisque

Christus omnia tribunalia iustitiae, ecclesiastica et saecularia, visitare voluit et in omnibus pati;

387) Cf. ibid. 23, 7. 388) Cf. Mt 2, 16. 389) Cf. Act 12, 1-5. 390) Cf. Mt 14, 1-11; Mc 6, 14-27; 3, 19-20; 9, 7-9. 391) Cf. Lc 13, 31-32. 392) Ms.: *Quod* bis ponitur. 393) 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14; 19, 16. 394) Gn 18, 21. 395) Cf. 3 Rg 22, 30.

ligavit, ait enim: *Misit eum . . . ad Caipham ligatum.* [396] Visitavit tribunal Caiphae, qui summus erat pontifex, et ibi multa passus est iniuste, et tandem iniustissime reus mortis iudicatus. Visitavit tribunal Pilati, qui locum imperatoris tenebat, et passus ab eo multa est: flagella, ludibria et tandem mortem. Visitavit tribunal Herodis et hic quoque passus est iniustitiam; non solum enim non fuit liberatus ab eo, sed spretus illususque ab eo universoque exercitu ipsius, tanquam insanus alba veste indutus remissus est ad Pilatum.

sed multo maiora passus est ab ecclesiasticis quam a saecularibus,

Multo tamen maiora passus Christus est ab ecclesiasticis quam a saecularibus. Nam Herodes, auditis criminationibus, non iudicavit Christum reum mortis, quamvis spreverit eum atque deluserit; [397] et Pilatus multis eum modis a se excogitatis voluit eum liberare. Pontifices vero Christum summo odio persequentes, cum universo concilio damnaverunt reum esse mortis summisque conatibus a Pilato mortis sententiam in Christum extorquere sategerunt; et si in domo Herodis fuit delusus, in domo Caiphae et delusus et percussus consputusque fuit. [398] Pilatus etiam Christum loquentem aequis auribus audivit, nec contempsit dicentem se regem esse; postea vero tacentem patienter tulit nec in malam partem accepit, imo potius miratus virtutem est. [399] Caiphas vero cum ratione loquentem iniuste caedi permisit et tacentem non tulit, sed ad loquendum adiuratione compulit, dicentemque se Christum esse tanquam blasphemum reum mortis adiudicavit multisque malis affecit. O utinam et modo multi ecclesiastici praelati, quos aequissimos humanissimosque esse oportet, non multis sint saecularibus in humanitate et aequitate longe inferiores multoque nequiores!

nam ab illis non ab istis iudicatus fuit reus mortis.

Mystice autem significare voluit ab iniquis illis iudicibus ablatam omnem potestatem et in Ecclesiam translatam.

Nec sine causa factum puto ut Christus a domo Annae abstulerit vincula, a domo Caiphae velum scissis summi sacerdotis vestibus, a domo Herodis vestem albam et a domo Pilati vestem purpuream, [400] haecque sibi accepit; sed quia propter iniustitiam principi sacerdotum abstulit potestatem ligandi atque solvendi, pontifici pontificiam dignitatem, quae per vestimenta designabatur, regi dignitatem regiam et praesidi imperialem praesidentiam, omniaque haec transtulit in

396) Io 18, 24. Vulg.: *Misit... ligatum ad Caipham.* 397) Cf. Lc 23, 11. 398) Cf. Mt 26, 67; Mc 14, 65; Lc 22, 63-65. 399) Cf. Mt 27, 13-14; Mc 15, 4-5. 400) Cf. Mt 27, 28; Mc 15, 17; Io 19, 2.

Ecclesiam. Hinc Ecclesia est regale sacerdotium, ut Petrus ait: *Vos . . . genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* [401] Quare voluit Christus ab omnibus iudicibus tum spiritualibus tum temporalibus iudicari, ut ab iniquis iudicibus omnem in Ecclesiam suam iudicandi potestatem transferret. Sic propter iniustitiam, maxime principum, destructa est synagoga, ut Isaias ait sub vineae parabola [402] et claris verbis: *Audite verbum Domini, principes Sodomorum.* [403] Et tandem, sicut a quattuor iudicibus Christus iniuste est iudicatus tanquam reus, ita a quattuor Evangelistis per universum orbem iustissime est sanctissimus praedicatus.

XXV. Sed contemplemur Christum Herodi iam praesentatum. Laetatur Herodes, viso Iesu, vana quidem stultaque laetitia; laetatur autem tum ob honorem sibi a Pilato delatum, tum quia Iesum videre cupiebat sperans videre miraculum aliquod ab eo fieri, [404] non quidem ut crederet in illum, sed ut eo viso animum oculosque pasceret. Sperabat autem Christum facillime id facturum ob suam liberationem et ut gratiam coram eo inveniret, putans eum ioculatorem quendam esse aut praestigiatorem, quos principum gratia valde delectat.

Herodes, viso Christo, laetatur, sed vana et stulta laetitia,

Christus vero nec signo nec responso quidem eum dignatur, cum impius esset tyrannus impiique tyranni filius, natus ex vipera serpenteque basiliscus. Interrogabat Herodes Christum multis sermonibus forte an ipse esset Ioannes, quem ipse decollaverat, vel is cuius gratia pater ipsius multos in Bethlehem occidit infantes; quomodo autem aut qua virtute miranda opera, quae ipse audierat, operabatur. Christus autem [ne] timoris causa aut captandae apud regem benevolentiae et gratiae Herodi morem gerere videretur, quamvis audiret principes et Pharisaeos sibi apud Herodem mille falsa crimina obiectantes, nec respondere quidem ad interrogata dignatur, ut ostenderet illum indignum omnino esse divina opera videre et verba audire ob suam crudelitatem, impietatem et sceleritatem.

Christus enim multis illius interrogationibus nil respondet.

Herodes vero tacentem Christum non miratus est ut Pilatus, sed sprevit multisque modis illusit ipse cum universo exercitu suo, forte sicut delusus prius fuit in domo Caiphae ac postmodum in domo

Herodes dignum morte non iudicat Christum,

401) 1 Petr 2, 9. 402) Cf. 5, 1-7. 403) Ibid. 1, 10. 404) Cf. Lc 23, 8.

sed illudit tanquam fatuum,

Pilati, delusus, inquam, tanquam rex falsus;[405] unde induit eum veste alba, quae regum aut Caesarum erat. Quare, cum se a Christo contemni videret, ut contemptum hunc vindicaret, Christum mille modis contempsit, nec tamen reum mortis iudicavit fatuum putans, vel cui nulla inesset prudentia, qui fatua potius quadam simplicitate quam ex superbia regium sibi nomen usurpasset, iudicans deridendam potius quam vindicandam esse morteque plectendam vanam hanc regii nominis usurpationem. Quare, etsi impius, multo tamen Iudaeis pontificibusque aequior Herodes invenitur, cum Christum reum mortis, ut Iudaei volebant, non iudicarit, sed sic contemptum atque delusum ad Pilatum remiserit.

et sic contemptum ad Pilatum remittit.

Et facti sunt amici Pilatus et Herodes,[406] ut adimpleretur quod scriptum est: *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.*[407] Sed forte mysterium istud fuit reconciliationis duorum populorum, cum Herodes iudaeus esset, Pilatus vero gentilis, nam: *Ipse . . . est pax nostra, qui fecit utraque unum.*[408] Divina autem dispensatione Christus indutus est veste hac alba, ad designandam eius innocentiam regiumque honorem, quam a Deo consecuturus erat ob passionem.

Reconciliatio Herodis cum Pilato mysterium fuit reconciliationis duorum populorum in Christo.

XXVI. Remissus itaque Dominus ab Herode ad Pilatum innocens quidem declaratur iterum atque iterum, non tamen ut innocens liberatur, sed graviora perpetitur, ut flamma passionis ipsius magis magisque ad summum usque percrescat. Declarat eum Pilatus suo et Herodis iudicio innocentem. *Convocatis* enim *principibus . . . et magistratibus et plebe* ait: *Adduxistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans nullam invenio in homine isto causam . . . Sed neque Herodes, nam remisi vos ad eum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam.*[409] Quaerit Pilatus liberare Christum, placato in eum concitato Iudaeorum furore, sicut Darius quaesivit liberare Danielem ne mitteretur

Pilatus iterum innocentiam Christi declarat.

405) In margine haec adiecta fuerunt: « David ab Achis rege Goth insanus fatuusque iudicatus fuit valdeque spretus ab eo. Sed David insanum se finxit ut mortem effugeret, Christus vero ne mortem evaderet ». 406) Lc 23, 12. Vulg.: *Herodes et Pilatus.* 407) Ps 2, 1-2. 408) Eph 2, 14. 409) Lc 23, 13-16. Vulg.: *Obtulistis mihi . . . nullam causam invenio in homine isto . . . remisi vos ad illum,* etc.

in lacum leonum, ut principes et satrapae invidia et odio in Danielem mori instantissime quaerebant.[410]

et eum liberare conatur, ratione iustitiae, quia innocens,

Quare ratione primo voluit eos placare: Si, inquit, hic dignus morte esset, Herodes utique hunc morti tradidisset; at nil tale actum est ei, sicut et ego nullam mortis causam in eo invenio. Non ergo morte damnandus est. Si quid ergo peccavit, ego corripiam eum correptumque et emendatum dimittam.

deinde ex gratia, iuxta privilegium populi reum liberandi in die paschae;

Deinde, videns quod implacabilis Iudaeorum furor a suo ardore nihil tepescebat, alium excogitavit modum ut, salva vita, cum honoris eum iactura liberaret, si non ut innocentem ex iustitia, saltem ut reum ex gratia, iuxta privilegium et consuetudinem quam habebant ut in pascha dimitteretur vinctus reus mortis quem populus petiisset,[411] forte in memoriam liberationis ab aegyptiaca servitute et pharaonica tyrannide. Sic consuetudinem hanc Iudaei habebant liberandi hominem a morte, sicut Ionathas liberatus fuit ab universo populo a mortis sententia, quam pater Saul in eum exequi intendebat.[412]

ideo duos vinctos proponit: Christum qui multa bona opera fecerat, et Barabbam seditiosum, latronem et homicidam,

Pilatus itaque sciens Iudaeorum consuetudinem, imo cum turba ipsa, ut Marcus ait, rogare coepisset ut servaretur eis privilegium et consuetudo dimittendi hominem vinctum reumque mortis in pascha,[413] proponit eis Christum, quem sciebat multis esse carum ob insignia quae faciebat opera, ac ut populus Iesum peteret, proponit alterum, quem sciebat universae civitati esse invisum propter seditionem cruentam cum homicidio et latrocinia insignia facta in civitate.[414] Quare procul dubio credidit Pilatus populum non hunc scelestissimum, sed Iesum esse petiturum, qui solis sacerdotibus erat invisus: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.*[415] Hac igitur ratione motus Pilatus ad Iudaeos ait: *Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum?*[416] Cum, inquit, ego non inveniam in eo causam mortis, quare ratione iustitiae mihi tanquam innocens absolvendus venit, salva tum vita tum honore ipsius. Sed ut honori etiam vestro consulatur, in gratiam vestri, si vultis, dimittam eum tanquam reum ex gratia, ratione vestri privilegii et consuetudinis. Quare cum iactura honoris illius salvus erit honor vester.

credens populum certe Iesum petiturum esset

410) Cf. Dn 6, 1-23. 411) Cf. Mt 27, 15; Mc 15, 6; Io 18, 39. 412) Cf. 1 Rg 14, 27-44. 413) Cf. 15, 8. 414) Cf. ibid. vr. 7. 415) Ibid. vr. 10. 416) Io 18, 39.

Sed principes concitant turbas ut magis Barabbam petant.

Turbae autem caeco diabolicoque furore spirituque actae ad pontificum persuasionem, siquidem ait: *Principes autem* populi *et seniores* concitaverunt turbas et *persuaserunt populis ut* magis *Barabbam peterent, Iesum vero perderent,* [417] petierunt Barabbam. Elegerunt non lucem sed tenebras, non bonum sed malum, non dulce sed amarum. Ait enim: *Clamaverunt . . . rursum omnes . . . Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro,* [418] et latro quidem insignis; nec tantum latro, sed etiam homo seditiosus et homicida, homo, inquam, reipublicae perniciosissimus. *Clamaverunt*, inquit, *rursum omnes*. Prius clamaverant, ut Marcus ait: *Cum acclamasset turba*, sic enim graece est, *coepit rogare sicut semper faciebat illis.* [419] Proposuit autem hanc optionem Pilatus, sedens pro tribunali tanquam iudex. Proposita autem optione, cum populus haereret potiusque ad Iesum propenderet, principes et seniores concitant turbam populoque persuadent ut Barabbam peterent.

Interea uxor Pilati virum rogat ut iustum Iesum dimittat;

Dum autem interea praeses sedens expectaret populi responsum, uxor eius misit ad eum dicens: *Nihil tibi et iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* [420] Afflicta, inquit, sum nimis, cum in somniis multa terriculamenta sim perpessa; Deo forte auctore, cum in favorem Iesu locuta sit, nam si auctore diabolo, ad impediendam Christi passionem, eo quod inciperet sentire efficaciam Christi passionis, profecto Iudaeis potius quam uxori Pilati hoc daemon egisset; cum tamen non destiterit, sed magis institerit eos ad conceptum incoeptum scelus perficiendum urgere.

populus autem Pilato iterum interroganti petit sibi dimitti Barabbam, Iesum vero crucifigi.

Cum autem moraretur populus responsum dare Pilato, ipse iterum dixit ad eos: *Quem vultis vobis de duobus dimitti ?* Ipsi vero clamantes dixerunt ut persuasi [421] erant: *Barabbam.* [422] Accidit autem Pilato praeter spem et expectationem, nunquam enim credidisset Barabbam latronem insignem homicidam et seditiosum praeferri ac praeelegi Christo. Ait: *Quid* ergo vultis ut *faciam de Iesu, qui dicitur Christus ? At illi clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum.* [423] Et quamvis Pilatus iterum diceret testificans Christi innocentiam: *Quid enim mali fecit iste ? Nullam causam mortis invenio in eo,* illi tamen

417) Mt 27, 20. Vulg.: *Ut peterent Barabbam*, etc. 418) Io 18, 40. 419) 15, 8. Καὶ ἀναβὰς ὁ ὄχλος. Eb. Nestle *Novum Test.*, hoc loco. 420) Mt 27, 19. 421) Ms.: *Persuasae.* 422) Mt 27, 21. 423) Ibid. vr. 22; Lc 33, 21; Io 19, 6.

magis clamabant *et invalescebant voces eorum*[424] dicentes: *Crucifige, crucifige eum.*

XXVII. Bone Deus, quaenam haec est electio? Sed sicut patres eorum Deum abiecerunt et in idolis diabolum coluerunt, ita nunc, Christo abiecto, scelerosum Barabbam eligunt; relicta enim gratia, peccatum prava voluntate eligunt, relicta virtute vitium, relicto spiritu carnem. Sic aries omnibus populi peccatis onustus dimittebatur liber in desertum abire, alter vero sine omni peccato occidebatur.[425] Sic isti non vitem aut olivam vel ficum elegerunt, sed rhamnum, sicut Ioatham Sichimitis ait;[426] sic Eva diaboli suasu non lignum vitae elegit, sed arborem scientiae boni et mali;[427] sic multi ex Israel David regem reliquerunt et impio adhaeserunt Absaloni.[428] Hoc forte est quod Isaac iam senex factus et caecutiens Esau, odio habitum a Deo, diligebat magis quam Iacob electum,[429] et Iacob moriturus minorem praetulit maiori.[430] Nunc autem Israelis genus prope interitum erat; siquidem propter pessimam hanc electionem Iudaei interitum sibi acquisivere.

Stulta et impia electio qua, Christo abiecto et damnato, scelerosus homo liberatur,

propter quam synagoga interitum sibi acquisivit,

Hoc forte est quod Ieremias ait: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea et combusta sunt fructeta eius; et Dominus ... qui plantavit te locutus est super te malum;* nam mox Divus Vates de passione Domini in sui persona loquitur: *Tu autem, Domine, demonstrasti mihi et cognovi, tu ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia dicentes:* Venite, *mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius.*[431] Sed paulo ante dixerat Vates: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?*[432] Quare de israelitici populi destructione loquitur.

sicut Ieremias iam vaticinatus fuerat.

Caecutiens ergo populus, velut senex Isaac, hanc hodie electio-

424) Lc 23, 22-23. 425) Cf. Lv 16, 1-22. 426) Cf. Idc 9, 7-15. 427) Cf. Gn 3, 1-6. 428) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 429) Cf. Gn 25, 28; Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 430) Cf. Gn 48, 10 sqq. 431) 11, 16-19. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Tunc ostendisti mihi*, etc. 432) Ibid. vr. 15.

Christo enim reiecto, in potestatem diaboli cecidit, qui est vere latro, homicida et seditiosus.

nem fecit, cum homicidam praeferunt ei qui mortuos suscitando mortalesque infirmitates curando multis fuerat auctor vitae, sicut Divus Petrus ait: *Vos . . . sanctum et iustum negastis et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.* [433] Sic patres eorum in deserto respuentes manna coeleste concupierunt carnem alliaque et cepas Aegypti, terramque ipsam promissionis vili pendentes Deoque servire, in Aegyptum reverti voluerunt ut Pharaoni servirent. [434] Hinc modo infelices Iudaei non Christum habent sed diabolum, facti *synagoga satanae.* [435] Nam diabolus verus est *Barabbas latro,* [436] qui Deo gloriam praeripere voluit, *homicida . . . ab initio* [437] et seditiosus, qui in coelo seditionem inter Angelos movit. [437a]

Hoc autem significat nos Christi morte a duplici morte liberatos fuisse.

XXVIII. Quamvis autem magna fuerit Christo ignominia et iniuria reputari peior scelestissimo homine, latrone insigni, homicida et seditioso pessimo, divina tamen dispensatione factum est. Hoc enim est: *Quod Iesus moriturus erat pro gente,* [438] hoc est ut gentem a morte liberaret; sic enim Christus Barabbam liberavit a morte corporis et latronem in cruce a morte animae, [439] sua enim morte nos a duplici hac morte liberavit, corporali et spirituali, temporali et aeterna.

Sed interea maxima iniuria et iniustitia Christo infligitur, dum peior iudicatur latrone, seditioso et homicida.

Nec tamen ob id non maxima iniuria summa cum iniustitia illata Christo fuit, dum iudicatus fuit multo peior ac reipublicae multo perniciosior scelestissimo Barabba, insigni latrone, seditioso et homicida. O iudicium iniustissimum! Tenebras luci praeferunt, filium diaboli Filio Dei! David praetulit, iniusta quidem sententia atque iudicio perverso, Sibam falsum accusatorem domino ipsius Miphiboseth, qui iustus et innocens erat iniusteque accusatus et calumniatus, et absque ullo iuridico processu innocentem bonis privavit et dedit reo mortis [440] contra iuramentum Ionathae praestitum. [441] Sed quanto Christi innocentia maior est innocentia Miphiboseth, tanto iniuria haec gravior et iniustitia maior procul dubio fuit.

In eo autem quod Christus hodie scelestissimo Barabba multo scelestior iudicatur, intelligimus quidnam sit quod P a u l u s ait,

433) Act 3, 14-15. 434) Cf. Nm 11, 5-6. 435) Apc 1, 9; 3, 9. 436) Io 18, 40. 437) Ibid. 8, 44. 437a) Cf. Apc 12, 7-9. 438) Io 11, 51. 439) Cf. Lc 23, 39-43. 440) Cf. 2 Rg 16, 1-4; 19, 24-30. 441) Cf. 1 Rg 20, 14-16.

quod Deus misit Filium suum *in similitudinem carnis peccati* et *de peccato damnavit peccatum;* [442] itemque quod Deus *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* [443] Quidnam est *peccatum* istud: *De peccato damnavit peccatum? Pro nobis peccatum fecit?* In lege hostia et sacrificium, quod pro peccato offerebatur, *peccatum* dicitur. [444] Christus autem hostia pro peccatis nostris est; hinc dicitur *peccatum.* Hoc quidem verum est, sed forte non ad mentem Apostoli, nam peccato opponit iustitiam: *Pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Quid est: *Efficeremur iustitia?* Idest iustissimi ac veluti ipsamet iustitia, sicut lucidissimum solem ipsammet lucem dicimus et calidissimum ignem calorem ipsum; liberalem hominem, in quo virtus haec maxime elucet, ipsammet liberalitatem dicere solemus, sicut etiam Deum dicimus ipsam esse bonitatem, misericordiam, caritatem. Sic inquit nos effici in Christo iustitiam, Christum autem factum esse apud homines ob *similitudinem carnis peccati* non peccatorem, sed ipsummet *peccatum.* Hinc hodie pessimo et scelestissimo Barabba multo peior ac scelestior iudicatur. Christus, qui ipsamet est iustitia, bonitas et sanctitas Dei, iudicatus a mundo est ipsamet iniquitas et ipsummet peccatum. Sic hodie *Sol iustitiae,* [445] Christus, obscuratus est, et qui suapte natura lucidissimus est ac fons omnis luminis, hodie visus est tenebrosus.

Sic Christus vere ipsum peccatum pro nobis factus est.

ut nos in ipso iustificaremur.

XXIX. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit; et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius et veste purpurea,* etc. [446] Flagellis caeditur Filius Dei, sicut Iob a planta pedis usque ad verticem capitis percussus a diabolo fuit; [447] siquidem diabolo suggerente flagellavit Christum Pilatus. Sic praepositi Hebraeorum flagellis caedebantur ab Aegyptiis. [448] Et flagellatur nunc ille qui decem plagis flagellavit Aegyptum; [449] flagellatur ille de quo scriptum est: *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo;* [450] flagellatur Christus sicut manna ab Hebraeis pinsebatur; [451] flagellatur sicut petra in deserto virga bis fuit percussa; [452]

Filius Dei flagellis caeditur.

442) Rom 8, 3. 443) 2 Cor 5, 21. 444) Cf. Lv 4, 21. 24; 5, 6-7; Ez 44, 29; Os 4, 8. 445) Mal 4, 2. 446) Io 19, 1-2. 447) Cf. Iob 2, 7. 448) Cf. Ex 5, 13-14. 449) Cf. Ps 77, 43-51; 104, 27-36. 450) Ps 90, 10. 451) Cf. Nm 11, 7-8. 452) Cf. Ibid. 20, 11.

flagellatur, quoniam scriptum est: *Fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis.* [453]

Poena haec crudelissima fuit, quia Christus delicatissimae complexionis erat et plagae impositae sine numero fuerunt,

Fuit autem haec flagellatio valde et poenosa et ignominiosa: poenosa quidem, quoniam Christus delicatissimae erat complexionis et plagae quidem flagellis tales infligebantur, quod iussit Dominus ne numerus plagarum excederet quadragenarium, ne homo sub flagello moreretur. [454] Christus autem, si a Iudaeis flagellatus fuisset, non plus quam quadraginta plagas accepisset. Sed fuit flagellatus a Pilati militibus, qui hac lege minime tenebantur. Quare flagellatus fuit acceptis sine numero plagis, non sicut Paulus qui a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepit, [455] quia secundum legem excedere eum numerum minime poterant.

et ignominiosa, quia haec poena erat servorum ac viliorum hominum.

Deinde, fuit poena haec valde ignominiosa, nam erat poena servorum ac mancipiorum; [456] unde lex Portia liberavit ab hac poena cives romanos, [457] hinc Paulus ait: *Si hominem romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* [458] qui autem ultimo supplicio damnabantur, quoniam civitatem et libertatem amittebant servique efficiebantur, tunc poterant flagellari. [459]

Sic ergo innocens flagellatur et Rex Angelorum habitus est vile mancipium et servus scelestissimus.

Flagellatur ergo Christus tanquam servus ac vilissimum mancipium ac tanquam homo infamis. Nam etiam secundum legem nonnisi ob patratum delictum licebat hominem flagellari. Christus autem multo peius flagellis est caesus quam asina a Balaam, [460] nec tamen sicut illa conquestus est: *Quoniam*, inquit, *ego in flagella paratus sum.* [461] Sic, rex Angelorum habitus est hodie tanquam vilissimum mancipium et scelestissimus servus.

Spinis etiam coronatur, maxima pariter poena et ignominia.

XXX. Nec tamen hac poena contenti, immanes hi crudelissimique ministri convocant cohortem omnesque milites et Iesum spinis coronant, purpureo induunt vestimento, imponunt arundinem in manu eius dextera, genu flexo ironice adorant percutientes eum. Quae etiam coronatio fuit valde tum poenosa tum ignominiosa Christique maxime tum vitam tum honorem laesit. Poenosa quidem, quoniam

453) Ps 72, 14. 454) Cf. Dt 25, 3. 455) Cf. 2 Cor 11, 24. 456) Cf. Aemilius Macer *De Publicis Iudiciis*, lib. 2, in ff., lib. XLVIII, tit. 19, cp. 10; Hermogenianus apud Laur. Pignorium *De Servis*, cp. 2, pag. 7-8. 457) Cf. Cicero *in Verrem*, lib. 5, t. 2, col. 291; *pro Rabirio*, ibid. col. 435. 458) Act 22, 25. 459) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 4, cp. 27, (P. L. 26, 208). 460) Cf. Nm 22, 23-32. 461) Ps 37, 18.

spinae transfigebant divinum caput ipsius, maxime cum percutiebatur; et ignominiosa, quoniam haec maxima publicaque fuit illusio. Sic videmus arietem illum, qui immolatus fuit ab Abraham, cum capite inter vepres. [462] Sic Deus apparet Moysi in rubo spinoso, [463] forte mysterium istud indicans quod propter Hebraeorum salutem gravissimas passurus poenas erat; ignis enim et spinae indicia sunt poenarum, quamvis etiam ignis caritatem divinam significet, unde Deus dictus est *ignis*, [464] quia caritas est. [465]

Nec tamen sine causa haec Christus pati voluit. Quamvis enim ex diaboli suggestione a ministris Pilati haec pateretur, tamen, sicut sententia illa Caiphae a diabolo in corde ipsius formata, a Spiritu tamen Sancto fuit pro salute nostra, ita et haec et alia omnia quaecunque passus est Christus; sicut Iosepho accidit: *Vos*, inquit, *cogitastis contra me malum, sed Deus convertit illud in bonum.* [466] Et sicut si carnifici homo, quem summe odit, occidendus a iudice tradatur, exequitur quidem hic sententiam iudicis iusti, non tamen propter iustitiam quam iudex intendit, sed propter odium quo in illum accensus est, omnia impie crudeliterque exequitur; quare alia iudicis et alia est carnificis sententia; ita hic accidit.

Quamvis, diabolo suggerente, Iudaei crudeliter Christum persequerentur,

Christus ergo secundum Patris voluntatem haec pati voluit. Non temere nec sine causa, sed facta sunt haec primo quidem, ad significanda multa mysteria. Primo enim candida fuit Christus ab Herode indutus veste ad designandam eius innocentiam, quia innocenter passus est tanquam alter Ioseph: *Quia*, inquit, *innocens in lacum missus sum.* [467] Postquam veste fuit alba indutus, flagellatus fuit, quia non propter sua, sed propter nostra peccata sustinuit flagella. Hinc Isaias ait: *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius ;* [468] *Posuit... in eo iniquitates omnium nostrum... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum.* [469] Spinea autem corona peccata et peccatorum poenas designat: *Spinas et tribulos germinabit tibi:* [470] ecce poena; *Quod autem inter spinas... hi sunt qui... a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus... euntes suffocantur :* [471] ecce culpa.

tamen secundum Patris voluntatem omnia passus est;

et primo ad significanda multa mysteria; nam vestis candida significat eius innocentiam,

spinea corona culpam et poenam,

462) Cf. Gn 22, 13. 463) Cf. Ex 3, 2. 464) Dt 4, 24; Hebr 12, 29.
465) Cf. 1 Io 4, 8. 16. 466) Gn 50, 20. Vulg.: *De me malum, sed Deus vertit,* etc.
467) Ibid. 40, 15. 468) 53, 9. Affert ex 1 Petr 2, 22. 469) Is 53, 5-6. Vulg.: *Posuit in eo iniquitatem,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 470) Gn 3, 18. 471) Lc 8, 14.

caput Christi divinitatem, vestis purpurea eius caritatem,

Caput autem Christi divinitas est: *Caput... Christi Deus;* [472] solus autem Deus potest peccata consumere. Vestis autem coccinea sive purpurea caritatem Christi designat, quia summa cum caritate passus est universa. Sic *candidus* Christus propter innocentiam et *rubicundus* [473] propter caritatem; designatur enim rubeo colore ignea caritas, hinc sacra Christi humanitas in rufa vitula, quae propter populi peccata immolabatur, [474] fuit praefigurata. Vestis item coccinea peccata ipsa designat: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum;* [475] Christus autem aliena tulit peccata. Designat etiam haec praemium Christi quod per passionem erat consecuturus, sicut Danieli a Balthassaro purpura fuit promissa, [476] quoniam enim humiliavit Christus seipsum usque ad mortem crucis, propterea Deus exaltavit illum. [477] Quare figura haec fuit quod Christus patiendo meruit sibi regnum, ut tanquam *rex regum* ab omnibus adoraretur; hinc post flagellationem coronatus fuit. [478] Arundo autem in manu eius sceptrum praefiguravit ipsius destruendumque imperium diaboli iuxta vaticinium: *Ipse conteret caput tuum et tu conteres calcaneum eius.* [479] Siquidem, ut experientia docet, venenati serpentes arundinis ictu occiduntur. [480]

peccata nostra et praemium passionis eius;

arundo eius regalem dignitatem;

Secundo, haec pati voluit Christus ob satisfactionem pro peccatis nostris. Sunt autem peccata tria ad quae veluti ad fontes et radices cetera omnia deducuntur: superbia, avaritia et luxuria. Propter su-

secundo, ad satisfaciendum pro peccatis nostris,

472) 1 Cor 11, 3. 473) Ct 5, 10. 474) Cf. Nm 19, 2-5. 475) Is 1, 18. Vulg.: *Ut coccinum.* 476) Cf. Dn 5, 16. 477) Cf. Phil 2, 8-9. 478) Cf. Mt 27, 26-29; Mc 15, 15; Io 19, 1-2. 479) Gn 3, 15. Ex hebraico. 480) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 4. cp. 27, (P. L. 26, 208); S. Athanasius *De Passione et Cruce Domini*, (P. G. 28, 215). In margine haec adiecta fuerunt: « Purpureum vestimentum, quo indutus est hodie Christus, chlamydem fuisse M a t t h a e u s ait, quae imperatorum, regum et militum vestis est, quia hodie Christus tanquam armatus miles descendit in campum contra diabolum, sicut David contra Goliam insolitis quidem, sed victricibus armis; multo enim gloriosior fuit victoria Davidis pugnantis cum illis insolitis armis, quam si cum regalibus armis Saul processisset ad pugnam. Ostendit enim se gigantem nihili pendere pergens ad illum baculo tantum armatus, quasi pergeret contra canem. Ita Christus noluit hodie pugnare armis divinitatis suae, quibus in horto pugnare coepit, cum unico verbo omnes prostravit in terram. Si enim armis divinitatis suae pugnasset, quaenam eius fuisset gloria? Deus muscis, cinifibus ac pulicibus pugnavit contra Pharaonem; Christus igitur debellaturus hodie tartareas potestates — nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus*, etc., pugnaturus cum gigante illo fortissimo: *Non est potestas super terram quae comparetur ei*, — non baculo pergit armatus ut David, sed arundine, quae baculo est multo debilior, ut quo fuerunt arma debiliora, eo sit illustrior gloriosiorque victoria. Nec immerito Christus arundine armatus pergit contra diabolum, nam pugnaturus contra ignem aquis se armat et qui cum leone pugnaturus est facem potius accensam accipit quam ensem, et pugnaturus contra serpentem accipit arundinem, hac enim serpentes percussi occiduntur. Christus autem pugnaturus erat contra serpentem antiquum ».

perbiam nostram spinis est coronatus, propter avaritiam vestimentis suis spoliatus, propter luxuriam flagellatus. Et quoniam nos in omnibus peccamus: anima, corpore, potentiis animae, sensibus corporis, bonisque omnibus naturalibus et fortuitis, utilibus, delectabilibus et honestis abutimur in Dei offensam, in omnibus Christus pati voluit: corpore et anima, potentiis et sensibus, vita, honore, fama, amicis et in propriis vestibus. Quamvis unico tantum caritatis actu potuisset Christus pro universo mundo satisfacere, sicut Adam unico actu mundum damnavit, cum Christi caritas ob hypostaticam cum Verbo unionem esset infinita et sic quilibet actus infiniti meriti et valoris, voluit tamen copiosissime pro nobis satisfacere, sicut scriptum est: *Et copiosa apud eum redemptio.* [481]

ideo omnibus modis passus est, quamvis uno actu satisfacere potuisset;

Tertio, Christus ob meritum pati haec voluit, ut nobis tum gratiam tum gloriam apud Deum copiosissime mereretur, quamvis unico caritatis actu universa bona nobis mereri potuisset a primo conceptionis instanti. Indumento igitur suo albo Christus nobis meruit innocentiam et purpureo caritatem, imo albo gratiam et purpureo regali vestimento gloriam, spinea corona coronam gloriae et arundineo sceptro palmas in coelo. Unde Sancti in coelo *amicti* sunt *stolis albis et palmae in manibus eorum.* [482]

tertio, ad augendum meritum, ut nobis mereretur copiosissimam gratiam et gloriam;

Quarto tandem, Christus haec pati voluit ad nostram eruditionem et exemplum: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;* [483] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ;* [484] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius;* [485] *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* [486] Christus ex hoc mundo non flores sed spinas legit, non nostra bona sed mala, poenas tormentaque suscepit.

et quarto, ad nostram eruditionem et exemplum.

XXXI. Dum Christum sic purpura indutum contemplor, videre mihi videor arcam foederis Domini quae, cum dissolvebatur tabernaculum, intra purpureum velum involvebatur; altare quoque sacrificiorum vestimento involvebatur purpureo, ut legimus *Numeris.* [487] Christus est tabernaculum Domini hodie dissolutum: *Solvite templum hoc;* [488] Christus item arca et altare. Et ipsum etiam tabernaculum

Vestis purpurea significat carnem assumptam sanguine proprio aspersam,

481) Ps 129, 7. 482) Apc 7, 9. 483) Lc 24, 26. 484) Act 14, 21.
485) 1 Petr 2, 21. 486) Ex 25, 40. 487) Cf. 4, 5-13. 488) Io 2, 19.

Domini purpureis [489] cortinis operiebatur; [490] sic Christus purpureo circumdatus indutusque vestimento est in signum quod per sanguinis sui effusionem, quo intincta est sanctissima eius caro sicut lana alba purpureo intingitur sanguine, unde fiebant pretiosissimae regum vestes, triumphaturus erat ex hostibus. Unde dicitur Isaia: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? . . . Torcular calcavi solus,* etc. [491] Sic Ioannes Christum vidit in *veste aspersa sanguine;* [492] unde per hanc vestem designatum fuit martyrium Christi et per martyrium triumphus. Cum arca intra purpureum velum involvebatur, signum erat quod dissolvendum erat tabernaculum; ita hoc signum fuit quod per martyrium Christus moriturus erat, non evasurus mortem, ut Pilatus putavit, nam ob id flagellavit eum, ut a morte eum liberaret.

designat ergo martyrium Christi et per martyrium triumphum.

Filiae Ierusalem, venite et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, etc. [493] Sed quodnam, quaeso, istud est diadema? quaenam corona? Arca foederis Domini coronata fuit auro, [494] similiter et mensa panum propositionis, [495] summus etiam sacerdos auream coronam deferebat supra mitram. [496] Bone Deus, num ista est corona illa gloriae et honoris: *Gloria et honore coronasti eum?* [497] corona illa de lapide pretioso: *Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso?* [498] Ista non est corona imperialis aut regia ex auro et lapidibus pretiosis; non triumphalis ex [499] lauro et auro, quae dabatur post triumphatos hostes et partas cum gloria victorias; [500] non obsidionalis ex graminea, quae dabatur liberanti urbem ab obsidione; non civica ex ligno vel querna fronde, quae dabatur liberanti cives de manibus hostium, illis trucidatis; non muralis aurea, quae eorum erat, qui primi muros inimicorum ascendebant; non castrensis sive vallaris aurea cum valli insigni, eorum qui primi hostium castra irrupissent; non navalis aurea navalibus rostris insi-

Diadema quo Christus coronatur, non est corona gloriae et honoris

ob praeclara gesta,

489) Ms.: *Purpurei.* 490) Cf. Ex 26, 1-5; 36, 8-10. 491) 63, 1-3. Vulg.: *Indumentum tuum?* etc. 492) Apc 19, 13. 493) Ct 3, 11. Vulg.: *Egredimini et videte, filiae Sion, regem... coronavit illum,* etc. 494) Cf. Ex 25, 11; 37, 1-2. 495) Cf. ibid. 25, 23-24; 37, 10-12. 496) Cf. ibid. 28, 36-38; 29, 6-9; 39, 29-30. 497) Ps 8, 6. 498) Ps 20, 4. Vulg.: *In capite eius,* etc. 499) Ms.: *Et* loco: *Ex.* 500) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica,* lib. 50, f. 372ᵃ-373.

gnita, eorum qui primi hostium naves conscendissent armati; neque tandem ovalis ex myrto, venerea potius quam martialis, cum myrtus Veneri dicata esset, [501] quae dabatur victoribus ignobilioribus, qui vel humiles superassent hostes, vel sine pugna et certamine hostes subegissent, vel iniusto nomine hostes aggressi essent. Nam omnes hae coronae vel aureae erant, vel ex quercu, lauro, graminea, myrto, vel ex aliis huiuscemodi. [502] Christus tamen, cum mille nominibus dignus omnibus esset summisque, quippe qui invisibiles omnes superavit hostes, unde, *superata omni tentatione,* [503] *accesserunt Angeli et ministrabant ei,* [504] nulla tamen harum, quae honoris et gloriae erant, sed insolita et nunquam alias visa corona, ex acutissimis durissimisque spinis contexta, crudelissime et ignominiossime coronatur, non ab imperatore, a quo coronae illae dabantur, sed a militibus, a satellitibus, vilissimis ministris Pilati.

sed spinis durissimis contexta et a vilissimis satellitibus illi imposita:

Sed si Christus sua haec passus est voluntate, cur, quaeso, spineam potius quam auream coronam elegit? Quis unquam pro spinea corona certasset? Quis ad hanc accipiendam coronam in stadio cucurrisset? Sed ostendit Christus quod meliores sunt spinae poenitentiae omnibus regalibus divitiis, voluptatibus honoribusque; pro hac enim sola multa accepit a Patre, unde Ioannes ait: *Et in capite eius diademata multa.* [505] In coelo enim auri summa est copia, nam tota *civitas* est *aurum mundum;* [506] at spinae ibi non inveniuntur suntque ibi summo in pretio. Quare spinea haec Christi corona inaestimabilis est in coelo thesaurus. Et Christus quidem tanquam mercator venit in hunc mundum ut mundanas merces ferret in coelum. Hinc Christus non aurum nostrum accepit, sed spinas; passionum enim propter Deum in coelo summa est caritas et summo in pretio sunt; hic autem harum infinita est copia et nihili penduntur, imo fugiuntur tanquam noxia venena et toxica. Christus vero tanquam sapiens mercator navem suam hisce onustissimam mercibus tanquam pretiosissimis esse voluit. Hinc tot tantaque tormenta passus est.

hanc tamen gloriosissimis omnibus coronis praetulit, utpote omnibus gloriosissimam,

quia poenitentia infinitus est thesaurus in coelo.

501) Cf. ibid. f. 373ᵃ. 502) De variis hisce coronis cf. Tertullianus *De Corona Militis,* cp. 7-14, (P. L. 2, 84-101); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 15, cp. 29-30, pag. 264-266; lib. 22, cp. 3-6, pag. 403-404; Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium,* lib. 1, cp. 8, pag. 112, in nota; Aulus Gellius *Noctes Atticae*, lib. 5, cp. 6, pag. 146-148; Laur. Beyerlink *Theatrum Vitae Humanae,* sub voce: *Corona.* 503) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata,* etc. 504) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 505) Apc 19, 12. 506) Ibid. 21, 18.

Iob a diabolo percussus figura Christi flagellis caesi,

XXXII. Dum flagellatum Christum contemplor videre mihi videor beatum Iob a diabolo percussum. Erat enim Christus ut Iob vir sanctissimus. Sicut autem cum convenissent filii Dei, astitit inter eos satan, cui dixit Dominus: *Num considerasti servum meum Iob quod sit vir simplex?* etc., [507] sic utique in coena, cum convenissent una cum Christo omnes Apostoli, astitit inter eos etiam satan, nam: cum accepisset Iudas buccellam, *introivit in eum satanas.* [508] Et ne satanas Christum calumniaretur, sicut calumniatus fuit Iob quod ob prosperitatem et bona accepta a Deo serviebat ei, permisit Deus satanae ut Christum affligeret sicut et Iob. Nam hoc est quod Christus ait: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* [509] et Pilato ait: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi,* etc. [510]

nam etiam Christus a satana tentatus fuit in dispersione discipulorum,

Sicut autem satanas privavit Iob omnibus bonis externis ut eum ad peccandum contra Deum impelleret, et quoniam super omnia filios diligebat, hos tandem illi occidit, [511] sic fecit et Christo cum tentavit Apostolos illosque omnes dispersit et ad infidelitatem incredulitatis induxit. [512] Sed sicut Iob non peccavit illaque tentatione victus minime fuit, [513] ita nec Christus; unde quamvis summo angeretur dolore de perditione discipulorum, mente tamen contra Deum nihil turbatus est.

in carne flagellatus, spinis coronatus, alapis percussus,

Hinc satanas, sicut et Iob, secundo Christum appetiit, ait enim Deo: *Pellem pro pelle et universa dabit homo pro anima sua. Veruntamen converte manum tuam et tange os eius et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi,* [514] ne hanc Christus pateretur calumniam, quod carnem suam supra Deum diligeret, permisit Deus ut carnem Christi percuteret, sicut et carnem Iob. [515] Hinc diabolus Christum gravissime flagellavit *a planta pedis usque ad verticem* capitis, [516] et videns quod adhuc Christus in sua simplicitate constantissimus perseverabat, [517] fecit eum spinis coronari, percuti arundine caput eius faciemque alapis caedi et foedissime conspui. Sed Christus posuit faciem suam sicut petram durissimam; [518] quare sanctissimum Christi cor, ac si adamantinum esset, nulla est aut ira aut indignatione commotum, nec turbata unquam divina eius facies fuit.

sed sicut Iob constantissime omnia tulit.

507) Iob 1, 11. Vulg.: *Nunquid considerasti... homo simplex.* 508) Io 13, 27.
509) Lc 22, 53. 510) Io 19, 11. Vulg.: *Non haberes potestatem adversus me ullam,* etc.
511) Cf. Iob 1, 9-19. 512) Cf. Mt 26, 56; Mc 14, 50-52. 513) Cf. Iob 1, 20 sqq.
514) Ibid. 2, 4-5. Vulg.: *Et cuncta quae habet homo dabit... Alioquin mitte manum tuam,* etc.
515) Cf. ibid. vrr. 7-8. 516) Is 1, 6. 517) Cf. Iob 2, 9. 518) Cf. Is 50, 7.

Diaboli igitur arte tot tantaque tormenta adeo inhumana immaniaque, cum tot tantisque ignominiis excogitata sunt. Conabatur enim Christum, sicut Iob, ad peccandum impellere hac hora extrema, videns quod omnibus diebus vitae suae summa cum sanctitate et iustitia perpetuam innocentiam servasset; alioquin incredibile profecto videretur quod talia tantaque contra Christum excogitata tantaque cum crudelitate patrata sint. Sed Christi mors a Deo et a diabolo fuit, sicut percussio Iob et persecutio Ioseph quam passus a fratribus fuit. [519] Sic impius iste Nabuchodonosor irae et furoris fornacem accendi fecit septuplum quam accendi consueverat, videns quod Christus peccati statuam adorare nolebat, [520] imo vindicatur ipse hodie de Christo, eo quod in deserto victus ab eo fuit [521] a multisque obsessis corporibus eiectus. [522]

Sic passio et mors Christi a Deo et a diabolo fuit.

XXXIII. *Exivit ergo Iesus* foras *portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo*, etc. [523] Eduxit Pilatus Christum foras ad populum putans sic posse eum a morte liberare. Nam eo male tractatus Christus erat, quod saxea adamantinaque corda eo spectaculo emoliri frangique poterant. Hinc ait: *Ecce homo ;* verba quidem quae per os eius Spiritus Sanctus protulit, sicut per os Caiphae dixit: *Expedit . . . ut unus*, etc. [524]

Pilatus populo Christum ostendit putans nunc posse eum a morte liberare.

Ecce homo, qui solus hominis meretur nomen; *homo* vere et perfectissime ad imaginem Dei ipsius Dei manu formatus; [525] *homo* compendium universi, in quo etiam omnis plenitudo divinitatis inhabitat; [526] *homo* princeps universi, sub cuius pedibus omnia posita sunt, [527] unde etiam Pilatus ait: *Ecce rex vester;* [528] *homo* perfectissimus in statu innocentiae, gratiae, gloriae super omnes homines et Angelos, sicut sol super astra, sicut Deus super omnia creata.

Ecce homo! Christus homo est vere singularis,

Sed sicut in innocentia, gratia et gloria excedere omnes homines voluit, ita etiam in passionibus et poenis omnes Martyres, ut esset caput Martyrum, sicut caput innocentum, caput Sanctorum et caput Beatorum. Hinc ipse homo ille est apud Ezechielem habens

qui omnes excedit gratia et gloria, passione et poenis;

519) Cf. Gn 37, 4-28. 520) Cf. Dn 3, 16-19. 521) Cf. Mt 4, 1-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-13. 522) Cf. Mt 4, 24; 8, 16. 28-32; 12, 22; 15, 22-28; 17, 14-17; Mc 1, 23-34; Lc 4, 41; 6, 18; 7, 21; 8, 2. 27-39. 523) Io 19, 5. Vulg.: *Coronam spineam*, etc. *Foras* lect. cod. 524) Ibid. 11, 50. 525) Cf. Gn 2, 7. 9. 526) Cf. Col 2, 9. 527) Cf. Ps 8, 8. 528) Io 19, 14.

non solum caput hominis, sed etiam vituli, leonis, aquilaeque,[529] ubi quattuor naturae humanae status designantur in Christo,[529*] qui homo ille est eidem V a t i in ignis specie visus in coelo supra sapphirinum solium sedens; rotae autem quattuor iuxta quattuor capita omnem in Christo tum internam tum externam perfectionem in quattuor hisce statibus designant; hinc erat rota intra rotam.[530]

verus homo simillimus Deo

Ecce homo, verus homo, verum habens corpus humanum et animam, veram carnem et spiritum, vere animal rationale, in cuius intellectu *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[531] Dei; quare *homo* est per singularissimam antonomasiam, *homo* secundum cor Dei, simillimus Deo.

qui nobis hodie inspiciendus proponitur non in statu innocentiae, sed poenae.

Sed homo iste proponitur nobis hodie considerandus et inspiciendus non in statu innocentiae, ut Adam in paradiso ante peccatum,[532] sed in statu poenae, sicut [Adam] extra paradisum post peccatum, quando dicitur ei: *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae; spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*[533]

haec enim omnia pati voluit ut solveret debitum nostrum:

Haec omnia pati voluit Christus, quoniam suscepit solvendum debitum Adae peccati ac si ipse debitum hoc contraxisset, ac si ipse peccasset. Videmus Adam indutum pelle mortui animalis,[534] Christum in carne mortali et iamiam mortis sententia damnandum moxque moriturum. Sic enim et tabernaculum Domini pellibus animalium mortuorum rubricatis operiebatur,[535] ad designandum martyrium mortemque Christi per sanguinis effusionem.

spectaculum vere mirandum, nam nullus hominum unquam talia passus est.

Ecce homo flagellatus, ligatus et spinis coronatus. O spectaculum, o flagella, o vincula, o spinae! Quis unquam hominum talia passus est? Dum se Christus populo hodie in tali forma ostendit, universo populo vult utique dicere: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus,*[536] si quis unquam gravius atro-

529) Cf. 1, 5-10. 529*) Idest status innocentiae in paradiso, status miseriae in mundo, status gratiae in Ecclesia, status gloriae in coelo. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, Feria Sexta Dom. Passionis, pag. 495. 530) Cf. Ez 10, 1 sqq. 531) Col 2, 3. 532) Cf. Gn 2, 15. 533) Ibid. 3, 17-19. Sic legitur vr. 19 in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, *tuo* expunctum fuit. 534) Cf. ibid. vr. 21. 535) Cf. Ex 26, 14; 36, 19. 536) Thr 1, 12.

ciusque martyrium passus est! Hinc foras egreditur ut omnes videant tale spectaculum. *Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem* spinarum diademate coronatum.

XXXIV. *Exivit... foras portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Exivit* non coacte, sed voluntarie talem tantamque passurus ignominiam. *Exivit... foras,* extra praetorium, ut terra coelumque et homines et Angeli spectaculum istud viderent. *Ecce homo,* ait, sicut postea dixit: *Ecce rex vester.* Sic etiam Christus in spiritu Patri se ostendit dicens: *Ecce homo:* Vide, Pater, quaenam tormenta ut homo pro hominibus patior.

In tali tantaque ignominia Christus se ostendit in spiritu Patri

Sed et hominibus loquitur dicens: *Ecce homo:* Vide, considera quae pro te patior. Vide, quaeso, quisnam est qui patitur, quaenam patitur, a quibus, quomodo, ad quid, pro quibus, quo loco, quo tempore. Sunt quidem haec ineffabilia et inexplicabilia linguis tum humanis tum angelicis. Hic enim liber est septem sigillis signatus, quem nemo aut in coelo aut in terra repertus est qui posset aperire eiusque signacula solvere, nisi ipsemet agnus, qui passus et occisus est. [537]

et hominibus.

Is qui patitur agnus est leoque. Sic enim I o a n n e s quem prius *agnum* dixit, post apertum librum vocat *leonem: Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* [538] Leo ille, de quo scriptum est: *Leo rugiet, quis non timebit?* [539] *Leo de tribu Iuda,* nam et Iudas dictus fuit *leo: Ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo et sicut leaena;* [540] *leo... radix David,* de quo scriptum est: *Fortissimus ipse cuius cor quasi leonis,* [541] qui leonibus multo fortior erat eosque occidebat [542] tanquam alter Saul. [543] Leo et agnus, o miraculum! Sed agnus habens cornua septem, summam fortitudinem, et oculos septem, summam sapientiam; [544] agnus virtute maior omnibus creaturis coelestibus, terrestribus et infernalibus. Hic est qui patitur: homo divinus, deificatus, factus aequalis Deo; hinc dicitur: *Ecce homo.* Spectaculum infinito miraculo plenum! Hic talis tantusque agnus videtur tanquam occisus. Qualis quantusque sit hic homo nulla vel lingua dicere vel intellectus capere potest, cum in eo inhabitet omnis plenitudo divini-

Multa consideranda sunt: a) is qui patitur homo est,

Deo tamen personaliter aequalis, infinitus magnitudine;

537) Cf. Apc 5, 2-4. 538) Ibid. vr. 5. 539) Am 3, 8. 540) Gn 49, 9. Vulg.: *Quasi leaena.* 541) 2 Rg 17, 10. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Fortissimus quisque,* etc. 542) Cf. 1 Rg 17, 34-37. 543) Cf. ibid. 1, 23. 544) Cf. Apc 5, 6.

tatis sitque Deo personaliter aequalis, unde nec Deus ipse nobis eius personae dignitatem enarrare potest, cum aliud non possit infinitum Verbum producere; verba autem finita infinitam eius magnitudinem capere minime possunt.

b) qualia et quanta patiatur nulla creatura explicare potest;

Qualia vero et quanta patiatur divinus iste homo, si omnes creaturae coeli et terrae linguas haberent unaquaeque mille, nunquam pro dignitate possent explicare. Facilius esset stellas coeli et guttas maris una cum litoris arenis enumerare quam Christi passiones: *Facta est velut mare contritio tua.* [545] Non est quidem Christus passus omnia passionum genera, nam quaedam sunt contrariae, ut comburi igne et praefocari in aqua; neque enim ut Ionas proiectus fuit in mare, [546] neque uti tres pueri in fornacem ignis, [547] neque ut Daniel in lacum leonum; [548] sed maximas gravissimasque passus est, iis quae damnati in inferno patiuntur simillimas.

triplicem enim passionem passus est, sicut damnati in inferno,

Tres enim passiones praecipue damnati in inferno sustinent: primo enim potestati diaboli daemonumque traditi sunt, non quidem sicut Iob ex parte, sed simpliciter; secundo, nullam penitus habent vel minimam consolationem, unde epulo nec guttam aquae obtinere potuit; [549] tertio, in omnibus membris poenas patiuntur, sicut epulo totus cruciatur in flamma.

traditur enim potestati tenebrarum,

patitur absque ulla consolatione, in omnibus potentiis animae internis et externis

Sic Christus primo quidem, traditus est potestati tenebrarum; nam: *Haec,* inquit, *est hora vestra et potestas tenebrarum.* Sic a Iuda traditus est Iudaeis et a Iudaeis Gentibus, ut facerent in eum quaecunque vellent. Secundo, in sua passione nullam penitus recepit consolationem: *Consolantem me quaesivi et non inveni,* [550] unde clamavit: *Deus... Deus meus, ut quid dereliquisti.* [551] Tertio, passus est in omnibus membris corporis et in omnibus potentiis animae internis atque externis. Passus est enim in anima maximum dolorem: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* [552] in inferiori quidem portione *coepit pavere et taedere,* [553] *contristari et moestus esse;* [554] in superiori vero calicem amarissimum doloris ob Patris offensam: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* [555] Hic enim summam sensit tristitiam,

545) Thr 2, 13. 546) Cf. Ion 1, 15. 547) Cf. Dn 3, 19-22. 548) Cf. ibid. 6, 16; 14, 30. 549) Cf. Lc 16, 24-25. 550) Ps 68, 21. Cf. S. Gregorius M. *Antiphonarius,* (P. L. 78, 673); Missale Rom., *Offert.* Missae Dominicae in Ramis. 551) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 552) Mt 26, 38; Mc 14, 34. 553) Mc 14, 33. 554) Mt 26, 37. 555) Ibid. vr. 39.

non quidem ab obiecto, cuius intuitu erat beatus, sed ratione obiecti videns Deum innumeris gravissimisque peccatis offensum; quare dolor commensurabatur amori. Passus fuit in concupiscibili sitim, in irascibili pavorem ac taedium, in rationali tristitiam de percussione pastoris et ovium dispersione. Passus in oculis velamen et lacrimas seipsumque videre in manibus inimicorum eosque videre sibi illudentes ac de ipsius malis gaudentes; in auribus audire blasphemias, probra et falsas criminationes; in naribus foetorem sputorum nec non et mortuorum in Calvaria; in gustu amaritudinem fellis et vini myrrhati; in tactu per totum corpus mille dolores: in capite spineam coronam, in facie alapas et colaphos, in humeris crucem, in brachiis vincula, in manibus et pedibus clavos, in latere lanceam, in toto corpore extrinsecus flagella et intrinsecus in venis totius sanguinis effusionem primo in horto, postea in flagellatione, tertio in coronatione et tandem in crucifixione.

et in omnibus membris corporis;

Et haec quidem omnia cum suapte natura gravissima sint, multo sunt graviora si modum consideremus quo passus haec omnia est. Nam passus haec iniustissime est, cum esset innocentissimus, sed passus est summa cum ignominia et infamia tanquam scelerosissimus latro et vir omnium malorum infamiumque pessimus. Et adhuc absque ulla pietate aut compassione, sed summa cum crudelitate. Deinde, Christi complexionem nobilissimam ac delicatissimam carnemque tenerrimam summa sensuum interiorum et exteriorum vivacitate praeditam, unde singulas integre percipiebat poenas ac passiones ac si singillatim singulas pateretur.

c) patitur omnia crudelissima et ignominiosissima,

Et tandem, quod summe patientum solet animos excruciare, patiebatur immeritus, imo pro benefactis, videns sibi reddi mala, imo pessima, pro bonis summisque beneficiis ab iis a quibus summe venerari, amari et coli debuisset.

et tamen immeritus, imo pro ipsis beneficiis;

Patitur autem non ab uno aut ab altero, sed ab omni genere personarum. Patitur a capite synagogae, Caipha pontifice, et a capite gentilitatis, a Pilato, qui personam tenebat romani imperatoris, etc.

d) patitur ab omni personarum genere,

Patitur etiam pro omnibus, quia *Iesus moriturus erat pro gente,* [556] et *non pro nostris . . . tantum* peccatis, *sed etiam . . . totius mundi,* [557] unde summum necesse fuit eum pati dolorem summamque afflictio-

et pro omnibus qui peccaverunt,

556) Io 11, 51. 557) 1 Io 2, 2.

nem; faciendi enim erant illi digni poenitentiae fructus:[558] *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum,*[559] ac si ipse totius mundi peccata commisisset, et pro omnibus illi satisfaciendum erat solvendaque debita omnia, ac si ipse ea contraxisset. Et sicut maioribus debitis oneratus maiori opus habet thesauro, sicut etiam iuxta mensuram delicti necesse est ut sit plagarum modus,[560] sic qui maiora commisit peccata, conversus ad Deum maiori opus poenitentia habet; sic enim docuit Ioannes Baptista dicens: *Facite... dignos fructus poenitentiae.*[561] Quare sicut Christus omnia totius mundi super se peccata suscepit, ut pro omnibus divinae iustitiae satisfaceret, adeo ut secundum mensuram delicti esset et plagarum modus, summum in anima sua suscepit dolorem, summam in corde contritionem, adeo ut maior nullo pacto esse posset, sicut nec eius gratia atque caritas, et in corpore summam passionem, summam poenam summumque dolorem: Sic: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum... cuius livore sanati*[562] sumus.

suscepit enim omnia peccata totius mundi, ut pro omnibus satisfaceret;

Ratione etiam loci summa fuit Christi passio. Non enim passus fuit in aliquo vico, sicut natus in Bethlehem,[563] sed in Ierusalem, civitate metropoli totius regni Iudaeorum, ubi summo cum stupore summa fuerat operatus miracula, ubi summa cum admiratione praedicaverat, ubi sexto ante die summo fuerat cum honore tanquam verus Messias ab universo populo susceptus, acclamantibus omnibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;*[564] *Hosanna in excelsis;*[565] nunc autem ab omnibus iisdem petitur ut crucifigatur.

e) maxima fuit Christi poena etiam ratione loci, nam passus est in civitate metropoli.

Et passus Christus multis in locis est: primo, in horto tristitiam mortalem cum sanguineo sudore ac tandem ignominiosam comprehensionem; secundo, in domo Annae novam vinculationem, missionemque ad summum pontificem; tertio, in domo Caiphae iniquam sententiam, alapae percussionem, iniustam examinationem ac tandem delusionem; in domo Pilati et Herodis iterumque Pilati ac tandem in Calvaria acerbissimas poenas et turpissimam mortem.

in horto, in tribunalibus, in praetorio, in domo Herodis, in Calvaria;

Ratione etiam temporis quo passus est, summa fuit passio Christi. Passus est enim in paschali solemnitate, cum ex universo

558) Cf. Mt 3, 8; Lc 3, 8. 559) Is 53, 6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo, iniquitatem*, etc.
560) Cf. Dt 25, 2. 561) Lc 3, 8. Vulg.: *Fructus dignos*, etc. 562) 1 Petr 2, 24.
563) Cf. Mt 2, 1; Lc 2, 4-7. 564) Io 12, 13. 565) Mc 11, 10.

f) ratione temporis, in solemnitate paschali, coram infinita multitudine;

Iudaeorum regno infinita hominum multitudo ac ex toto pene mundo homines Ierusalem concurrebant; Iudaei enim omnes ex legis praecepto tenebantur.[566] Quare coram tali ac tanta multitudine talia ac tanta pati Christum ab universa Iudaeorum republica, quae talis ac tanta erat magnaque in existimatione iustitiae ac sanctitatis habebatur, summa fuit innocentissimo Christo afflictio, sicut summa ignominia atque infamia maxima, cum damnatus esset nedum acerbissimo, sed etiam turpissimo mortis genere et ignominiosissimo.

g) ratione diuturnitatis, idest a primo sero post coenam usque ad horam nonam diei sequentis;

Fuit etiam admodum Christi passio diuturna, nam coepit a primo sero, cum post coenam *coepit pavere et contristari* et per tres horas prolixa habita oratione ad Patrem, factus in agonia sanguineum effudit sudorem. Deinde comprehensus et ad pontifices ductus per totam noctem multa passus est in domo Caiphae. Prima autem diei hora ab universo concilio reus mortis iudicatus, ductus est ad Pilatum; hora diei tertia flagellatus et spinis coronatus fuit; hora sexta damnatus ad mortem baiulans sibi crucem ductus cum latronibus ad Calvariam fuit ibique crucifixus, et tandem hora nona felle potatus efflavit summo cum dolore animam.

h) ratione finis, nam ut nobis mereretur infinitam gloriam oportuit illum pati infinitas poenas.

Tandem, ratione finis maxima summaque fuit Christi passio. Siquidem passus est ut nos ab aeterna morte poenisque inferni liberaret vitaque perpetua et sempiterna gloria paradisi donaret, felici illa quidem ac beatissima; quare necesse fuit ut Christi passio proportione responderet infinitis poenis inferni infinitaeque gloriae paradisi, pretiosissima enim merces nonnisi magno pretio emi ratione iustitiae potest. Sic passus est Christus, uti diximus,[567] tres maximas poenas ratione ac proportione respondentes tribus poenis quas in inferno patiuntur damnati: poenam sensus, poenam damni et daemonum potestatem.

Hinc sicut omnes superavit gratia et gloria, ita et superavit passionibus.

Quare his omnibus rationibus, sicut in statu innocentiae, gratiae et gloriae omnes longissimo intervallo excessit innocentes, Sanctos ac Beatos, sicut sol lumine vincit omnia astra, ita quoque in statu poenae ac passionis aequa lance superare omnes homines omnesque Martyres voluit, ut sicut una solis lux omnia simul astrorum omnium lumina superat, ita una tantum Christi passio omnes Martyrum passiones tormentaque omnia superaret.

566) Cf. Dt 16, 5-16. 567) Cf. supra pag. 316.

Ecce homo! Purpureum vestimentum designat martyrium corporis, spinea corona martyrium animae.

XXXV. *Ecce homo! Ecce homo* totus sanguinea purpura, quae martyrii insigne est, indutus et spinea corona, quae typus est mentalium afflictionum, coronatus. Purpureum vestimentum designat martyrium carnis et corporis, spinea vero corona in capite, ubi cerebrum est mentisque ac rationis praecipua sedes, martyrium animae. *Ecce homo,* sicut anima et corpore, carne et spiritu, sensu et ratione constans, ita interiori et exteriori corporis et animae, carnis et spiritus passionibus summis affectus: *Repleta est malis anima mea.* [568] *Intraverunt aquae usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi et non est substantia. Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me... Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste; quae non rapui tunc exsolvebam.* [569] *Aquas* vocat passiones suas, sicut alibi: *Transivimus per ignem et aquam,* [570] hae sunt amarissimae aquae Mara; [571] sed *aquas* vocat internas spiritus afflictiones, *limum profundi* externos carnis dolores, ubi *non est substantia,* idest firmus standi, subsistendique locus; *mare* vero tumultuantem populum Iudaeorum, nam aquae multae populi multi. [572]

Turbae videntes Iesum clamant petentes ut Barabbas dimittatur, Iesus vero crucifigatur,

Flante vento diabolicae instigationis malorumque spirituum per ora pontificum et Pharisaeorum, orta est magna in mari isto tempestas, magnus populi contra Christum tumultus, ad persuasionem pontificum et sacerdotum *ut Barabbam peterent, Iesum vero perderent.* [573] Hinc videntes Iesum a Pilato foras eductum, sanguine totum ob flagella dira respersum, spinis coronatum et in derisum purpura indutum, nihilo eorum animi mitiores facti fuere, sed multo ferociores ad instar canum qui, gustato sanguine, multo fiunt in feram crudeliores. Quare clamaverunt omnes: *Tolle, tolle, crucifige eum.* [574]

et tumultus magis crescit, quousque Iesus traditur voluntati eorum,

Istud est mare Ionae, quod nunquam a tempestate et procellis quievit, sed semper magis ac magis intumescebat, quousque Ionas proiectus in illud est. [575] Sic populus Iudaeorum hodie semper magis ac magis tumultuatus est, usquequo Iesus a Pilato traditus est *voluntati eorum.* [576] Ecce tumultus: *Cum vidissent ergo eum pontifices et*

568) Ps 87, 4. 569) Ps 68, 2-5. 570) Ps 65, 12. 571) Cf. Ex 15, 23. 572) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, Sabbato post Cineres, pag. 160, not. 64. 573) Mt 27, 7. Vulg.: *Ut peterent Barabbam*, etc. 574) Io 19, 15. 575) Cf. Ion 1, 1 sqq. 576) Lc 23, 25.

ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. [577] Ecce Moyses virga bis petram percutiens: *Crucifige, crucifige eum.* Sic inquit Dominus: *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, facta est hereditas mea mihi quasi leo in silva.* [578]

et causam afferunt qua mori debet: *Quia Filium Dei se fecit.*

Coeperunt autem pontifices clamare timentes ne populus, commiseratione ad tam horrendum spectaculum commotus, Christum liberaret, videntes forte populum ad id propensum. Quare sibi valde timebant ne liberaretur Iesus, unde postea populus, qui erga Iesum bono affectus animo erat, memor iniuriarum Christi, sumeret de eis, qui in causa fuerant, condignam vindictam. Hinc primi clamant: *Crucifige, crucifige eum.* Bene coepisti, perge, perge, iam eum flagellasti, convenit flagellato tanquam infami crucifixio. Pilatus autem, qui sicut Darius Danielem Christum liberare volebat, [579] videns se sua spe et expectatione frustratum, indignatione commotus dixit eis: *Accipite eum vos et crucifigite, ego enim non invenio in eo causam.* At illi responderunt: *Nos legem habemus et secundum legem* nostram *debet mori, quia Filium Dei se fecit.* [580] Si, inquiunt, tu, Pilate, secundum Romanorum leges non invenis in eo mortis causam, invenimus nos secundum legem nostram, *quia Filium Dei se fecit,* divinam sibi dignitatem usurpavit.

Haec est vera causa mortis Christi, quia Filius Dei erat, ideo solus poterat morte sua mundum salvare.

XXXVI. Et quidem verba haec a Spiritu Sancto per eorum ora prolata sunt, sicut verba Caiphae. [581] Verum enim est quod Christus secundum legem mori debebat et sacrificari, sicut alter Isaac. *Quia Filium Dei se fecit.* Non inquiunt: Se dicit, sed: *Se fecit,* opere se talem factisque exhibuit et demonstravit, et quia Filius Dei erat, ideo secundum legem mori debebat, quia de rigore iustitiae solus Filius Dei sua morte mundum salvare poterat.

Haec audiens Pilatus magis timet, putans Christum filium alicuius deorum Gentilium,

Pilatus vero, audito hoc sermone, *magis timuit. Et ingressus est praetorium iterum et dicit ad eum : Unde es tu ?* [582] Putavit Pilatus, vel saltem suspicatus fuit, Iesum filium alicuius Gentilium deorum esse, puta Saturni, Iovis, Neptuni, Plutonis, vel cuiusvis aliorum.

577) Io 19, 6. Vulg.: *Cum ergo vidissent eum*, etc. 578) Ier 12, 7-8. Vulg.: *Facta est mihi hereditas*, etc. 579) Cf. Dn 6, 14. 580) Io 19, 6-7. *Nostram* lect. cod.
581) Cf. ibid. 11, 51-52. 582) Ibid. vrr. 8-9. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Et dixit.*

Quare veritus est ne forte non solum in innocentem hominem peccasset, sed etiam in Dei Filium, unde illum postea Deum sibi iratum haberet. Fuit autem timore perculsus Pilatus audiens Christum Filium Dei se fecisse, quoniam primo quidem, eum innocentem noverat; deinde, miram quandam ac superhumanam in eo mansuetudinem et patientiam in ferendis iniuriis falsisque criminationibus expertus erat una cum magna tum prudentia tum modestia in respondendo; tertio, quoniam ex ipsius ore audierat eum habere regnum, sed non in hoc mundo; quarto, quoniam ipsius uxor miserat ad eum dicens multa se per visum passam propter eum; quinto, reputabat secum mira ac superhumana opera quae de illo audierat; et tandem, quia apud ethnicos fuerat poetarum fabulis proditum multos semideos deorum coelestium ex terrenis mulieribus natos.[583]

hinc iterum eum interrogat, sed Christus non respondet.

Hinc iterum coepit Christum interrogare de eius progenie, cuiusnam filius esset, quinam eius essent parentes. Sed Iesus[584] responsum non dabat ei, sed tanquam mutus et elinguis tacebat.[585] Nec immerito tacuit Christus. Primo quidem, quoniam ex errore et falsa opinione timore fuerat perculsus praeses; secundo, quia ex responsis Christi in primo examine scire poterat unde erat cum ait: *Regnum meum non est de hoc mundo. Ego autem ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum*, etc.; tertio, ne videretur mortem se velle effugere, et quarto, ne multo gravius peccaret Pilatus damnans eum sciens quod tandem caeco Iudaeorum furori consensurus erat annuens petitioni eorum; quinto, quia, audita prius veritate a Christo, spreverat eam, et sexto, quia mysteria divinitatis Christi non superbis, sed humilibus corde revelanda sunt,[586] Pilatus autem non tanquam humilis ad salutem suam hoc exquirebat, sed tanquam superbus iudex. Unde contemni se arbitratus quia Christus responsum non dabat ei, indignatione plenus, magna cum superbia et arrogantia suam auctoritatem dignitatemque Christo opponit dicens: *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te?*

583) Cf. Homerus *Hymni in Deos*, Opera Omnia, vol. 2, pag. 749-859; Hesiodus *De Generatione Deorum*, vrr. 36 sqq.; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 2, pag. 64-158.

584) Ms.: *Iesum*. 585) Cf. Io 19, 9. 586) In margine haec adiecta fuerunt: « Tacuit item Christus non solum ne sanctum daret canibus et margaritas ante porcos proiceret, sed ut ostenderet ineffabilem esse suam originem: *Generationem eius quis enarrabit?* quam nec Angeli pro dignitate capiunt ».

Tunc Christus: *Non haberes*, inquit, *potestatem adversum me ullam, nisi tibi desuper datum esset. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* [587]

XXXVII. Summa cum ratione Christus nunc silet, nunc loquitur. Tacet ne videatur mortis quaerere effugium ac si ut ceteri homines invitus moreretur. Ob id tacuit coram Caipha, coram Herode et coram Pilato. Loquitur autem ne videatur nihil habere quo se defendat et accusatores iudicesque possent suo sceleri ignorantiam praetexere innocentiae ipsius, et quod tacens vera confirmasset crimina sibi obiecta. Sic respondit Caiphae interroganti eum de doctrina sua, sic Pilato interroganti num esset rex Iudaeorum.

Tacet Christus ne videatur mortem fugere velle, loquitur autem ne videatur reus esse,

Sicut autem a Caipha adiuratus, ob divini Nominis reverentiam respondit, ita nunc Pilato respondet ad reprimendam eius ignorantiam, summa tamen cum modestia et mansuetudine. Non enim ipsum arguit, ut poterat, dicens: Tuomet te ore iudicas, Pilate. Si enim potestatem habes dimittere me, cur, cum innocentem me noveris et pluries meam innocentiam testatus fueris, non liberum dimittis? Quare non pro aequitate et iustitia iudicas, sed tua abuteris potestate, ut latronem seditiosum et homicidam insignem dimiseris in gratiam Iudaeorum et me innocentem flagellaveris diris flagellis spinisque coronaveris? Sed nihil horum. Summa cum modestia et mansuetudine pro Dei gloria et veritate loquitur: *Non haberes in me potestatem*, idest auctoritatem quam dominus habet in servos, rex in subditos, iudex in reos, *nisi tibi datum esset desuper*, idest a Deo, qui in coelis desuper est, quoniam omnis potestas a Domino Deo est et *qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* [588] Quantuscunque, inquit, sis praeses et personam hic Caesaris teneas, habens super omnes Iudaeos regiam et iudiciariam potestatem, in me tamen nullam haberes, nisi speciali Dei ordinatione concessa tibi potestas haec esset et permissus tantus huiusce potestatis abusus. Nam potestas quidem bona et a Deo est, sicut et potestas quam diabolus ad tentandum habet; hinc dicitur quod spiritus Domini malus agitabat Saul; [589] diabolus enim quatenus spiritus, Dei creatura est, Domini est, et omnis naturalis potestas, virtus et operandi facultas bona est, sed usus malus,

et Pilato arroganter auctoritatem suam opponenti mansuete respondet ad reprimendam illius ignorantiam,

587) Io 19, 10-11. 588) Rom 13, 1-2. 589) Cf. 1 Rg 16, 14.

quia ad malum semper ea utitur. Sic usus huius potestatis in Christum malus et a diabolo fuit. Ait igitur: *Non haberes in me potestatem*, idest iudicandi auctoritatem, quia Dei Filius innocens sum, neque vim crucifigendi, quia creaturis omnibus fortior sum.

et etiam ut ostendat se nullum crimen commisisse unde iudicaretur,

Quare verbis hisce Dominus ostendit se nullum habere crimen unde iudicaretur, sed tantum ex divina ordinatione pati quae patitur. Quoniam vero, inquit, etsi potestate tibi a Deo tradita tu male abuteris, unde magnopere peccas, tamen *qui me tradidit tibi maius peccatum habet*, populus, inquam Iudaeorum et magistratus. Nam tu quidem ex infirmitate peccas, illi autem ex deliberata malitia. Siquidem propterea me tradiderunt tibi, quia tu potestatem habes quam iudex habet in eos, nec qualemcunque habes potestatem, sed supremam crucifigendi et extremum maximumque supplicium inferendi; ideo magis quam tu peccaverunt, quia tu potestatem habes in reos. Unde primo quidem graviter meam laeserunt innocentiam, honorem et famam, quam si tu talem non habuisses potestatem, sed tyrannus quidam iniustus fuisses, aut meus magnus inimicus ut me ex privato odio occideres; sed tradiderunt me tibi ut tanquam scelerosum iudiciaria potestate punires, nec qualicunque poena, nam et ipsi nonnullis potuissent [590] poenis secundum eorum legem punire, sed ut me interficeres, quod ipsi non possunt, tu autem ex potestate potes; nec ut qualicunque me morte afficeres, sed acerbissima ac turpissima mortis cruce. Propterea ergo peccatum eorum maius est tuo hoc tuae potestatis abusu, quia ex malitia tradiderunt me habenti talem tantamque potestatem.

ideo valde peccare iudicem qui ipsum damnaret, et magis qui iudicem ad hanc iniustam sententiam impellerent.

Hac responsione commotus Pilatus iterum quaerit dimittere innocentem,

XXXVIII. Pilatus vero, auditis his Christi verbis, magis magisque quaesivit ipsum dimittere, quoniam ex his magis cognovit Christum inique sibi traditum, unde cognovit se inique valde acturum si inique traditum damnaret; quare egressus ad populum dimissurum se dixit Christum tanquam inique sibi traditum. At Iudaei Pilatum audientes, ad pristinam revertuntur accusationem usurpati regni contra Romanorum leges aiuntque: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari:* [591] reus, inquiunt, laesae maiestatis apud Caesarem accusaberis, si huic faves

590) Ms.: *Potuisset*. 591) Io 19, 12.

qui regnum sibi Iudaeorum contra Caesarem insurgens temere usurpavit.

Pilatus autem hoc iaculo perfossus et homines magis quam Deum timens, deposito divinitatis Christi timore tutelaque eius innocentiae, huic tandem oppositioni succumbit et sibi consulens furori Iudaeorum cedit dicens in corde suo veluti alter Caiphas: *Expedit ut unus moriatur homo* quam ut tota gens tumultu et commotione facta, in me insurgat. Consuluit sibi humana quadam diabolicaque prudentia Pilatus intra se dicens: Ex duobus malis minus est eligendum. Hic quidem homo innocens est. Si eum damnem, quamvis innoxium, nullum tamen mihi inde malum evenire potest, nullum instat periculum. At si hunc dimitto, vel populus hic commotione facta in me insurget, vel saltem implacabili me odio persequentes apud Caesarem suis delationibus, et Caesaris gratia et functione privabor. Sic enim multi apud Caesares falsi licet criminis delatione ob invidiam misere sunt periclitati. Quare, nil mutata opinione innocentiae Christi, sed contra conscientiam voluntate mutata, deserit studium liberandi Christum damnandumque ad iudicii locum adduci iubet.

sed Iudaeorum furori tandem cedit ut sibi consulat et contra conscientiam Christum damnare decernit.

Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit Iesum foras et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve . . . hora quasi sexta. [592] Describit Evangelista locum et tempus quo in Christum lata fuit mortis sententia. Locus erat extra Pilati praetorium, in aperto publicoque loco positus, lapidibus quidem ad perpetuitatem et ornatum stratus, unde graece dicitur *Lithostrotos*, idest lapidibus stratus; eratque solium elevatum et excelsiori loco positum, unde hebraice dicitur *Gabbatha*, a celsitudine. Sic ille, qui visus Isaiae fuit sedens super solium excelsum et elevatum seraphicis spiritibus circumdatus laudibusque celebratus, [593] nunc coram impio tribunali sistitur, ministris et satellitibus circumdatus.

Describitur locus ubi contra Christum lata fuit sententia mortis,

Hora autem erat *quasi sexta*, prope meridiem, appropinquante sole ad summum coeli verticem. Dies autem erat parasceve, dies ante sabbatum, cum praeparabantur quae necessaria erant pro die sabbati; dies sextus, quo homo creatus fuit et in paradiso positus,

et tempus.

592) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Adduxit foras Iesum*, etc.

593) Ms.: *Circumdatum... celebratum.*

quia forte eodem die eademque hora peccavit.[594] Quod si Marcus ait hora tertia Christum crucifixum fuisse,[595] forte scriptorum vitio mutatum fuit graecum *episemum* ϛ in *gamma* γ;[596] vel sicut nox dividebatur in quattuor vigilias, ita et dies in quatuor principales partes per ternas horas, sicut noctis vigiliae, quod insinuare videtur Domini parabola, cum dicitur quod paterfamilias egressus fuit hora prima, tertia, sexta et nona.[597] Sic enim idem erit quod Marcus ait et quod Ioannes; nam si erat fere sexta hora, nondum erat sexta, sed tertia; vel forte si non horae diei sic erant divisae, orationis horae in templo hanc partitionem habebant, nam legimus Petrum et Ioannem ascendisse in templum *ad horam orationis nonam,*[598] et: *Ascendit Petrus circa horam sextam ut oraret.*[599] Quare distinguebantur horae diei ab horis orationis. Hinc saepe legimus: *Cum sit hora diei tertia;*[600] *Vidit . . . quasi hora diei nona.*[601] Sic Ioannis 1 dicitur hora diei decima[602] et Ioannis 4: *Heri hora septima reliquit eum febris.*[603] Quare Evangelistae tractantes sacram Christi passionem, magis horis sacris orationis et templi uti voluerunt quam communibus horis diei. Nam orationis horae notissimae tunc erant christianis, qui tunc orationi nimium dediti instantesque erant.

Pilatus iterum Iudaeis Christum ostendit, non ut eos ad pietatem commoveret, sed ut eorum calumniam irrideret;

XXXIX. Et dicit eis Pilatus: *Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.*[604] Iterum Christus populo ostenditur tanquam horrendum spectaculum omnibus inspiciendum. Non tamen ea nunc mente, qua prius, populo ostendit Pilatus dicens: *Ecce rex vester;* non ut miserabili Christi spectaculo Iudaeos ad pietatem et miserationem commoveret, sed ut ostenderet se eorum contemnere calumniam, qua dicebant se Caesaris non esse amicum si hunc dimitteret. Irridet ergo Pilatus eorum calumniam ironice forte Christum regem appellans, vel forte vere alludens ad factum diei palmarum, quando a populo Christus rex acclamatus fuit. Illi autem

594) Cf. Gn 1, 27 sqq.; 2, 15-16; 3, 6. 595) Cf. 15, 25. 596) S. Hieronymus etiam ait errorem contigisse ex affinitate notarum ternarii et senarii, quarum una pro alia irrepserit; Graecis enim γ est nota ternarii, ϛ vero senarii. *Breviarium in Psalmos,* ps. 77, (P. L. 26, 1046). Cf. etiam S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 46, a. 9, ad 2. 597) Cf. Mt 20, 3-5. 598) Act 3, 1. 599) Ibid. 10, 9. Vulg.: *Ut oraret circa horam sextam.* 600) Ibid. 2, 15. 601) Ibid. 10, 3. 602) Cf. vr. 39. 603) Vr. 52. 604) Ibid. 19, 14-15.

una voce clamitant omnes: *Tolle, tolle, crucifige eum,* summa cum impietate et turpissima impudentia, quam merito Pilatus exprobrat dicens: *Regem vestrum crucifigam?* Cur, inquit, non vestro saltem consulitis honori, ne saltem ad perpetuam vestram ignominiam dicatur regem Iudaeorum crucifixum esse? At illi: *Non habemus,* inquiunt, *regem nisi Caesarem.* [605] Sic nunc multo verius Deum Christum eius abiecerunt ne regnaret super eos, quam tempore Samuelis, cum petierunt regem. [606]

et abluit manus;

Tunc *Pilatus videns quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius; vos videritis.* At illi clamabant, *universus populus,* dicens: *Sanguis eius super nos et super filios nostros.* [607] Ablutione autem manuum Pilati significatum est auferri a populo gentili ultionem sanguinis Christi, imprecationem Iudaeorum permansuram in populo hebraeo, sicut ad hunc usque diem manet. Unde Isaias causam reddens destructionis regni eorum et miserandae huius captivitatis ait: *Manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* [608] Sic factus illis est Christus in *lapidem offensionis et petram scandali,* [609] positus eis in ruinam: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes.* [610] Hodie enim Christus a Iudaeis reprobatus fuit, nam ut Christum perderent, Barabbam seditiosum, latronem et homicidam salvare voluerunt. Reprobant Christum et eligunt antichristum, reprobant Deum et eligunt diabolum, reprobant omne bonum et eligunt omne malum. Sic faciunt quicunque mammonae, [611] mundo, carni, diabolo, peccato et suis vitiis servire potius volunt quam Deo; [612] eligunt Barabbam ut Christum perdant.

ablutio haec mystice significat electionem populi gentilis et reprobationem populi hebraici,

qui Christum reiecit et in sui ruinam Barabbam elegit.

XL. *Tunc ergo tradidit illis Iesum ut crucifigeretur.* [613] Pilatus tandem, ut populo satisfaceret, dimisit illis Barabbam et contra Iesum protulit mortis sententiam; timens enim ne Caesaris gratiam perderet *adiudicavit fieri petitionem eorum* et *tradidit Iesum voluntati*

Pilatus sententiam mortis in Christum profert,

605) Ibid. vr. 15. 606) Cf. 1 Rg 8, 5-6. In margine haec adiecta fuerunt: « Hodie vere Iudaeorum populus, relicto vero Deo, aureum vitulum adoravit et Nabuchodonosor statuam auream, cum dixit: *Non habemus regem nisi,* etc. ». 607) Mt 27, 24-25. Vulg.: *Videns Pilatus,* etc. 608) 1, 15. 609) Ibid. 8, 14; Rom 9, 33. 610) Ps 117, 22; 1 Petr 2, 7. 611) Ms.: *Potius* hic ponitur, quod postea repetitur. 612) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 613) Io 19, 16. Vulg.: *Tradidit eis illum ut,* etc.

postquam pluries eius innocentiam testatus est.

eorum.[614] Profert contra innocentem mortis sententiam, cum tamen eius innocentiam cognovisset testatusque ipse pluries publiceque fuisset. Nam, cum examinasset eum primo, dixit egressus ad principes sacerdotum: *Ego nullam causam invenio in homine isto.*[615] Secundo, postquam reversus ad Pilatum fuit ab Herode Christus, idem testatus est.[616] Tertio, postquam Barabbam petierunt dimitti, Christum vero crucifigi, dixit: *Quid enim mali fecit iste?* Ego *nullam causam mortis invenio in eo.*[617] Quarto, postquam flagellatus spinisque coronatus fuit Christus, educens eum foras ait: *Ecce adduco . . . eum foras ut cognoscatis quia in eo nullam invenio causam.*[618] Quinto, cum post haec audiens adhuc pontifices populumque clamantes: *Crucifige, crucifige eum,* dixit eis: *Accipite eum vos et crucifigite, ego enim non invenio in eo causam.*[619] Sexto, cum accepta aqua lavit manus suas dicens: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Sex ergo vicibus Pilatus publice est Christi innocentiam protestatus, et tandem profert contra eum mortis sententiam tanquam contra reum, unde in loco ubi rei condemnantur, imo, quod peius est, sciens *quod propter invidiam tradidissent eum*[620] Iudaei et videns inexplebile Iudaeorum odium in Christum, *tradidit* eum[620*] *voluntati eorum.*

Multis de causis sententia haec iniustissima fuit.

Quare multis nominibus fuit sententia haec iniustissima: primo, quia contra innocentem fertur, cuius innocentia constabat; secundo, quia sententia est mortis, quae ultimum est supplicium; tertio, quia non cuiuscunque mortis, sed crucis, quae mors erat acerbissima atque turpissima uti infamium scelestiumque latronum, et quarto tandem, quia occidendus traditur voluntati inimicorum, ut facerent in eum quaecunque vellent, sicut traditur ovis lupis, agnus leonibus, cerva canibus. Profecto si Saul iniuste occidit Achimelec summum sacerdotem,[621] Ioas Zachariam summum pontificem,[622] Pilatus iniustissime Christum occidit. Et si iniuste Naboth tamquam blasphemus iudicatus fuit ut lapidaretur,[623] Daniel ut in lacum leonum proiceretur,[624] tres pueri in fornacem ignis immitterentur,[625] sic iniustissime Christus morti est adiudicatus.

614) Lc 23, 24-25. Vulg.: *Iesum vero tradidit*, etc. 615) Io 18, 38. Vulg.: *Ego nullam invenio in eo causam.* 616) Cf. Lc 23, 16. 617) Ibid. 23, 22. 618) Io 19, 4. Vulg.: *Nullam invenio in eo causam.* 619) Ibid. vr. 6. 620) Mt 27, 18; Mc 15, 10. Vulg.: *Per invidiam*, etc. 620*) Ms.: *Eis.* 621) Cf. 1 Rg 22, 12-28. 622) Cf. 2 Par 24, 20-22. 623) Cf. 3 Rg 21, 1-14. 624) Cf. Dn 6, 12-16; 14, 27-30. 625) Cf. Ibid. 3, 19-22.

Ut autem huiusce mortis sententia ferretur in Christum, in causa fuit pontificum et sacerdotum malitia, populi ignorantia et Pilati fragilitas, nam non ex malitia et odio neque ex ignorantia peccavit, sed ex infirmitate timens Caesaris amittere amicitiam; quae peccata omnia fuere in causa mortis Christi. Nam omne peccatum vel fragilitate committitur, ut fuit Petri peccatum, vel ignorantia ut peccatum Pauli, nam inquit: *Ignorans feci,* [626] vel malitia ut peccatum Iudae. Ex malitia fuit peccatum diaboli, ex ignorantia peccatum Evae, quia decepta fuit, [627] ex fragilitate peccatum Adae, quia: *Mulier quam dedisti mihi.* [628] Quare in primo illo peccato, propter quod damnatus est mundus, tria haec concurrere: malitia diaboli, ignorantia Evae et fragilitas Adami. Sic tria haec in causa sunt mortis Christi.

Causa huius iniquae sententiae fuit malitia pontificum, populi ignorantia, Pilati fragilitas.

XLI. *Iesum . . . tradidit voluntati eorum.* Sic Ionas in mare mergitur a nautis, quamvis quodammodo invitis; [629] sic a Dario, quamvis invito, proiectus fuit Daniel in lacum leonum; sic Christus traditur in manus Iudaeorum, qui veluti rugientes leones erant. O summa iniustitia! *Iesum . . . tradidit voluntati eorum.* In damnatione Christi nullus penitus servatus est, non dicam caritatis, sed nec iuris quidem ordo, nulla iustitiae lex. Non caritatis, quia propter invidiam et odium traditus est in manus Pilati; non iuris, nam ad iuridice damnandum hominem, maxime ad extrema supplicia, necesse est ut constet corpus delicti; cognito autem delicto, ut cognoscatur reus et malefactor, qui delatus sit iudici et notificatus vel per accusationem ab auctore in scriptis prolatam cum testibus, vel per iuridicam denunciationem, vel saltem per infamiam et clamosam insinuationem, aut indicia probabilia, unde iudex officio procedat ad inquirendum reum et, probata veritate infamiae, procedat ad probandam criminis veritatem, ut tandem deprehensus reus et confessus crimen ore proprio vel alieno, modo convictus de crimine, tunc iudex saltem secundum allegata et probata in processu ferat contra reum iuxta legum decreta sententiam. Hic iuris est ordo naturali legi conformis. Pro Christo autem hodie nulla reperitur lex iustitiae. In duobus tribunalibus Christus hodie reus mortis iudicatur: primo, in tribunali Caiphae,

In damnatione Christi nulla servatur caritatis et iustitiae lex,

et tamen damnatur in duobus tribunalibus, sacerdotum et Pilati;

626) 1 Tim 1, 13. 627) Cf. Gn 3, 13. 628) Ibid. vr. 12. 629) Cf. Ion 1, 14-16.

ubi universum concilium protulit contra Christum mortis sententiam, dicentibus omnibus: *Reus est mortis;* et secundo, in tribunali Pilati, qui tandem dedit in Christum mortis sententiam.

in primo, absque ullo delicto et accusationibus etiam falsis;

Sed videamus processus utriusque fori. In primo quidem tribunali fulminatur in Christum mortis sententia, sed absque accusatoribus vel denunciatoribus, absque testibus, absque infamia vel clamosa insinuatione, sed sola fama miraculorum Christi commoti miserunt principes Iudaeorum ad comprehendendum Christum, maxime quia Lazarum suscitaverat,[630] ac si hominem occidisset et maximum laesae maiestatis crimen commisisset. Fuit plane perversus tunc omnis iuris ordo. Prius enim Christum tanquam reum comprehenderunt, et deinde principes ipsi quaerebant contra Christum accusatores,[631] et tandem ipsi iudices facti sunt contra Christum accusatores et actorum partes suscepere. Quare contra omnem iustitiae legem, absque alicuius delicti evidentia et absque ullis vel falsis quidem accusationibus, probationibus et allegationibus, in primo tribunali Christus damnatus fuit.

in secundo, clare cognita et pluries agnita illius innocentia;

In secundo vero adfuere accusatores, ipsi principes sacerdotum qui Christum accusabant in multis.[632] Sed novit ipse Pilatus quod legitimi accusatores non erant, quod propter *invidiam tradidissent eum.* Novit accusationes falsas, nec tamen falsos accusatores poena talionis punivit.[633] Novit Christi innocentiam et pluries confessus fuit se nullam mortis causam invenire in Christo; unde nec ex falsis quidem accusationibus, probationibus et allegationibus damnare eum potuit. Nam si iuxta allegata et probata Christum damnasset, forte excusatus fuisset, quamvis Christi innocentiam cognovisset; sed damnare innocentem, cognita innocentia et absque processu, absque testibus, absque ullis allegationibus et probationibus, profecto iudicium perversum est, contra omnem iuris ordinem, summa iniustitia.

damnatur autem ad poenam omnium maximam et crudelissimam.

Quo autem hominis, qui iudicatur, maior est innocentia et poena ad quam damnatur, maior graviorque eo iniustitia iniquitasque maior et intolerabilior est. Christi vero infinita innocentia est, poena autem omnium maxima; damnatur enim ad mortem et mortem crucis, poena scelestissimorum hominum, qua acerbissimis cum tormentis vita

630) Cf. Io 11, 47-53; 12, 10-11. 631) Cf. Mt 26, 59; Mc 14, 55. 632) Cf. Mt 27, 12; Mc 15, 3; Lc 23, 2. 10. 633) Cf. Dt 19, 18 sqq.

simul cum omni honore amittebatur; et praeter haec traditur voluntati saevissimorum inimicorum ut facerent contra Christum quaecunque vellent. Hoc inauditum genus iniustitiae est: ovis traditur voluntati luporum, agnus leonibus traditur. Hinc Christum Iudaei mille malis affecerunt, quia Pilatus eum *tradidit voluntati eorum.* Quis unquam hominum maiorem passus est iniquitatem et iniustitiam?

XLII. Duo genera inimicorum habuit Christus: visibilium hominum Iudaeorum et invisibilium daemonum pessimorum. In potestatem horum Christus traditus fuit a Patre. Hoc enim est quod ipse dixit: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Traditus enim fuit Christus potestati daemonum, sicut Iob potestati satanae, ut facerent in eum quaecunque voluissent. Hinc non tantum potestati, sed etiam voluntati daemonum traditus fuit Christus, multo peius quam Iob; nam ille quidem traditus prius fuit potestati satanae quoad bona tantum externa, non quoad personam; et postea quoad personam quidem, sed cum limitatione, ita ut animam ipsius servaret, [634] idest illum minime occideret, vitam ei non auferret. Christus autem simpliciter, absque ulla limitatione: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Fecit satanas quaecunque potuit citra terminum a Deo sibi praefixum ut Iob in peccatum impelleret et a gratia et caritate Dei statuque iustitiae deiceret; sic hodie daemones omnes, accepta amplissima auctoritate et libera potestate, absque ullo limite fecerunt quaecunque potuerunt ut Christum in peccatum adigerent. Hinc ait: *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos. Circumdederunt me sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini quia ultus sum in eos. Impulsus eversus sum ut caderem et Dominus suscepit me. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* [635]

Duo genera inimicorum habuit Christus: visibilium Iudaeorum et invisibilium daemonum;

traditus fuit a Patre potestati et voluntati daemonum,

Nec tantum spiritualium inimicorum potestati et voluntati traditus est Christus, sed etiam corporalium: *Tradidit eum voluntati eorum,* Iudaeorum inimicorum saevissimorum, qui fecerunt in Christum quaecunque infernales daemones eis suggesserunt. Ex daemonum enim suggestione ab hominibus furiis infernalibus agitatis

traditus fuit etiam potestati Iudaeorum,

634) Cf. Iob 1, 12; 2, 6. 635) Ps 117, 11-14.

qui ex suggestione satanae omnia tormenta ad Christum affligendum adinvenerunt.

tot exquisita tormenta ad perdendum Christum adinventa sunt. Quis enim unquam reus, quamvis scelestissimus, sic damnatus ad mortem fuit? Quis sic flagellatus, coronatus spinis, alapis et colaphis percussus, facie consputatus? Quis patibulum portare compulsus est propriae suspensionis et mortis? Quis felle et aceto potatus? Quis in patibulo ipse pendens derisus et illusus? Ad spectacula iustitiae accurrit innumera populi multitudo, sed nemo est corde tam duro et animo inhumano, qui morienti non compatiatur in ultimo illo supplicio. Solus Christus ait: *Consolantem me quaesivi et non inveni.* [636]

Dei autem permissione omnia facta sunt, ad sumendam de peccato vindictam.

Sed diaboli opera totum factum est; daemonum inventiones fuerunt omnia quae contra Christum gesta sunt, et incredibilia hominibus videntur. Dei tamen permissione facta sunt omnia, ad sumendam de peccato vindictam et placandam iram divini cordis. Existimavit Pilatus quod placari posset ardens ira inimicorum Christi si eum flagellatum et spinis coronatum, ita ut totus sanguinem plueret, viderent. Sed si facies Christi proprio sanguine cruentata existimata est efficax ad placandam iram crudelissimorum inimicorum, quanto magis censenda est potens ad placandam iram paterni cordis? ad placandum animum amantissimi Patris, qui totus pietas et caritas est?

Hoc spectaculo Christi patientis placandus est furor irae Dei.

Sicut igitur Pilatus ad placandam iram inimicorum Christi ostendit eis ipsum Christum flagellatum et spinis coronatum, toto corpore cruentatum, sic faciendum nobis est ad placandam iram Dei contra nos: ut ostendamus Deo Patri imaginem unigeniti Filii sui pro nobis non tantum flagellati et spinis coronati, sed etiam crucifixi et in cruce mortui, dicendo: *Ecce homo.* Hic sit arcus coelestis in nubibus, in quem figens oculos Deus placetur a furore irae suae. [637]

Multae sunt in Sacra Scriptura figurae Christi crucem baiulantis.

XLIII. *Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha.* [638] Ecce Noe *vir iustus atque perfectus* [639] cum arca salutis, per crucem enim salvatus est mundus a diluvio irae Dei, [640] peccati et mortis. Ecce Isaac portans ligna, supra quae a proprio erat immolandus patre Deoque sacrificandus, ut universum Abrahae semen benediceretur. [641] Ecce Iacob cum ba-

636) Cf. supra, pag. 316 not. 550. 637) Cf. Gn 9, 12-16. 638) Io 19, 17. 639) Gn 6, 9. 640) Cf. ibid. 7, 17 sqq. 641) Cf. ibid. 22, 1-18.

culo transiens Iordanem,[642] fluvium iudicii,[643] nam: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras.*[644] Ecce Moyses, qui virgam sumens descendit in Aegyptum ad liberandum populum Dei de manu impii crudelisque Pharaonis.[645] Ecce Aaron, qui cum sacra virga in manu pergit ad offerendum sacrificium expiationis, ut ingrediatur in sancta sanctorum.[646] Ecce David qui, depositis regalibus armis, vili indutus habitu inermisque, cum virga pergit ad pugnandum contra Goliam.[647] Ecce Eliseus cum baculo suo, quo mortuum puerum voluit suscitare,[648] et cum ligno, quo magno miraculo natare fecit ferrum quod erat in aqua.[649] Ecce altare ligneum cum sacrificio pro peccatis, hostia pacifica et holocausto in odorem suavissimum Domino.[650] Ecce Angelus Domini cum virga in manu, qua tangens carnes et azymos panes super petram, coelesti igne omnia combussit magno miraculo.[651] Ecce arbor vitae,[652] unde emanat vita aeterna.

Baiulat Christus sibi crucem, ut sicut lignum fuerat initium perditionis, sic esset etiam salutis.

Magnum miraculum! Ab arbore vitae egressa est mors, a ligno, inquam, vivo orta est mors; a ligno autem mortuo mortisque orta est vita et duplex vita, sicut inde mors duplex aeternaque. Baiulat Christus sibi crucem, ut sicut lignum fuit initium perditionis, lignum quoque initium esset salutis; et qui in ligno vicit, in ligno quoque vinceretur,[653] fallereturque in ligno ac iuste deciperetur qui in ligno iniuste fefellit decepitque hominem.

Plurimi sunt fructus ex ligno crucis orti:

Et baiulans sibi crucem. Haec enim virga est Aaron summi sacerdotis, quae mortua vivos flores fructusque protulit,[654] estque crux ad instar illius arboris quam vidit Ioannes secus flumen paradisi, quae producit duodecim fructus per singulos anni menses,[655] sicut et Ezechiel vidit arborem producentem fructus per singulos anni menses, plantatam secus flumen quod egrediebatur de domo Domini.[656] Crux quidem multos producit saluberrimos fructus perpetuosque.

a) remissio peccatorum,

Primo quidem, remissio peccatorum, per quam reconciliamur Deo, fructus est crucis et fructus vitalis, nam peccatum mors est animae; per remissionem autem resuscitatur et ad vitam

642) Cf. ibid. 32, 10. 643) Sic enim latine *Iordanis* interpretatur. 644) Io 12, 31. 645) Cf. Ex 4, 17-18. 646) Cf. Lv 16, 1 sqq.; Nm 17, 1 sqq. 647) Cf. 1 Rg 17, 39-40. 648) Cf. 4 Rg 4, 31-35. 649) Cf. ibid. 6, 5-6. 650) Cf. Ex 27, 1; 38, 1. 651) Cf. Idc 6, 21. 652) Cf. Gn 2, 9. 653) Cf. Missale Rom. *Praefat.* de Cruce. 654) Cf. Nm 17, 8. 655) Cf. Apc 22, 2. 656) Cf. 47, 12.

redit, sicut ait pater de filio prodigo: *Mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* [657] Hunc fructum a cruce colligunt omnes peccatores poenitentes, unde haec est altare sacrificii pro peccato. Secundo, redemptio mundi a morte aeterna, a poenis inferni, a potestate diaboli fructus est crucis, sicut per virgam Moysi liberati fuerunt Hebraei ab aegyptiaca captivitate et a Pharaonis tyrannide. [658] Tertio, gratia Spiritus Sancti, qua iustificamur et sanctificamur, fructus est crucis cum omnibus donis Spiritus Sancti, quae acceperunt Apostoli: *Nondum . . . erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus ;* [659] hinc Christus in cruce *emisit* et *tradidit spiritum.* [660] Quarto, adoptio filiorum Dei, qua in pristinam multoque maiorem dignitatem revocamur, facti *heredes . . . Dei, coheredes autem Christi,* [661] fructus est crucis; hinc a cruce dicitur: *Ecce filius tuus . . . ecce Mater tua.* [662] Quinto Sacramenta omnia fructus sunt crucis; unde in cruce emanavit a Christi pectore sanguis et aqua, [663] idest Sacramenta omnia, nam per aquam designatur Baptismus, primum Sacramentum, et per sanguinem Eucharistia, quod est ultimum. Sexto, fides et vera religio, qua colitur Deus *in spiritu et veritate,* [664] fructus est crucis destructa idololatria, impio idolorum daemonumque cultu; hinc Dagon, Philisthaeorum deus, corruit coram arca Domini confractumque fuit. [665] Crux autem arca est et Christus propitiatorium. Sic fides vera omnisque Dei vera cognitio in mundo fructus est crucis. Centurio enim in cruce Christum agnovit et exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste.* [666] Septimo, spes firma fiduciaque in Deo consequendi omne bonum temporale et aeternum ab eo, unde oriuntur tot fidelium preces et orationes, fructus est crucis; hinc latro in cruce in Christum credidit, speravit et petiit: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* [667] Octavo, caritas omniumque divinorum praeceptorum observantia cum omnibus fructibus spiritus, fructus est crucis; hinc ait: Cum *exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* [668] hic enim summam Dei cognoscimus bonitatem, misericordiam et caritatem. Nono, omnis Religio et ordo quivis personarum, qui

b) redemptio mundi a morte aeterna,

c) gratia iustificans et dona Spiritus Sancti,

d) adoptio filiorum Dei,

e) Sacramenta,

f) fides et vera religio,

g) spes et fiducia in Deo,

h) caritas,

657) Lc 15, 24. 32. 658) Cf. Ex 14, 16 sqq. 659) Io 7, 39. 660) Mt 27, 50; Io 19, 30. 661) Rom 8, 17. 662) Io 19, 26-27. 663) Cf. ibid. vr. 34. 664) Ibid. 4, 23. 665) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 666) Mt 27, 54. 667) Lc 23, 42. Vulg.: *Domine, memento mei, cum.* etc. 668) Io 12, 32.

Deo perfectiorem vivendi rationem devoverunt caelibemque vitam ducunt in terra, fructus est crucis; hi enim nudum in cruce crucifixum quaerunt, cum velint esse perfecti. Decimo, victoria omnium vitiorum omniumque inimicorum nostrorum, carnis, mundi et diaboli, fructus est crucis; quare omnes victoriae et palmae Martyrum Sanctorumque omnium et electorum Dei fructus sunt crucis. Undecimo, habere incitamenta efficacia vivaque exempla virtutum omnium, ut per scalam illam quam Christus composuit octo beatitudinum in coelum ascendamus, fructus est crucis; hic enim in Christi nuditate habemus clarissimum exemplum paupertatis, in Christi patientia exemplum mansuetudinis, in Christi lacrimis exemplum luctus, in Christi oratione pro inimicis exemplum misericordiae, in Christi siti ardentissima exemplum ut esuriamus sitiamusque iustitiam.[668a] Sicque clarissima efficacissimaque habemus exempla virtutum, maxime obedientiae, humilitatis, patientiae, perseverantiae, contemptus mundi, poenitentiae et asperioris vitae et aliarum huiuscemodi. Unde: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius;*[669] *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est;*[670] *Exemplum . . . dedi vobis, ut quemadmodum ego feci . . . ita et vos faciatis;*[671] *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[672] summa autem est gratia posse Dei sanctitatem perfectionemque imitari. Duodecimo tandem, coelestis beatitudo omnisque gloria paradisi tum animae tum corporis, fructus est crucis; unde in cruce Christus paradisum promittit latroni.

l) Ordines Religiosi.

l) victoria de vitiis et inimicis spiritualibus.

m) incitamenta efficacia ad virtutes.

n) beatitudo et gloria paradisi.

Hinc praevidens Christus quod crux omnes hos saluberrimos perpetuosque fructus mundo allatura erat, baiulavit sibi crucem, quoniam sicut lignum vivum arte diaboli attulit mortem, ita lignum mortuum virtute divina allaturum erat vitam. Siquidem apud Ezechielem ait: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile, et siccavi lignum viride et frondere feci lignum aridum.*[673] Lignum in paradiso, unde mors orta fuit, sublime et viride erat, nunc autem humiliatum exiccatumque; crux vero lignum aridum et humile, nunc vero viride, floridum fructiferumque et exaltatum est, cum supra dorsum Dei sit hodie positum. Sic: *Factus est principatus super*

Ideo crux patibulum mortis.

668a) Cf. Mt 5, 3-12. 669) 1 Petr 2, 21. 670) Ex 25, 40. 671) Io 13, 15. 672) Mt 11, 29. 673) 17, 24.

facta est instrumentum vitae et via salutis.

humerum eius; [674] *Exaltavi lignum humile... et frondere feci lignum aridum.* Erat prius crux patibulum mortis, scala descendendi ad inferos, porta et clavis inferni; nunc autem facta est instrumentum vitae, via salutis, scala coeli, porta et clavis paradisi, clavis David, *quae aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit,* sicut legimus Isaia [675] et *Apocalypsi;* [676] hinc Christus *baiulans sibi crucem exivit in... Calvariae locum.*

Exit Christus in Calvariae locum pro peccatis mundi immolandus.

XLIV. Hodie Abel egreditur in agrum ab impio fratre Caino impie et iniustissime, absque ulla causa, sed ex sola malignitate perimendus ligno; [677] hodie vitulus immolandus ad expianda totius populi peccata educitur extra castra, ut in conspectu totius populi immoletur; [678] hodie vitula rufa et aetatis integrae, sine ulla macula et quae iugum nunquam portavit, ab Eleazaro pontifice educitur extra castra immolanda in conspectu omnium. [679] Haec enim in Christi typum figuramque facta sunt. Unde Paulus ait: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.* [680]

Magnum passus est Christus improperium in hoc septimo itinere

Et quidem Christus in septimo hoc itinere – nam primum fuit a coena ad hortum, secundum ad Annam, tertium ad Caipham, quartum ad Pilatum, quintum ad Herodem, sextum ad Pilatum et septimum ad Calvariam, – in septimo, inquam, hoc itinere magnum passus est improperium. Discedit enim a loco damnationis, ubi lata iudicis sententia damnabantur rei, ad locum damnatorum, ubi damnati crucifigebantur, et pergit cum damnatis medius inter duos latrones. [681] Ut autem melius agnosceretur, exuerunt eum purpureum vestimentum et induerunt eum propriis vestimentis, et tandem posuerunt super eum crucem, [682] uti nunc suspendendis imponitur circa collum funis qua suspendendi sunt. Quare Christus magno cum improperio cum iniquis et sceleratis reputatus hodie ab omnibus est. [683]

674) Is 9, 6. 675) Cf. 22, 22. 676) 3, 7. 677) Cf. Gn 4, 8. 678) Cf. Lv 16, 20-22. 679) Cf. Nm 19, 2-3. 680) Hebr 13, 11-13. 681) Cf. Lc 23, 32. 682) Cf. Mt 27, 31; Mc 15, 20; Lc 23, 26. 683) Cf. Is 52, 12; Mc 15, 28.

et maximam poenam.

Sicut autem magnum fuit improperium Christi, ita quoque magna fuit ipsius poena, summe debilis cum esset ob nimium sanguinem effusum, ferre pondus crucis cum spinea corona. Quapropter videntes eum Iudaei viribus adeo destitutum ut crucem ferre non posset, *angariaverunt praetereuntem . . . Simonem cyrenaeum,* [684] ut crucem portaret post Iesum, non quidem pietatis causa, sed ut quam citius eum crucifigerent.

Egreditur Christus de Ierusalem ad Calvariam, ut significat se pati et mori velle ut nobis vitam et felicitatem mereatur.

Quod autem egreditur Christus a Ierusalem, loco vitae voluptatis, honoris et benedictionis, ad Calvariam, locum mortis, poenarum, ignominiae et maledictionis, nam: *Maledictus omnis qui pendet in ligno,* [685] ob id est, quia homo propter peccatum eiectus est a paradiso, qui locus erat vitae immortalis, felicitatis perpetuae, honoris gloriosi et benedictionis divinae, eiectusque fuit in hanc lacrimarum vallem, [686] ubi regnat mors, poena, ignominia et maledictio peccati. Sed propter illud peccatum Christus mortem, poenas, ignominiam et maledictionem pati voluit ut nobis vitam, felicitatem, honorem et benedictionem pristinam mereretur: *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.* [687] Hoc est quod, eiecto homine de paradiso, Deus posuit *ante paradisum . . . Cherubim et gladium igneum atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* [688] Cherub ille Christi personam designat, ipse est enim *magni consilii Angelus,* [689] sed gladius igneus atque versatilis Christi passionem et mortem.

Passus est Christus duplicem poenam peccati: sensus et damni.

Passus est autem Christus duplicem poenam: s e n s u s et d a m n i , sicut damnati in inferno hanc duplicem patiuntur: d a m n i ex privatione vitae aeternae, s e n s u s ex ignis afflictione et cruciatu. Hanc enim duplicem intulit homini Deus ob peccatum: d a m n i : *Morte morieris ;* [690] s e n s u s : *Spinas et tribulos germinabit tibi . . . In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* [691] Gladius designat primam, ignis secundam. Christus passus est poenam d a m n i , privatus fama, honore et vita; poenam s e n s u s per flagella, spinas et clavos. Sic Abraham ducens filium suum ad mortem altera quidem manu portabat gladium, altera vero ignem. [692] Iste Isaac est, ille Cherub; et iste gladius et ignis est, ille gladius igneus et versatilis.

684) Mc 15, 21. 685) Dt 21, 23. Affert ex Gal 3, 13. 686) Cf. Breviarium Rom., Antiph. finalis a SS. Trinitate ad Adventum. 687) Lc 24, 26. Vulg.: *Oportuit pati Christum*, etc. 688) Gn 3, 24. 689) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 690) Gn 2, 17. 691) Ibid. 3, 18-19. Cf. supra, pag. 314, not. 583. 692) Cf. Gn 22, 6.

Hoc significavit loquens mulieribus quae lamentabantur eum.

XLV. Hoc est quod Dominus in medio itinere conversus ad mulieres, quae *lamentabantur eum*, ait: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros . . . quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* [693] Si, inquit, ignis potens est comburere lignum viride, multo magis comburet aridum, quod ignis ardori minus resistere potest. Sic si divinae iustitiae ignis, *Deus* enim *ignis consumens est*, [694] in me, qui lignum sum viride, [695] *plenum gratiae et veritatis*, [696] Filius eius dilectus, in quo sibi bene complacuit, [697] in me, inquam, sic desaevit ob peccata mundi, non mea: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*; [698] *Posuit . . . in eo iniquitates omnium nostrum*, [699] quomodo desaeviet in peccatoribus, qui humore gratiae destituti sunt ad instar ligni aridi, quod ignis ardori resistere nullatenus potest, omni cum sit aqueo destitutum humore?

Nullo modo Christus haec omnia pati debuisset,

Profecto ne Christus tantopere pateretur obstare quam plurima poterant: primo quidem, maxima innocentia, cum Angelis multo innocentior homo ipse esset; secundo, gratia, cum esset ipse sanctus sanctorum, Angelis sanctisque omnibus multo sanctior Deoque gratior; tertio, caritas erga Deum maxima, ipse enim solus praeceptum illud: *Diliges Dominus Deum tuum ex toto corde tuo*, etc., [700] perfectissime servavit super omnes sanctos; quarto, una cum caritate omnes virtutes cardineae, quae in Christo perfectissimae fuerunt et Deo acceptissimae sunt; quinto, multa opera bona, quae Christus fecerat, quae infiniti erant apud Deum meriti atque valoris; sexto, quia toto vitae suae tempore multa passus fuerat, incipiens a suo natali multo pati; et septimo, quia Filius Dei verus erat infinitae dignitatis ac nobilitatis. Ob haec Christus *lignum viride* seipsum vocat.

sed pati voluit ad satisfaciendum pro peccato nostro non suo.

Nihil tamen horum obstitit severitati divinae iustitiae, sed ad satisfaciendum pro peccato nostro, non suo, voluit eum pati quaecunque possibile fuit eum pati, et solvere debitum nostrum usque ad minimum quadrantem, ut sicut Adam anima et corpore sensibusque omnibus peccavit divinum transgrediendo praeceptum: visu, quia *vidit*, inquit, *lignum quod esset pulcrum*, [701] unde accensus est con-

693) Lc 23, 27-31. 694) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 695) Ms.: *Arido* loco: *Viride*. 696) Io 1, 14. 697) Cf. Mt 17, 5; 2 Petr 1, 17. 698) 1 Petr 2, 22. 699) Is 53, 6. Vulg.: *Iniquitatem omnium nostrum*. 700) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 701) Gn 3, 6.

cupiscentiae ignis auditu, quia audivit verba serpentis contra Deum cum esset praesens, et *quia* inquit, *obedisti voci uxoris tuae;* [702] olfactu, quia odoriferum lignum illud erat; gustu, quia *comedit;* [703] tactu, quia accepit manibus pedibusque accessit ad lignum; anima vero, quia serpenti magis quam Deo credidit voluitque vetitum contra fas degustare lignum; hinc voluit divina iustitia ut Christus in anima, corpore et sensibus omnibus pateretur: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* etc. [704]

Hinc ait Christus: Si ego talia tantaque passus sum, quid patientur peccatores ob sua peccata? Si talia unicus et dilectus Filius, sicut Isaac Abrahamo, quid patientur inimici? Si obscuratus est sol, quomodo obscurabitur luna! Quaenam impii peccatores in anima, corpore et sensibus omnibus dabunt tormenta et poenas, si ego talia dedi?

Sed si talia et tanta ipse passus est, quaenam patientur peccatores in inferno?

Nec sine ratione hoc loquitur Christus modo: *Si in viridi ligno haec faciunt,* nec dicit quae, *in arido quid fiet?* nec dicit quidnam fiet, quoniam et passio Christi ineffabilis est et poena, quae manet impoenitentes peccatores, verbis explicari nullo modo potest.

Ineffabilis est tum passio Christi tum poena inferni.

XLVI. Et hic quidem vaticinatus fuit Christus Ierosolymorum excidium regnique Iudaeorum eversionem et miserandam illius populi captivitatem; hinc ait: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros, quia... venient dies in quibus dicent: Beatae steriles et ventres qui non genuerunt et ubera quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos.* [705] Quae omnia quadragesimo post Christi passionem anno evenerunt [706] verificatumque fuit vaticinium Christi quoad poenas temporales, ut verum etiam credamus quoad poenas aeternas.

Vaticinatus fuit Christus excidium Iudaeorum temporale et aeternum;

Quare formidandum valde nobis est hoc vaticinium Christi, ad quod alludens D i v u s P e t r u s ait: *Si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* [707] Sic ait per I e r e m i a m Deus: *Ecce quibus non erat iudicium* mortis, *bibendo bibent* calicem, *et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.* [708]

sed valde nobis quoque formidandum est hoc vaticinium.

702) Ibid. vr. 17. 703) Ibid. vr. 6. 704) Mt 26, 38. 705) Lc 23, 28-30. Vulg.: *Quoniam... venient,* etc. 706) De excidio Ierosolymae et populi hebraici dispersione cf. Ios. Flavius *De Bello Iudaico,* lib. 6, cp. 9, pag. 1290-1292. 707) 1 Petr 4, 18. 708) 49, 12.

Egreditur Christus de Ierusalem ut significaret etiam auferendum esse a synagoga omne bonum temporale et aeternum.

Egressus item iste Domini ab Ierusalem re idem significat quod Dominus mulieribus eum lamentantibus praedicens verbis insinuavit. Egreditur enim ab eis salus et vita, ergo remanet eis perditio et mors, sicut unde discedit lux, nonnisi tenebras post se relinquit. Et quidem, cum Dominus promisit Abrahae felicissimam possessionem habitationemque terrae deliciosissimae, quaesivit ille in quo scire poterat quod possessurus eam esset; Dominus autem iussit ut sacrificium sibi Abraham offerret, [709] insinuans quod cultu Dei, qui sacrificiis tunc colebatur, perpetuo possessurus erat terram illam; sine altari autem sacrificia offerri nequaquam possunt; et unum tantum Hebraeis Deus sacrificiorum permisit altare, et illud quidem ligneum a Moyse in suo tabernaculo factum fuit [710] in unius crucis figuram. Nunc autem Christus egressus e Ierusalem a synagoga baiulat sibi crucem, altare utique veri sacrificii, quod quidem fundamentum ac basis erat populo illi omnium bonorum omnisque felicitatis. Ergo auferens eis Christus crucem aufert utique synagogae omne bonum et corporale et spirituale, et temporale et aeternum, et apud Deum et apud homines, uti nunc luce clarius cernimus.

Multis figuris praesignata fuit crux Christi.

Item crux Christi praefigurabatur in arca foederis Domini, in qua repositae fuerunt tabulae legis, [711] vas mannae [712] et virga illa mirabilis quae nunc Dei, nunc Moysi et nunc Aaron dicitur. [713] Et in lege quidem designatur fides, caritas et vera religio, qua colitur Deus, per manna vita felix omnisque boni compos, et per virgam dignitas potestasque tum regalis tum sacerdotalis. Haec autem omnia a Deo reposita in cruce fuerunt. Quare dum Christus exiens ab Ierusalem baiulat sibi crucem, aufert a synagoga omne bonum spirituale, veram fidem et religionem; siquidem nunc Iudaei infideles et perfidi sunt, non amplius Ecclesia Dei, sed *synagoga satanae* sunt; [714] abstulit omnem felicitatem, cum modo non amplius possideant terram illam *lacte et melle manantem*; [715] et tandem omnem dignitatem regalem et sacerdotalem, cum ubique gentium in miserabili servitute et perpetua captivitate vivant, omni honore privati.

709) Cf. Gn 12, 1-9. 710) Cf. Ex 27, 1-8; 38, 1-7. 711) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 712) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 713) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, Dominica Secunda Quadrag., pag. 462, not. 69. 714) Apc 2, 9. 715) Nm 14, 8; Dt 6, 3; 11, 9; Ios 5, 6.

XLVII. Quod autem crux homini cyrenensi datur, mysterium est: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*[716] Nam hic gentilis utique erat, cum cyrenensis esset, et *Simon* dicitur, idest o b e d i e n s,[717] ad designandum quod gentilis populus per divinae legis observantiam Deo erat obedientiam praestaturus ac per fidem et passionum persecutionumque perpessionem crucem Christi suscepturus ac portaturus *post Iesum.* Nam: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me;*[718] *Omnes* enim *qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patiuntur.*[719] Sic futurus erat Christus gentilis populi dux in via virtutis et salutis. Veniebat autem hic de villa, quoniam gentilis populus quasi alter Esau silvestrem quandam vitam ducebat;[720] sed agrestibus moribus vitiisque relictis, Christi vestigia suscepta cruce erat insectaturus.

Crux datur portanda homini cyrenensi ad significandum quod populus gentilis, relictis vitiis, Christi vestigia secuturus erat.

Quod autem non lubenter suscepit, sed quasi coacte et angariatus,[721] signum est quod fideles electique Dei, cum homines sint carne infirmi, quamvis spiritu prompti,[722] naturali quadam aversione crucem abhorrent. Natura enim malum omne exhorrescit; unde etiam Christus naturaliter passionem ac mortem exhorruit, unde *coepit pavere et taedere,*[723] *contristari et moestus esse*[724] ac dicere: *Si possibile est, transeat a me calix iste.*[725] Hoc etiam est quod vaccae illae, super quas Philisthaei arcam foederis Domini imposuerunt ut eam in terram Israel deferrent, ibant quidem in directum versus terram Israel, sed mugientes, quoniam teneros suos vitulos diligebant, a quibus discedere minime voluissent.[726]

Quod autem angariatus dicitur, significat naturalem aversionem qua etiam electi crucem abhorrent;

Designat etiam quod gentilis populus conversus ad Christi fidem a tyrannis angariandus esset, ad martyriaque et tormenta ob Christi fidem cogendus, ut per martyrium multorum gravissimorumque tormentorum crucem ferret. Nec sine mysterio dicitur quod praeter intentionem Simoni huic hoc accidit, nam ait: *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.*[727]

significat etiam tormenta quae populus gentilis pro Christo passurus erat.

Crux ergo datur hodie populo gentili, arca foederis Domini cum

716) Mt 21, 43. 717) Sic enim *Simon* latine interpretatur. 718) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. Affert ex Breviario Rom., Com. unius Martyris antiph. ad *Magnificat* 2 Vesperis. 719) 2 Tim 3, 12. *Qui pie volunt... patientur.* 720) Cf. Gn 25, 27. 721) Cf. Mt 27, 32; Mc 15, 21; Lc 24, 26. 722) Cf. Mt 26, 41; Mc 14, 38. 723) Mc 14, 33. 724) Mt 26, 37. 725) Ibid. vr. 39. 726) Cf. 1 Rg 6, 12. 727) Is 65, 1. Affert ex Rom 10, 20.

Sed cum cruce datur omne bonum naturae, gratiae et gloriae;

divino propitiatorio, propitiatione, inquam, omnium peccatorum cum tabulis legis verae fidei et religionis, ut qui idola coluerat, adoraret Patrem *in spiritu et veritate,* [728] cum vase mannae verae felicitatis et cum virga spiritualis et temporalis dignitatis; unde: *Vos... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* [729] Datur, inquam, hodie, gentili populo cum cruce omne bonum, nam crux thesaurus est omnis boni naturae, gratiae, gloriae et divinitatis, Christus enim est auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, verus Deus.

crux enim basis et fundamentum est totius mundi,

Crux basis ac fundamentum est totius mundi, quia mundum minime creasset Deus, nisi meritum Christi in cruce conspexisset, quo poterant homines per Adae peccatum damnati iustificari atque salvari, sine qua salute homo frustra creatus fuisset ac per consequens totus mundus. Hinc homo in crucis forma creatus formatusque fuit, ut cognosceret quod ob crucis meritum creatus est ipse et propter ipsum totus mundus.

totius Ecclesiae

Est etiam crux basis ac fundamentum totius Ecclesiae, qui sacer est mundus; a cruce enim Sacramenta omnia emanarunt et fides Crucifixi *substantia est sperandarum rerum;* [730] *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [731]

et totius gloriae.

Et tandem fundamentum ac basis est gloriae, quoniam *gratia... Dei vita aeterna,* [732] per gratiam enim donatur gloria. Hinc cruci affixus fuit gloriosus Christi titulus: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum,* [733] et a cruce Christus latroni ad se converso paradisum promisit dicens: *Hodie mecum eris in paradiso.* [734] Quare haec omnium bonorum thesaurus est, via salutis, scala coeli, porta paradisi, clavis omnium coelestium thesaurorum.

Per crucem designantur omnes poenae quas Christus tulit deificandas;

XLVIII. Crucem prius baiulavit Christus, deinde Simoni portandam dedit. Et quidem per crucem omnis cruciatus et poena designatur. Sic ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et... sequatur me.* Tulit ergo Christus crucem, idest omnem cruciatum: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit,* [735] ut omnem

728) Io 4, 23. 729) 1 Petr 2, 9. 730) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.* 731) 1 Cor 3, 11. 732) Rom 6, 23. 733) Io 19, 19. 734) Lc 23, 43. 735) Is 53, 4.

cruciatum deificaret. Sicut enim non Angelus, sed homo fieri voluit: *Nunquam... Angelos apprehendit, sed semen Abrahae,* [736] ut quoniam homo omnis quodammodo creatura est, [736a] eum assumens atque deificans omnem creaturam deificaret, sic Christus crucem assumens et in ea omnem cruciatum, deificaret utique omnia poenarum et miseriarum nostrarum mala una cum morte, quod extremum malorum est. [737] Hinc mors, quae prius adeo terribilis ac horribilis erat, facta est desiderabilis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* [737a] Hinc Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* [738] Hinc P a u l u s gloriatur in cruce: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* [739] *In infirmitatibus meis gloriabor ut inhabitet in me virtus Christi.* [740] Hinc Andreas supra omnes thesauros regales crucem desiderat, [741] quoniam Christus *baiulans sibi crucem* [742] omnem in ea cruciatum deificavit et sic deificatam crucem Simoni portandam dedit. Hinc Christi Martyres hanc deificatam crucem portantes post Iesum, in suppliciis et tormentis gaudio potius et laetitia afficiebantur quam tristitia et dolore. Sicut enim a cruce ignominiam Christus abstulit honoremque ei contulit, adeo ut regalium imperaliumque nunc coronarum sit honorificum [743] gloriosumque ornamentum et honoris ac gloriae causa portetur quae prius infame erat patibulum, ita omnem ei abstulit in cruciatibus dolorem atque tristitiam. Sicut in fornace babylonica Deus igni urendi vim abstulit, quoniam descendit in eam Angelus similis Filio Dei, quare tres illi pueri in medio ignis suavi quadam aura fruentes, gaudentes et laeti Deum benedicebant, [744] sic nunc in cruce accidit; et sicut rubus Moysi igne quidem plenus ardens videbatur, non tamen comburebatur, [745] quoniam Deus ibi erat igni urendi vim auferens, ita profecto a cruce Christus omnem abstulit sua divinitate cruciatum.

Ideo in cruce semper gloriati sunt Apostoli

et Martyres,

quia Christus ab ea abstulit omnem ignominiam et contulit ei omnem honorem.

XLIX. *Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum.* [746] *Ducebantur autem cum eo alii duo nequam.* [747]

736) Hebr 2, 16. Vulg.: *Nusquam Angelos,* etc. 736a) Cf. S. Gregorius M. *In Evangelia,* hom. 29, (P. L. 76, 1214). 737) Cf. Aristoteles *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20. 737a) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi,* etc. 738) Act 5, 41. 739) Gal 6, 14. 740) 2 Cor 12, 9. 741) Cf. S. Gregorius M. *Liber Responsalis,* (P. L. 78, 814-815); Breviarium Rom. in festo S. Andreae, respons. octavae lect. et antiph. ad *Magnificat* 2 Vesp. 742) Io 19, 17. 743) Ms.: *Sic* repetitur. 744) Cf. Dn 3, 49-50. 745) Cf. Ex 3, 2-3. 746) Io 19, 17. 747) Lc 23, 32. Vulg.: *Et alii duo nequam cum eo.*

Baiulat Christus sibi crucem, quia nullus repertus est qui eam ferre vellet;

Baiulavit sibi crucem Christus, quia [in] tota civitate nemo repertus est qui eam ferre vellet tum ob laborem tum maxime ob ignominiam, quae fugiunt homines honoris et voluptatis cupidi. Militibus quidem, quibus vel nulla erat ignominia, cum carnificum officio fungerentur, eam ferre non libuit; Iudaeis vero execrandum erat vel contingere religionis causa, ne rei immundo tactu contaminarentur, nec possent pascha comedere; nam ob id non sunt ingressi praetorium Pilati.[748] Pascha enim nonnisi impolluti et mundi comedere poterant;[749] at si tetigissent crucem, immundos se arbitrati fuissent, quoniam scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*[750]

ad maiorem autem eius ignominiam alii duo nequam insignes ducuntur cum ipso crucifigendi.

Ducebantur... alii duo nequam cum illo crucifigendi, quia forte moris tunc erat in celeberrimis festis, quando ex universo Iudaeorum regno universus populus Ierusalem confluebat, insigniores maleficos et latrones extremo supplicio damnari atque ad exemplum et terrorem cruci affigi. Quare ad maiorem Christi nominis obscurationem maioremque ignominiam eius Iudaei voluerunt cum insignibus hisce latronibus Christum crucifigi, ut tanquam latronum caput et dux omnibus haberetur. Sed Christus hac sua ignominia nequam et sceleratus cum iniquis et scelerosus ab omnibus reputatus meruit Sanctorum communionem et Angelorum consortium, ut essemus *cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati*, etc.[751]

Postquam Christus crucem sibi baiulavit, facta est nobis levis et suavis.

Quoniam Christus grave crucis pondus portavit, factum est nobis onus istud leve: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve. Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris,*[752] Sic sancta crux lignum illud sacrum est, quod Moyses immittens in amarissimas aquas Mara, eas in dulcedinem stupendo utique miraculo convertit.[753]

In cruce suspenditur Christus, qui est Deus in coelo,

L. *Ubi crucifixerunt eum, et cum eo... duos* latrones *hinc et hinc, medium autem Iesum.*[754] Agnum paschalem comedebant Iudaei tenentes baculos in manibus.[755] Sicut autem agnus ille figura Christi extitit, ita lignei illi baculi crucem Christi designabant. Praefiguratum ergo illic est quod *agnus* iste *Dei, qui tollit peccata mundi,*[756]

748) Cf. Io 18, 28. 749) Cf. Nm 9, 9-13. 750) Dt 21, 23. Affert ex Gal 3, 13. 751) Eph 2, 19. 752) Mt 11, 29-30. Ordine inverso affert hos vrr. 753) Cf. Ex 15, 23-25. 754) Io 19, 18. 755) Cf. Ex 12, 11. 756) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et Liturgia Ecclesiae.

crucifigendus erat. Sic super struem lignorum ligatus fuit Isaac immolandus, super eundemque struem aries immolatus fuit, [757] sic super ligneum altare offerebatur sacrificium pro peccato, hostia pacifica et holocaustum. Ille nunc Deus, qui Iacob visus est in summitate coelestis scalae, [758] Michaeae in coelo inter innumerabiles Angelorum exercitus a dextris et a sinistris, [759] Danieli super thronum igneum innumerabilibus Angelis constipatum, [760] Ezechieli supra firmamentum in throno sapphirino [761] et Isaiae super solium excelsum et elevatum inter duos Seraphim, [762] hodie videtur in cruce suspensus inter duos latrones. Deus ille, qui sedebat supra divinum propitiatorium inter duos cherubim aureos; [763] ille Christus, qui in monte Thabor visus fuit in gloria inter duos illos maximos prophetas, Moysen et Eliam, quando *resplenduit facies eius sicut sol*, [764] nunc inter duos latrones cernitur, sicut Ioseph tanquam reus mortis vinctus in carcere inter duos reos criminis laesae maiestatis, quorum alter quidem salvatus a morte fuit, alter vero damnatus. [765]

et visus fuit in gloria supra montem Thabor.

Hodie videtur Moyses in monte inter Aaron et Hur tenens brachia extenta, dum Iosue pugnaret contra Amalec, ut victoriam ille reportaret. [766] Hodie videtur universo populo Deus in caligine, nam: *Tenebrae factae sunt;* [767] ignis autem ardentissima est Christi caritas.

Variae figurae Christi in cruce pendentis.

757) Cf. Gn 22, 9-13. 758) Cf. ibid. 28, 13. 759) Cf. 3 Rg 22, 19. 760) Cf. Dn 7, 10. 761) Cf. Ez 10, 1-7. 762) Cf. Is 6, 1. 763) Cf. Ex 25, 17-22; Nm 7, 89. 764) Mt 17, 2-3. 765) Cf. Gn 40, 6-22. In margine haec adiecta fuerunt: « Bone Deus, ille qui in supersanctissima Trinitate medius est inter divinas Personas, Patrem et Spiritum Sanctum, hodie inter duos latrones cernitur. Quid Abraham dixisset si, quando in tribus Angelis Sanctissimam Triadem vidit, Christum in tali forma vidisset? Hic ille est Angelus Danieli visus super aquas Tigridis fluminis inter duos alios Angelos, stantes unus hinc in ripa fluminis et alter inde ex altera parte. Sed qui stabat super aquas, indutus erat lineis et renes eius praecincti auro obrizo, corpus autem eius quasi chrysolithus, facies eius sicut fulgur et oculi eius ut lampas ardens, brachia autem et quae deorsum sunt usque ad pedes sicut aspectus aeris candentis. Hic autem Angelus Christum designat, qui media est in Trinitate persona, indutus lineis, natura humana innocente, praecinctus auro divinae caritatis et gratiae; corpus eius, natura ipsius, sicut chrysolithus, lapis pretiosissimus, coloris marini atque coelestis, cum aureis venis, sicut coelum aureis est decoratum astris, quia Verbum natura coelestis divinaque est. Facies eius ut fulgur, quia Deus lux et ignis est sapientiae, caritatis, potentiae et bonitatis purissimusque spiritus; *Ignis consumens; Oculi eius ut lampas ardens.* Divinus intellectus non aliunde sapientiam habet, sicut ignis non ab alio lucem mutuatur; et tandem brachia et totum corpus aeneum habet et candens, quoniam summa fortitudine praedita divina natura est. Hinc modo videtur super aquas Tigridis, idest in passione, quam solus Filius ratione hypostaticae unionis pati dicitur, non Pater aut Spiritus Sanctus. O si Daniel nunc in hac forma Christum inter duos latrones in cruce suspensum vidisset! Et Iacob quali quantoque stupore nunc impletus fuisset, si Christum, quem in summitate scalae viderat, nunc in cruce videret? *Vere locus iste sanctus est*, etc. ». 766) Cf. Ex 17, 8-13.
767) Mt 27, 45; Mc 15, 33; Lc 23, 44.

Hodie obscuratus est sol iustitiae; hodie dissolutum est templum Domini; hodie in medio nubis obscurae et tenebrosae videtur sacrum illud Ezechielis quadriforme animal, quod erat in crucis forma dispositum, nam erat in medio facies hominis, a dextris facies leonis, a sinistris facies vituli et desuper facies aquilae; [768] hodie tandem videtur Abel iustus in agro ab impio Cain occisus, [769] Ionas in mare mersus et a cete devoratus, [770] Aaron summus sacerdos in monte mortuus, [771] rex Israel mutato habitu supra currum suum occisus, [772] Achimelech a Saul peremptus, [773] Zacharias iustus a Ioas et furente populo vita privatus, [774] serpens aeneus a Moyse exaltatus: [775] *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis,* [776] etc.

Mors Christi fuit humiliatio quoad passionem corporis, exaltatio quoad meritum animae;

LI. Nec immerito Christi mors *exaltatio* dicitur, quamvis Paulus *humilitatem* eam dicat: *Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis ;* [777] nam humiliatio fuit quoad carnem, exaltatio quoad spiritum; humiliatio in oculis mundi, exaltatio in oculis Dei; humiliatio in terra, exaltatio in coelo; humiliatio coram hominibus, exaltatio coram Angelis; humiliatio temporalis et momentanea, exaltatio perpetua et sempiterna; humiliatio quoad reprobos, exaltatio quoad electos. Hi sunt duo exercitus a dextris et a sinistris designati in duobus latronibus a dextris et a sinistris Christi, significantes eos qui in die iudicii statuentur a dextris et a sinistris iudicis, hos quidem benedicendos, illos maledicendos; hos Angelis in paradiso sociandos, illos daemonibus in inferno coniungendos. Et tandem humiliatio quoad passionem corporis et exaltatio quoad meritum animae.

hinc Christus eam semper exaltationem appellavit, quia fuit gloriosissima,

Hinc Christus vel semper mortem suam *exaltationem* appellavit. Et primo quidem quoniam naturalis mors communis omnibus nec honoris est nec ignominiae capax, violenta vero haec quidem honoris et gloriae plena est, illa vero vituperii et ignominiae ex causa. Si enim ob vitium inferatur, uti cum latrones infamesque viri extremo supplicio

768) Cf. 1, 4-10. 769) Cf. Gn 4, 8. 770) Cf. Ion 1, 15-21. 771) Cf. Nm 33, 38. 772) Cf. 3 Rg 22, 30-35; 2 Par 18, 29-34. 773) Cf. 1 Rg 22, 11-19. 774) Cf. 2 Par 24, 20-22, 775) Cf. Nm 21, 8-9, 776) Io 3, 14-15. 777) Phil 2, 8.

perimuntur, haec summa profecto ignominia est; si vero ob virtutem quis extrema supplicia patiatur, summus est honor. Hinc apud ethnicos Atilius Regulus summis celebratur laudibus, eo quod a Carthaginensibus fuit crudelissime necatus ob patriae pietatem;[778] sic Codrus ille nobilissimus Atheniensium rex, eo quod pro patriae salute certissimae morti se obiectavit; [779] sic Socrates, eo quod constantissime mortem obiit pro veritate; [780] sic nos septem iuvenes Machabaeos una cum matre [781] et venerabili illo sene Eleazaro, [782] et omnes tandem Martyres summis laudibus, praeconiis et honoribus supra astra extollimus, quoniam pro virtute et iustitia necati sunt. Et quo eorum est mors crudelior, eo est gloriosior. Christi autem mors pro virtute fuit, pro iustitia, pro veritate, pro salute mundi ex caritate, ex obedientia Patris. Fuit autem eius mors super omnia Martyrum tormenta et poenas acerbissima et crudelissima; ergo gloriosissima. Merito igitur vocat eam Christus *exaltationem: Ita exaltari oportet Filium hominis.*

fuit enim pro virtute, pro iustitia, pro veritate, pro salute mundi.

LII. Et quidem in cruce exaltata mihi videntur omnia; Deus ipse, Dei, inquam, iustitia, misericordia et caritas veritasque in promissis servandis; Christus ipse, ipsius, inquam, quatenus Deus potentia, sapientia, bonitas, et quatenus homo caritas, iustitia, prudentia, fortitudo et temperantia. Exaltata natura angelica et natura humana, exaltata gloria paradisi et poena inferni, exaltata virtus peccati et valor gratiae et tandem exaltata potestas diaboli et mortis.

In cruce omnia exaltata sunt:

Hic, inquam, exaltata est Dei caritas: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [783] *Propter nimiam caritatem... qua dilexit nos* [784] Deus; iustitia, quia tam severe in Filio punire voluit unum Adae peccatum; misericordia, quia hic propitiatur omnia mundi peccata et in hoc mari Rubro sanguinis Christi demergit Pharaonem cum omnibus Aegyptiis, [785] hodie enim celebratur festum expiationis omnium peccatorum populi.

Dei caritas, iustitia et misericordia;

778) Cf. Cicero *Orat. Pro Sextio*, vol. 2, col. 677; *De Senectute*, vol. 4, col. 556; Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium*, lib. 1, cp. 1, pag. 20-21; lib. 9, cp. 2, pag. 770.
779) Cf. Cicero *Tuscul. Quaest.*, lib. 1, vol. 4, col. 191; *Consolatio*, ibid. col. 636; Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium*, lib. 5, cp. 6, pag. 497. 780) Cf. Pluto *Apologia Socratis*, lib. 27, pag. 270-277; *Phaedo vel de Anima*, lib. 29, pag. 283-300.
781) Cf. 2 Mach 7, 1-41. 782) Cf. ibid. 6, 18 sqq. 783) Io 3, 16. 784) Eph 2, 4. 785) Cf. Ex 14, 23 sqq.

Christi potentia, nam morte sua novum mundum creavit;

Hic exaltatur Christi potentia, dum in cruce positus solo nutu terram contremiscere facit, dividi montes, contenebrescere coelum, luminaria obscurari, velum templi scindi, quod est portas paradisi aperire, monumenta reserari, mortuos resurgere, quae omnia ipsius super humanam increatam divinamque potentiam demonstrant, aequalem ei, imo eandem, qua mundus ab eo creatus fuit; et adhuc in cruce Christus mundum iustificat, quod patet in latronis conversione. Hoc autem maius opus est quam mundi creatio, [785*] cum peccatum sit nihilo multo peius, uti Deo summe displicens et gratia sit natura nobilior, nec creatura possit in creatione repugnare Creatori, sicut in iustificatione, cum etiam Christus in cruce novum creaverit mundum, idest Ecclesiam, quae sacer est mundus et nova creatura, [786] coelum novum ac terra nova. [787]

sapientia in admirabili ordine iustificationis

Hic item divina lucet sapientia Christi, quae in mundi creatione eluxit in rerum ordine et pulcritudine ex turpi illa indigestaque mole: *Terra... erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi;* eduxit enim lucem ex tenebris *divisitque lucem a tenebris,* [788] unde factus hic mundus est vere κόσμος, [789] ornatus pulcherrimus et ordinatissimus. Hic autem immensa Christi sapientia dividit actionem a passione, occisionem a morte; illa est tenebrosissima obscuritas, unde *tenebrae factae sunt super universam terram,* haec autem lux splendentissima; illa peccatum infinitae iniquitatis, haec autem opus infiniti meriti atque valoris. Sic Christus infinita sua sapientia educit de peccato gratiam, qua mundum universum iustificat; de ignominia gloriam, de poena felicitatem, de morte vitam, de perditione salutem aeternam et de peccato quidem synagogae uniusque diei gratiam totius Ecclesiae omniumque saeculorum, de ignominia temporali gloriam sempiternam, de modica poena felicitatem infinitam, de morte unius vitam omnium, de perditione corporis salutem animarum omniumque spirituum. O infinita Christi sapientia! Quis unquam id vel cogitare potuisset?

Quo magis autem eius sapientia eluceret, non solum novit mirabili divinaque quadam alchymia lutum in aurum convertere,

785*) Cf. S. Augustinus *In Ioannem*, tract. 72, (P. L. 35, 1823). 786) Cf. 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15. 787) Cf. 2 Petr 3, 13. 788) Gn 1, 2-3. Vulg.: *Et divisit*, etc.
789) Ms.: *Cosmos*.

amarum in dulce, malum in bonum, sed etiam ex summa dissonantia summam harmoniam concentumque summe consonantem efficere, ut peccato Adae responderet eius gratia, superbiae illius ipsius humilitas, illius inobedientiae obedientia ipsius, ligno vitae lignum crucis, paradiso deliciarum locus poenarum et mortis in Calvaria, serpentinae fraudi venenoque letifero divina mystici huius exaltati serpentis prudentia virtusque vivifica et salutaris,[789a] et tandem reatui meritum, universali reatui universalis gratiae Christi universale meritum.

et in perfecta harmonia qua peccato Adae opposuit redemptionem;

Resplenduit exaltataque fuit hic divina bonitas Christi, qua omne malum suum in nostrum bonum convertit et peccatum illud infinitae iniquitatis, unde mundus totus merebatur ad nihilum redigi – propter quod coeli contenebrati fuere et terra tota contremuit, – fecit ex letali veneno vitale antidotum contra omne venenum, quod mortuos etiam posset revocare ad vitam, unde *monumenta aperta sunt et multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.*[790] Infinita bonitas pro infinito malo reddidit infinitum bonum, pro morte vitam, pro peccato gratiam, pro ignominia gloriam, pro poenis delicias, unde dat paradisum latroni; summa bonitas infinitum bonum sola donare potuit.

bonitas, qua omne malum suum in bonum nostrum convertit et pro infinito malo reddidit infinitum bonum;

Exaltata hic etiam Christi omnis caritas fuit; nam: *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[790a]

caritas, moriendo pro suis;

Exaltata Christi iustitia, qua stetit semper in medio et nunquam ad dexteram in prosperis neque ad sinistram in adversis peccando: declinavit sic inimicis suis a quibus occidebatur, nec desideravit quidem malum, sed pro eis ad Deum Patrem supplex oravit dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;*[791] et tanquam mediator iustissime summaque cum aequitate iudicavit inter Deum et hominem, inter hominem et diabolum, inter diabolum et Deum, inter hominem et hominem. Primo, inquam, inter Deum offensum et hominem qui offenderat aequissime iudicavit, ut neutra pars iuste conqueri cum ratione possit; Deo enim peccatorum debitum solvit et hominem de manu divinae iustitiae liberavit. Solvit Deo pro peccato meritum, pro iniquitate iustitiam, pro culpa gratiam, pro superbia humilitatem,

iustitia, iudicavit enim inter Deum offensum et hominem offensorem solvendo Deo debitum ad rigorem et hominem liberando;

789a) Cf. Mt 10, 16. 790) Ibid. 27, 52. 790a) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, etc. Affert ex Breviario Rom. Com. Apostolorum, 2 antiph. ad *Laudes*. 791) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte ille, non enim sciunt quid faciunt.*

pro inobedientia obedientiam, pro gustu vetiti pomi amaritudinem fellis; dignam denique condignamque satisfactionem voluitque ut de iusta hac satisfactione contentaretur Deus, ut sicut unius peccati uniusque inobedientia humanum genus perierat, ita unius obedientia et gratia salvaretur. Ab homine vero requisivit ut peccatum suum agnosceret, ad Deumque converteretur per poenitentiam sicque ad pristinum reverteretur statum. Hoc iudicium divinum videmus inter Deum et salvatum latronem conversum ad Christum: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [792]

Iudicavit inter divinam misericordiam et iustitiam.

Iudicavit item Christus inter divinam misericordiam atque iustitiam. Illa volebat ut salvarentur omnes, haec ut omnes damnarentur. Christus stetit in medio ut salvarentur boni conversique ad Deum et damnarentur mali impoenitentesque peccatores. Sic conversus latro salvatur et impoenitens damnatur. Hoc autem Christi iudicio et homo contentari [792a] potuit, cum facillime possit modo salutem consequi, sicut latro facillime consecutus est dicens: *Memento mei, Domine.* [793]

Inter diabolum et hominem.

Iudicavit inter diabolum et hominem, ut si per unius hominis peccatum diabolus, quem vicit, mundi obtinuit principatum, ita per unius hominis gratiam, a quo victus sit, mundi principatu et potestate super homines privetur, et sicut hominem vincens victi hominis factus est dominus, ita victus ab homine eadem lege victoris hominis fieret servus, ita tamen ut si quos iterum vicisset vel libera voluntate sub eius potestate manere quicunque voluissent, eorum adhuc dominus et princeps esset. Sic latronum alter a diaboli erutus est potestate, alter vero volens sub eius iugo et servitute permansit. Quare nunc liber est homo ut cui vult serviat, vel Deo vel diabolo, utrique enim simul servire minime potest.

Inter diabolum et Deum, quia destruxit regnum diaboli et Patri restituit electos;

Iudicavit inter diabolum et Deum; Deus enim suapte natura totius mundi est dominus, diabolus mundi princeps per peccatum. Christus sua gratia destruxit peccatum et Patri regnum restituit, regnum tamen electorum, qui sunt de semine Iacob, non regnum reproborum, qui sunt de semine Esau. Sic diabolo bonum latronem eripuit Deoque regnum hoc dedit, diabolo autem malum reliquit.

792) Io 3, 15. 792a) Cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis* sub hoc verbo. 793) Lc 23, 42. Vulg.: *Domine, memento mei.*

Tandem iudicavit Christus inter hominem et hominem, inter iudaeum et gentilem: *In iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant et qui vident caeci fiant.*[794] Iudicavit inter bonos et malos, inter peccatores poenitentes et impoenitentes, ponens[795] electos quidem a dextris cum converso latrone, reprobos autem a sinistris cum impoenitente, sicut in die iudicii faciens erit, statuens oves a dextris et haedos a sinistris.[796] Sic Christus summe iustus agnitus in cruce est eiusque iustitia supra modum in cruce exaltata fuit.

tandem iudicavit inter hominem et hominem, inter electos et reprobos.

Exaltata item eius fuit prudentia, cuius proprium est eligere ex malis bona et ex bonis meliora, nec curare leve damnum ob magnum utile. Sic Christus in cruce summam ostendit prudentiam dicens: *Expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo*, ut *non tota gens pereat*.[797] Elegit spiritualia aeternaque bona temporalia spernens. Sprevit temporalem vitam, temporalem honorem, temporalem felicitatem, ut sibi et bonis mereretur aeternam vitam, aeternam gloriam, aeternam felicitatem. Mori voluit unus ipse, ut *sicut in Adam omnes moriuntur*, ita in ipso omnes vivificentur.[798] Mortuus est in carne, ut omnes viverent in spiritu; mortuus in tempore, ut omnes viverent in aeternitate; mortuus in terra, ut omnes viverent in coelo; mortuus in hoc mundo, ut omnes viverent in paradiso cum Deo et Angelis eius; mortuus iniuste, sine culpa, ut omnes iustificaret ab omni culpa. Si fuit prudens David, quia insanum se finxit coram Achis rege Geth,[799] prudentissimus fuit Christus, quia reum se finxit in cruce, ut mundum universum ab omni mortis et poenae culpaeque reatu liberaret. Sic ars Christi artem fefellit diaboli ac sic summopere Christi prudentia exaltata in cruce fuit.

Exaltata est Christi prudentia, qua elegit spiritualia et contempsit temporalia,

Exaltata item hic Christi fortitudo supra modum est in ferendis tot poenis, iniuriis et ignominiis vere intolerabilibus cum summa patientia et constantia animi, absque ullo vel minimo impatientiae signo. Sed patientissimo Iob multo ipse patientior quam sol luna lucidior. Et tandem supramodum Christi temperantia hic exaltata fuit, cum pauper et nudus mori voluit, cum sitis ardorem ipse nolens bibere [non] temperavit et cum in cruce nullam omnino consolationem suscipere voluit.

fortitudo, et temperantia, quibus tulit summa constantia tot poenas et ignominias;

794) Io 9, 39. 795) Ms.: *Pones*. 796) Cf. Mt 25, 32-33. 797) Io 11, 50. 798) 1 Cor 15, 22. 799) Cf. 1 Rg 21, 10-14.

denique exaltata est omnis virtus Christi,

Exaltata in cruce tandem omnis Christi virtus: obedientia, humilitas, mansuetudo, voluntaria paupertas omnisque alia virtus, quae vera sit virtus verumque animi ornamentum, unde merito Christus in cruce omnibus in exemplum proponitur: *Christus passus est*, etc. [800] Adeoque exaltatus in cruce Christus fuit, ut hic a latrone agnitus sit coeli rex, cum ait: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*; et a centurione homo vere iustus ac vere Filius Dei: *Vere*, inquit, *hic homo iustus erat;* [801] *Vere Filius Dei erat iste.* [802]

et sic cum eo exaltata est natura humana,

Sic et divina et humana, et Verbi et carnis in Christo natura mirum in modum exaltata in christifera cruce fuit: *Oportet exaltari Filium hominis.* [803] Exaltata hic humana natura est ostensumque quanti eam pendeat Deus, cum pro hominum salute Filium dederit, et quali quantoque pretio emere redimereque eam voluerit. Quare merito ait Christus: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* [804]

et angelica,

Exaltata dignitas angelicae naturae, cum ad reparandas Angelorum ruinas implendasque hominibus sedes Deus Christum morti tradiderit.

dignitas gratiae,

Exaltata dignitas gratiae Spiritus Sancti, cum nonnisi cum infinito sanguinis Christi thesauro commutare Deus voluerit hoc Sancti Spiritus donum et nonnisi cum vita Christi commutare spiritualem hanc vitam; hinc, mortuo Christo, aperto thesauro lateris eius emanavit aqua Spiritum Sanctum designans.

remissio peccati,

Exaltata remissio peccati ostensaque peccati malignitas quanta sit, cum nonnisi accepto hoc agni immaculati sacrificio Deus remissionem peccati dare voluerit, nec ad vincendam peccati malignitatem aliud quam Christi sanguis sufficere potuerit, non aqua, non ignis; non, inquam, aqua diluvii, non ignis de coelo, non fames, non pestes, non mille flagella, damna poenae milleque genera mortis.

gloria paradisi,

Exaltata hic fuit gloria paradisi, hinc enim intelligere licet qualis quantaque sit, cum tam caro eam Deus Filio suo vendiderit: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [805] Infinitum Christus thesaurum meritorum sanguinis vitaeque suae ad eam emendam expendit.

800) 1 Petr 2, 21. 801) Lc 23, 47. 802) Mt 27, 54. 803) Io 12, 34.
804) Mt 16, 26. Vulg.: *Si mundum universum*, etc. 805) Lc 24, 26.

Exaltata poena inferni, hinc enim intelligere licet qualis quantaque ea sit quam patiuntur ob propria peccata damnati, si talia tantaque passus est Christus Filius Dei pro uno peccato, quod non ipse, sed Adam commisit: *Si in viridi* ligno *haec faciunt*, etc. poena inferni.

Exaltata diaboli potestas, quia hinc intelligere licet qualis quantaque sit, si necesse fuit ut hic David contra hunc Goliam sic certaret. ipsa diaboli potestas

Exaltata tandem mors est, quia ut haec humani generis inimica destrueretur necesse fuit ut sic Christus passus moreretur. et tandem mors.

Merito igitur Christus passionem mortemque suam *exaltationem* non humilitatem appellavit, maxime vero quia hic ipse agnitus est auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, homo vere iustus unaque vere Filius Dei vivus ac verus Deus. Sic ipse ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,* [806] vivus ac verus Deus, qui ait: *Ego sum qui sum,* [807] et tanquam verus Deus ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* [808] idest omnes gentes, etsi non omnes homines. Merito igitur Christus mortem suam exaltationem appellavit.

LIII. Non sine mysterio Dominus nudus crucifixus est, sed quia Adam nudus erat cum peccavit et post peccatum suam nuditatem erubuit; [809] Christus ergo, secundus Adam, peccati illius debitum solvens ac seipsum cruci veluti loco ablati pomi offerens, confusibilem nuditatem suscepit, ut adimpleretur quod dictum est: *Operuit confusio faciem meam.* [810] Secundo, ad ostendendam suam innocentiam, quam semper servavit nec unquam sicut Adam amisit; hinc in fine nudus esse voluit sicut Adam in principio, et ut ostenderet quod sic innocens moriebatur sicut natus fuit, moriens in nuditate nativitatis suae. Tertio, ut ostenderet nihil bonorum nostrorum ipsum ex hoc mundo auferre, sed malis nostris onustum abire, quia bonorum nostrorum non indigebat. [811] Quarto, nudari voluit et vestimenta sua nobis relinquere, sicut Elias abiens ex hoc mundo super igneum currum pallium suum Eliseo reliquit; [812] sacrae enim vestes virtutum habitus designant, hinc eius vestimenta in quattuor partes divisa fuerunt in signum quattuor virtutum cardinalium et vestis inconsutilis integra fuit relicta in signum caritatis, quae vestis est nuptialis. [813] Nudus Christus cruci affigitur, ut expiaret erubescentiam peccati, et ostenderet bonorum nostrorum non egere et suas virtutes nobis relinquere.

806) Io 8, 28. 807) Ex 3, 14. 808) Io 12, 32. 809) Cf. Gn 2, 25; 3, 7-10.
810) Ps 68, 8. 811) Cf. Ps 15, 2. 812) Cf. 4 Rg 2, 13. 813) Cf. Io 19, 23-24.

Vino myrrhato potatur, quia passione sua Ecclesiae immortalitatem allaturus erat;

Nudatus autem Christus, antequam crucifigeretur potatus fuit myrrhato vino aut cum felle mixto, [814] quia ob peccatum, quod gustu commissum est, patiebatur et quia calix passionis eius amarum valde poculum erat, sicut myrrha et fel, immortalitatem tamen et incorruptionem carnis et spiritus universae Ecclesiae allatura erat.

quattuor clavis cruci affigitur in figuram quattuor vitiorum.

A quattuor militibus crucifixus fuit Dominus, forte iuxta numerum clavorum pro duabus manibus et duobus pedibus, ut singuli pedes singulis fuerint clavis crucifixi sicut et manus, quoniam quattuor sunt praecipue vitia et peccata contra quattuor virtutes cardinales; quicunque enim peccat, vel fragilitate aut concupiscentia vel ignorantia aut malitia peccat, et ut quattuor clavi figurae essent cardinalium virtutum, sine quibus non possumus cum Christo in cruce fixi manere, his enim *qui... sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt.* [815]

In aere suspendi vult ut ostenderet se cruce armatum aereas potestates debellasse et pro salute totius mundi passum esse.

Voluit autem Christus alta in cruce affigi et suspendi, ut ostenderet primo quidem, quod sua morte in coelum tendebat et quasi aquila volabat ad Patrem; secundo, in aere, quia aereas potestates expugnaturus cruce, clavis et spinis armatus in hunc circum intravit pugnaturus cum principe tenebrarum sicut David cum Golia; tertio, in loco communi, aer enim commune est elementum nec ut proprium a quopiam possidetur, quoniam pro omnibus patiebatur; quarto, in altum elevatus fuit ut ab omnibus videretur, et qui prope et qui longe erant, ut in serpentem hunc aeneum omnes intuerentur per fidem, [816] et Iudaei et Gentiles, et praesentes et futuri.

Duo latrones cum eo crucifixi significant morte ipsius solos electos salvandos, reprobos autem damnandos;

Quod autem inter duos latrones crucifigitur habens unum a dextris et alterum a sinistris, unum electum et alterum reprobatum, mysterium est quod per passionem et mortem ipsius non omnes salvantur, sed tantum electi. Sic Iosue ingressus terram promissionis, transito Iordane, unam populi partem posuit super montem Garizim benedicendam et alteram super montem Hebal maledicendam; [817] sic Michaeas Dominum vidit sedentem super solium suum et exercitus coeli assistebant ei a dextris et a sinistris, [818] sicut videbimus in die iudicii. Hoc est mysterium quod Abraham aedificavit altare inter

814) Cf. Mt 27, 34; Mc 15, 23. 815) Gal 5, 24. Vulg.: *Carnem suam crucifixerunt,* etc.
816) Cf. Nm 21, 9. 817) Cf. Ios 8, 33-34. 818) Cf. 3 Rg 22, 19.

Bethel et Hai, [819] Bethel enim est d o m u s D e i : [820] *Templum... Dei sanctum est, quod estis vos ;* [821] *Vos... estis templum Dei vivi;* [822] Hai autem est *synagoga satanae,* [822a] civitas quam anathematizavit et destruxit Iosue post Iericho. [823] Latro autem a dextris electus, typus est Ecclesiae Dei; latro vero reprobus a sinistris, figura synagogae satanae. Hoc item mysterium est quod nubes illa, quae populum Dei ducebat in terram promissionis et in qua Angelus Domini erat, posita inter castra Hebraeorum et Aegyptiorum, Hebraeis quidem lucida erat, Aegyptiis vero obscura et tenebrosa; [824] sic Christus latroni a dextris lucidus per fidem, latroni autem a sinistris obscurus per infidelitatem. Item mysterium illud quod Aaron summus sacerdos, dum plaga Domini desaeviret ac grassaretur ignis irae Dei in populum, accepto thuribulo cum incenso stetit medius inter mortuos et viventes; [825] sic Christus, qui *sempiternum habet sacerdotium,* [826] stat medius inter duos latrones, quorum alter est in aeternum victurus, alter vero igne perpetuo comburendus, aeterna morte periturus. Sic Sem ille, de quo dicitur: *Benedictus... Deus Sem,* [827] qui putatur fuisse sacerdos ille Dei excelsi Melchisedech, rex Salem, [828] mansit in arca salutis diluvii tempore cum Iapheth benedicto et cum maledicto Cham, [829] latro a dextris benedictus, a sinistris maledictus. Sic Abraham duo [830] fratres, Nachor et Aram, quorum Nachor quidem maior diu vixit, Aram vero minor cito mortuus est; [831] sic vivit in perpetuum latro a dextris et moritur in aeternum latro a sinistris. Hoc idem est quod Abraham duas habuit uxores: unam liberam, alteram ancillam, unam legitimam et alteram concubinam, unam perpetuam usque in finem et alteram cum filio suo a domo eiectam, hi enim duo Ecclesiam et synagogam designant. [832] Hoc item quod Isaac duos filios habuit: unum Deo dilectum et alterum odio habitum; [833] sic horum unus praedestinatus et electus est, alter vero praescitus.

Ille a dextris typus est Ecclesiae Dei, alter a sinistris figura synagogae.

LIV. Nec sine mysterio Christus in Calvaria crucifigi voluit, in loco, inquam, ubi rei mortis extremo supplicio dabantur. Sed sicut

Crucifigitur in Calvaria,

819) Cf. Gn 12, 8. 820) Sic Bethel latine interpretatur. 821) 1 Cor 3, 17. 822) 2 Cor 6, 16. 822a) Apc 2, 9. 823) Cf. Ios 8, 1-29. 824) Cf. Ex 14, 19-20. 825) Cf. Nm 16, 46-48. 826) Hebr 7, 24. 827) Gn 9, 26. 828) Cf. ibid. 14, 10; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 453. 829) Cf. Gn 9, 25. 27. 830) Ms.: *Duos*. 831) Cf. Gn 11, 26-28. 832) Cf. ibid. 16, 1-3; 21, 1-14; Gal 4, 22 sqq. 833) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13.

ut ostenderet se mori pro mundo peccatore,

nascens Christus in stabulo[834] ostendit mundum hunc stabulum esse locumque bestiarum propter peccatum, nam: *Homo, cum in honore esset, non intellexit,*[835] etc., sicut Nabuchodonosor conversus in bestiam fuit,[836] sic moriens in loco reorum ostendit mundum universum reum esse mortis et quod pro tali reatu ut iustitiae divinae satisfaceret ipse moriebatur.

et causam esse omnium vitae ibi moriendo ubi credebatur sepultus Adam, qui omnium mortis causa fuerat,

Erat autem locus extra Ierusalem, sed prope;[837] dicebatur autem *Golgotha*, idest cranium sive caput, sic dictum est a rotunditate, quoniam ibi damnatorum capita asservabantur,[838] vel forte quia communis erat traditio ibi primum hominem fuisse sepultum, ut affirmant Origenes, tractatu 32 *In Matthaeum,*[839] Athanasius sermone *De Cruce et Passione,*[840] Chrysostomus hom. 84,[841] Basilius *In Isaiam*, cp. 5,[842] Epiphanius libro *Contra Haereses*, haer. 46,[843] Cyprianus sermone *De Resurrectione Christi,*[844] Ambrosius libro 5, epist. 19,[845] Augustinus tractatu 84 *in Ioannem*[846] et sermone 71.[847] Quare magno mysterio factum est ut ubi mortuus iacebat primus Adam, qui mortis omnium causa fuit, ibi moreretur secundus, ut sua morte vitae omnium hominum causa esset. Quod si Divus Hieronymus putat in Hebron sepultum esse Adam,[848] quoniam scriptum est *Iosue* 14: *Ibi situs est Adam maximus inter Enacim,*[849] profecto ibi Scriptura non loquitur de primo homine,[850] sed de gigante quodam, qui dicebatur Arbe, et hinc Hebron dicebatur Cariath-Arbe, idest civitas Arbe, quoniam vir iste famosissimus erat ob proceram vastamque corporis magnitudinem, qua omnes superabat gigantes; hinc dicitur *maximus inter Enacim*, idest gigantes; et ibi *Adam* non est nomen proprium viri, sed commune speciei; habet enim ה hemanticum et emphaticum,

834) Cf. Lc 2, 7. 835) Ps 48, 13. 21. 836) Cf. Dn 4, 30. 837) Cf. Io 19, 20. 838) Cf. Paschasius Ratbertus *In Matthaei Evang.*, lib. 12, (P. L. 120, 944-945); Petrus Comestor *In Evangelio* cp. 170, ibid. 198, 1629. 839) (P. G. 13, 1777). 840) Ibid. 28, 207. 841) Iuxta Migne hom. 85, ibid. 59, 459. 842) Ibid. 30, 547.
843) Ibid. 41, 843. 844) Hunc sermonem invenimus in antiqua editione operum S. Cypriani, Venetiis ad Signum Spei, 1574, pag. 715. Postea autem inter spuria amandatus fuit et in Migne de eo ne verbum quidem fit. 845) Iuxta Migne epist. 71, sine numeratione librorum, (P. L. 16, 1243). 846) In tractatu citato hoc non invenimus nec in Migne nec in aliis antiquioribus editionibus. 847) Sermo 71 *De Immolatione Isaac* inscribebatur in veteribus editionibus, v. g. Parisiis apud Gulielmum Merlin et Sebastianum Nivellium, 1571. In Migne ponitur inter supposititia, Sermo 6, (P. L. 39, 1750-1751). 848) *De Situ et Nominibus Locorum Hebraicorum*, (P. L. 23, 862). 849) Vr. 15. Vulg.: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* 850) Ms.: *Homines.*

quae Hebraeis dicitur ה *hahediah*, idest notificationis, cuius nomina propria non sunt capacia.[851]

Crucifigitur in loco maledicto, ut ostenderet mundum maledicto Dei obnoxium ob Adae peccatum.

Item, in maledicto loco Christus crucifixus est, ut ostenderet mundum maledictioni Dei ob Adae peccatum obnoxium: *Maledicta terra in opere tuo,*[852] quare opus erat ut Christi sanguine sanctificata benediceretur: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem,* etc.;[853] in loco eminenti, sic enim cum pestis grassaretur in populum Domini ob peccatum superbiae et inobedientiae ipsius David, monitus tunc David ab Angelo per Gad prophetam fuit ut super montem Moria, ubi sacrificatus Isaac fuit Domino,[854] sacrificium offerret,[855] ubique postea a Salomone aedificatum templum fuit;[856] Moria autem a m a r i t u d o D o m i n i interpretatur. Erat autem tunc locus ille profanus, nam area erat Orman, hominis gentilis iebusaei, ibique conspectus fuit Angelus ex divina iustitia percutiens populum ob peccatum Davidis.

Magna mysteria divina designantur per quattuor partes crucis;

LV. Quod Christus crucifixus fuit nudus mysterium fuit, quod per crucem Deus cognoscendus erat non amplius legis umbris figurisque symbolicis, veluti vestibus quibusdam indutus, sed clara et aperta evangelicae legis veritate. Hinc P a u l u s : *Quoniam,* inquit, *non cognovit in Dei sapientia mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes,*[857] ut ostenderet quia *quod infirmum est Dei fortius est mundo et quod stultum est Dei sapientius est mundo.*[858] Hinc per quattuor crucis partes magna Dei mysteria designantur, ut P a u l u s ait: *Ut possitis,* inquit *comprehendere quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, scire etiam supereminen-*

851) *Adam*, nomen personae hebraice scribitur: אָדָם, nomen commune speciei autem: הָאָדָם. Lyranus: « Adam (in Ios 14, 15) est nomen commune et significat hominem; tamen appropriatum fuit primo homini. Dicunt igitur aliqui quod ibi tenetur *Adam* prout est nomen appropriatum pro primo homine ibi sepulto. Alii dicunt quod accipitur pro illo gigante qui dicitur *Arbe*. De הַ emphatico cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub littera: ה, et sub radice: אָדַם; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 204, not. 522.

852) Gn 3, 17.

853) Ps 84, 2.

854) Cf. Gn 22, 2-10. Cf. not. 37 huius hom., pag. 262.

855) Cf. 2 Rg 24, 1 sqq.; 1 Par 21, 1 sqq.

856) Cf. 2 Par 3, 1.

857) 1 Cor 1, 21. Vulg.: *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus... per stultitiam praedicationis*, etc.

858) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

tem scientiam caritatis Dei. [859] Sic per Moysi virgam multis operatis miraculis in Aegypto, cognita est virtus Dei salvatusque est populus sanctus et electus Dei, posito agni paschalis sanguine super utrunque postem in superliminaribus domorum, [860] in signum sanguinis salutaris Christi in cruce effusi ob nimiam caritatem; haec enim, non ferrei clavi Christum tenebant in cruce ligatum, quemadmodum in Veteri Lege alligabatur hyssopus ligno cedrino cum cocco bis tincto, quo intincto in sanguine sacrificii pro peccato aspergebantur qui mundandi erant. [861] Christus enim hyssopus est, herba humilis et odorifera: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* [862] lignum cedrinum crux sancta, coccus bis tinctus gemina caritas, quam coccineum illud filum, quo signo salvata fuit Rahab meretrix, [863] designabat.

per duo autem ligna crucem componentia gemina caritas et efficacia passionis Christi designatur.

Nam et per duo crucis ligna gemina haec caritas designabatur: per rectum caritas erga Deum, et per transversum erga homines, et bonos et malos, nam omnium salutem desiderabat. Licet etiam per lignum rectum, quod terram tangebat et coelum respiciebat, designetur passionis Christi efficacia tum in terra per gratiam tum in coelo per gloriam, in Ecclesia, inquam, et militante in terris et triumphante in coelis; itemque pacificatio coelestium Angelorum et terrestrium hominum, unde P a u l u s ait: *Complacuit* Deo *per eum,* idest Christum, *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in coelis sive quae in terris sunt.* [864] Per transversum vero designabatur quod crucis efficacia longe lateque per universum orbem, ab oriente usque ad occidentem diffundenda erat; manu etenim dextera Christus orientem, sinistra occidentem vocabat, extensisque brachiis in cruce stabat, ut omnes amplecteretur omnibusque apertum caritatis suae pectus ostenderet.

Deo inspirante Pilatus hunc titulum scripsit

LVI. *Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* [865] Sicut Caiphas non a semetipso dixit: *Quia expedit... ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat,* [866] sed auctore Deo, qui per os eius lo-

859) Eph 3, 18-19. Vulg.: *Latitudo et longitudo... scientiae caritatis Christi.*
860) Cf. Ex 12, 22-30; Ps 105, 26-36; 106, 8-12. 861) Cf. Lv 14, 6. 862) Mt 11, 29.
863) Cf. Ios 2, 18. 864) Col 1, 19-20. Vulg.: *Sive quae in terris sive quae in coelis sunt.*
865) Io 19, 19. 866) Ibid. 11, 50.

cutus fuit sicut per asinam Balaam,[867] ita Pilatus non a semetipso, sed Deo auctore divinum hunc titulum scripsit infinitis mysteriis plenum: I. N. R. I. Posuit autem hunc titulum Pilatus ut causam ostenderet mortis Christi. Hinc M a t t h a e u s ait: *Et posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudaeorum.*[868] M a r c u s vero ait: *Titulum causae,*[869] Ioannem simul cum Matthaeo coniungens. Titulus ergo hic causam mortis Christi exprimebat, et ut universo mundo causam hanc notificaret, totus ipse titulus hebraice, graece et latine scriptus erat; et quoniam divina providentia scriptus positusque super crucem et super caput Christi titulus iste erat, noluit eum Pilatus ad Iudaeorum instantiam et petitionem mutare, nam ait: *Hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus,* et *dicebant ... Pilato ... Noli scribere: Rex Iudaeorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum.* Sed Pilatus respondit: *Quod scripsi scripsi.*[870] Id vero, secundum A u g u s t i n u m,[871] quia in quorundam *Psalmorum* titulis scriptum est: *Ne disperdas,* sive *ne corrumpas in tituli inscriptione.*[872]

et super crucem posuit, ut declararet causam mortis Christi,

Sunt autem hic nobis multa mysteria contemplatione quidem dignissima consideranda. Primo quidem, tituli ipsa inscriptio; secundo, causa inscriptionis; tertio, modus inscriptionis tribus in linguis; quarto, cur positus super crucem; quinto, cur super caput Iesu; sexto, eius immutabilitas et incorruptio. Quoad primum, apud M a r c u m tituli inscriptio est: *Rex Iudaeorum;* apud L u c a m: *Hic est Rex Iudaeorum;*[873] apud M a t t h a e u m: *Hic est Iesus Rex Iudaeorum,* et apud I o a n n e m: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Et tres quidem primi sensum tituli expressere, I o a n n e s autem postremus, qui crucifixioni interfuit titulumque vidit et legit, ita eum simpliciter refert uti a Pilato scriptus fuit. Deinde, cur scriptum est *Iesus,* non autem Christus? Cur *Nazarenus,* non autem Bethlehemita, cum in Bethlehem natus fuerit? Tertia, cur *Rex,* non autem iudex, cum prius Iudaei ex Dei instituto iudices habuerint,[874] deinde reges, invito quodammodo Deo?[875] Quarto tandem, cur *Rex Iudaeorum,* non autem

plenum infinitis mysteriis, quae ad sex capita reduci possunt.

867) Cf. Nm 22, 21-35. 868) 27, 37. 869) 15, 26. 870) Io 19, 20-22.
871) *In Ioannem,* tract. 117, (P. L. 35, 1946). 872) Ps 56, 1; 57, 1; 58, 1. *Inscriptione* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Inscriptionem.* 873) 23, 38.
874) Cf. Idc 2, 16-18; 21, 24; Ruth 1, 1. 875) Cf. 1 Rg 8, 1-9.

Hebraeorum omnium vel etiam Gentium? Cum enim Spiritus Sanctus per Pilatum inscriptionem hanc fecerit, nil sine mysterio factum esse existimandum est.

Dictus est *Iesus*, idest Salvator, quia salutem operabatur,

LVII. Dictus est *Iesus*, idest Salvator, hoc enim nomen illi in circumcisione primaque sanguinis effusione divinitus impositum est: *Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* [876] Sic enim Angelus ad Virginem ait: *Vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius,* etc., [877] ubi alter veluti est titulus crucis. Sic deinde ad Ioseph Angelus ait: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [878] Voluit hic vocari *Iesus*, quia salutem operabatur: *Deus autem rex noster in aeternum, operatus est salutem in medio terrae.* [879] quia tunc quasi alter Iosue, expugnatis Amalecitis, transito Iordane cum arca Domini, introducebat populum Dei in terram promissionis,[880] et quasi alter Iesus sacerdos magnus indutus sordidis vestibus [881] offerebat sacrificium Deo pro populi peccatis, et tanquam Iesus Sirach sapientissimus [882] in crucis cathedra sapientiam salutarem docebat. Nec tantum hi nomine, etiam Christum ob fortitudinem, sapientiam et sanctitatem, utranque dignitatem, et regiam uti Iosue, et sacerdotalem ut Iesus sacerdos magnus, Christum praefigurabant, unde dictus est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* [883] idest simul rex et sacerdos, sed etiam Eliseus, Isaias et Oseas, nam hi quoque salus et salus Domini interpretantur. Quare hic videre est Eliseum iacentem super mortuum puerum ad resuscitandum eum, [884] sic enim latronem suscitavit in spiritu et multos in carne, nam: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt;* [885] videre Isaiam in medio populi discalceatum et nudum; [886] videre Oseam ducentem in uxorem et sponsam mulierem meretricem, [887] quam etiam latro credens significat, ut etiam duplicem naturam, divinam et humanam, hoc nomine significaret in sua passione, sicut et in circumcisione, nanque tunc ut homo circumcisus sanguinem fudit

iam praefiguratus in Iosue, Iesu sacerdote et Iesu Sirach,

in Eliseo, Isaia et Osea.

876) Lc 2, 21. 877) Lc 1, 32. 878) Mt 1, 21. 879) Ps 73, 12. Vulg.: *Rex noster ante saecula,* etc. 880) Cf. Ios 3, 14 sqq. 881) Cf. Zach 3, 3-4. 882) Cf. Eccli *Prologus*; 50, 29. 883) Ps 109, 4; Hebr 7, 17. 884) Cf. 4 Rg 4, 32-35. 885) Mt 27, 52. 886) Cf. Is 20, 2-3. 887) Cf. Os 1, 2.

et ut Deus vocatus est *Salvator*, siquidem *Domini est salus*,[888] et: *Vana salus hominis.*[889] Isaias item ait: *Dominus . . . iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse* veniet et *salvabit nos.*[890] Ubi hebraice est nomen יְהוֹה,[891] tetragrammaton, ineffabile, nam et Christi nomen quattuor litteris constat hebraice: יֵשׁוּעַ,[892] idque non sine mysterio. Iesu enim nomen non apertum tenet aut demonstrat nomen tetragrammaton, sed tenet occultum, sicut et Christus in humanitate, quam mortalium oculis demonstrabat, occultam tenebat divinitatem. Et quidem nomen istud tetragrammaton est sicut et aliud. Secundo, prima et tertia huius nominis litterae eaedem sunt cum prima et tertia illius, secunda vero huius est שׁ, *scin*, quae quidem secundum substantiam eadem est cum secunda illius, sed inversa. Nam utraque tribus constat י,[893] sed tres י huius respiciunt sursum, illius vero deorsum, profecto quia secunda illa littera nominis tetragrammaton secundam personam designans, prius deorsum respiciebat, quia descensurus erat de coelo in terram, ut sicut tunc tres י virtute continebat, ita actu tres in una persona substantias, Verbum, animam et corpus haberet. Nunc autem haec his iisdem tribus י constans, sed multo clarius, sursum respicit, quia ascensurus in coelum erat: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*[894] Quarta tandem littera huius, etsi non eadem gutturalis, tamen est sicut et illa. Quare sicut humanitas Christi divinitatem intrinsecus continebat, ita nomen hoc nomen divinae naturae intrinsecus virtute complectebatur.

In quattuor litteris hebraicis nominis *Iesu* continetur nomen divinum tetragrammaton.

In secunda littera autem speciatim designatur secunda Trinitatis Persona cum tribus substantiis:

Et quattuor istae litterae multis sunt refertae mysteriis. Nam prima quidem principium est omnium litterarum, cum quoddam sit punctum unde omnis linea incipit; sic Christus principium omnium rerum est: *Omnia per ipsum facta sunt.*[895] Secunda, שׁ,[896] tribus constat י simul unitis, quia tribus substantiis persona Christi constat: Verbo, quod est principium omnium, anima et corpore, quae sunt principia naturam humanam constituentia. Et quoniam Christus prius fuit Deus quam homo, hinc prima simplicissima praeponitur

Singulae etiam litterae huius nominis multa mysteria continent.

888) Ps 3, 9. 889) Ps 59, 12. 890) 33, 22. 891) Ms.: יְהוָה.
892) Ms.: ישוע. 893) Ms.: *Iod*, sic et infra 894) Io 16, 28. 895) Ibid. 1, 3.
896) Ms.: *Scin* et infra: *Iod*.

huic secundae, quae unit tres י in unum. Tertiam ו tanquam clavus est clavumque significat et copulam. Hoc enim designatur Christum clavum illum esse quo Iahel caput Sisarae transfixit;[897] sic Christus principi tenebrarum in sacra sua humanitate principi tenebrarum causa fuit mortis. Quarta tandem fontem designat, quia Christus fons gratiae, unde ex eius latere sanguis exivit et aqua.

Utranque naturam hoc nomine designatam Christus in passione sua clarissime ostendit.

Et quidem utranque naturam, quam sacrum istud nomen designabat, Christus in cruce clarissime ostendit: humanam in passione et morte et divinam in miraculis quae in cruce positus operari voluit in coelo, in terra et in inferno. Hoc enim est *nomen . . . super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.*[898] Sic ergo ad innumera hic designanda mysteria Christus suum nomen *Iesu* in sacratissimo hoc titulo voluit inscribi.

Dictus est *Nazarenus* ad designandam in ipso plenitudinem gratiae Spiritus Sancti,

LVIII. Voluit autem *Nazarenus* et non Bethlehemita inscribi, quoniam etsi magno miraculo natus ex Virgine fuit, decantatus ab Angelis,[899] multo tamen maius fuit miraculum cum, Angelo nuntiante in Nazareth Virgine concipiente a Spiritu Sancto fecundata, conceptus est factusque Deus homo. Deinde, quia *Nazarenus* separatum significat; Christus autem ille est de quo ait Propheta: *Scitote quia Dominus sanctum suum mirificavit*, hebraice *separavit.*[900] De quo item Apostolus: *Talis enim decebat ut esset nobis pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.*[901] Unde solus Christus vere *Nazarenus* dici potest. Hinc ait Matthaeus *dictum* esse *per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.*[902] Quod item omnis Spiritus Sancti gratia plenum designat. Unde Isaias de Christo ait: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, hebraice נֵצֶר,[903] *nazar*, quasi nazaraeus, *et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae*, etc.[904]

eius quoque innocentiam,

Item *Nazaraeus*, ad instar Ioseph patriarchae, qui *nazaraeus inter fratres suos* dictus est[905] innocenterque multa passus,[906] uni-

897) Cf. Idc 4, 21-22. 898) Phil 2, 9-10. 899) Cf. Lc 1, 26-38; 2, 6-14. 900) Ps 4, 4. 901) Hebr 7, 26. 902) 2, 23. 903) Ms.: נצר. Cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: נצר. 904) 11, 1-2. 905) Gn 49, 26. 906) Cf. ibid. 37, 4 sqq.

versae domui patris sui causa salutis extitit mundumque a fame salvavit. [907]

Item ad instar Samsonis, qui et ipse *nazaraeus* dictus est, [908] fortissimus autem ipse sua morte inimicorum quidem ruinae, populo autem suo causa salutis extitit, et inimicorum quidem plures occidit moriens quam vivens. [909] Christus autem verus est Samson, fortissimus gigas, de quo dicitur: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius*, etc. [910] Nam Samson s o l utique interpretatur, quare sicut sol absque ulla est penitus macula, non sicut luna, et sicut sol ob summam lucis copiam separatus videtur ab omnibus astris ac solus esse, ita profecto Christus Nazaraeus, separatus sanctusque dictus. fortitudinem

Et tandem *Nazarenus* Christus dicitur, quoniam Nazaraeorum in lege sanctissima erat religio, erant enim ex voto simpliciter Domino consecrati; [911] unde ait: *Omnibus diebus separationis suae sanctus erit Domino.* [912] Sic fuit Christus semper sanctus, qui nunquam vinum bibit, *in quo est luxuria,* [913] nec quicquam quod degustavit [914] egreditur de vinea illa, de qua dicitur: *De vinea Sodomorum vinea eorum et de suburbanis Gomorrhae ; uva eorum uva fellis et botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.* [915] Super huius caput nunquam ascendit novacula illa, quae ascendens super caput Samsonis et capillos capitis tondens in quibus fortitudo eius consistebat, omnem supernaturalem virtutem amisit. [916] Christus autem nunquam amisit gratiam septemque Spiritus Sancti dona, quae sunt septem capilli Samsonis, neque ingressus est unquam super mortuum: *Qui peccatum non fecit neque inventus est dolus in ore eius,* [917] adeo ut nec per inadvertentiam aut incircumspectionem, quae minima solent iustorum esse peccata, unquam vel levissime peccaverit Christus. et sanctitatem, non solum quia nullum habuit peccatum,

Nec tantum ob id Christus dicitur *Nazarenus*, quia nullum penitus habuit unquam peccatum, sed semper innocentissimus fuit, sed etiam quia tales homines electos suos fecit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [918] *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine* sed etiam quia alios sanctos efficit,

907) Cf. ibid. 44, 1-45, 1 sqq. 908) Cf. Idc 13, 7. 909) Cf. ibid. 16, 1 sqq. 910) Ps 18, 6-7. 911) Cf. Nm 6, 1-21. 912) Ibid. vr. 8. 913) Eph 5, 18. 914) Ms.: *Quod repotitur.* 915) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi. Botrus amarissimus* lect. cod. 916) Cf. Idc 16, 17-20. 917) Is 53, 9; 1 Petr 2, 22. 918) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.

nam Angelis et hominibus innocentiam confert.

suo; [919] *Hi sunt qui . . . laverunt stolas suas . . . in sanguine agni;* [920] *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.* [921] Fiebat autem aspersio ista sanguine, quare *Nazarenus* dicitur Christus uti sol lucidus et ignis calidus, quia et in se talis est et aliis innocentiam hanc suam impertit, nam: *Verbum caro factum est . . . plenum gratiae et veritatis . . . et de plenitudine eius nos omnes accepimus . . . gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [922] Ipse enim est qui etiam Angelis in coelo innocentiam contulit eosque ne peccarent et perirent salvavit. Unde Divus Bernardus ait: Dictus est salvator et ante incarnationem et post. Ante quidem, quoniam Salvator Angelorum; post vero, quia salvator hominum. [923] Sic et Angelis et hominibus innocentiam et gratiam sanctificantem confert.

Dictus est *Rex*, quia supremam, absolutam et universalem habet potestatem,

LIX. Tertio, dicitur *Rex,* non iudex, quia non venit *ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* [924] venit tanquam pastor *quaerere et salvum facere quod perierat,* [925] et ut bonus pastor dare animam suam pro ovibus suis. [926] *Rex,* quia supremam absolutamque habet potestatem: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [927] *Rex* potentissimus ut David, [928] sapientissimus ut Salomon, [929] sanctissimus ut Iosias et Ezechias; [930] *Rex* sicut David qui ter unctus fuit: primo a Samuele in secreto in domo paterna, [931] secundo in Hebron a tribu Iuda, [932] et tertio ab universo Israele; [933] sic Christus primo in utero Virginis, secundo in resurrectione et tertio in admirabili ascensione, cum *assumptus . . . in coelum . . . sedet ad dexteram Patris.* [934] *Rex,* cuius potestas *potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum . . . quod non corrumpetur;* [935] *Rex* naturae universalis, coeli, terrae et inferni, unde suo nutu facit hodie contenebrari coelum, contremiscere terram et mortuos revocat ab inferno; *Rex* totius Ecclesiae, unde tanquam dominus templi scindit velum *a summo usque deorsum* [936] et aperit sancta sanctorum; *Rex* paradisi, quem

in natura, in Ecclesia et in paradiso;

919) Apc 1, 5. 920) Ibid. 7, 14. 921) Ps 50, 9. *Domine* ex Liturgia Ecclesiae.
922) Io 1, 14-17. 923) *De Circumcisione Domini,* serm. 1, (P. L. 183, 133).
924) Io 3, 17. 925) Lc 19, 10. 926) Cf. Io 10, 11. 927) Mt 28, 18.
928) Cf. Eccli 47, 3-8. 929) Cf. ibid. vrr. 16-18. 930) Cf. ibid. 49, 1-5.
931) Cf. 1 Rg 16, 13. 932) Cf. 2 Rg 2, 4. 933) Cf. ibid. 5, 3. 934) Mc 16, 19.
935) Dn 7, 14. 936) Mt 27, 51-52.

hodie dono dat latroni. *Rex* tandem magnus, imo maximus, imo ter maximus, *Rex* Deo aequalis, infinitae potentiae, infinitae sapientiae, infinitae bonitatis, infinitae gloriae, infinitae maiestatis: *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria.* [937]

Sed *Rex* ille est, qui mutato habitu suo descendit in proelium sagittaque veniente ex incerto vulneratus, super currum suum mortuus est. [938] *Rex* Christus est sempiternus, sed mutato habitu gloriae suae: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo;* [939] vulneratus sagitta veniente ex incerto: *Expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo . . . Hoc autem a semetipso non dixit;* [940] mortuus est super currum suum, super sanctam crucem. Et ille quidem pugnans contra gentes idololatras et contra regem Syriae mortuus est; Christus autem expugnans tartareas potestates. Est etiam iste *Rex* ille, de quo Ieremias in suis *Lamentationibus* ait: *Spiritus oris nostri Christus Domini captus est in peccatis nostris. Cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.* [941] Iste est rex Saul in proelio a Philisthaeis occisus, [942] sanctissimus rex Iosias vulneratus a sagittariis regis Aegypti, qui ab universo Iuda et Ierusalem planctu magno luctus fuit, maxime a Ieremia, ac veluti lex obtinuit in Israel ut per singulos annos cantores et cantatrices Israel lamentationes Iosiae flebiliter replicarent. [943]

Rex sempiternus,

qui tamen mori voluit ad expugnandas tartareas potestates.

LX. Tandem, *Rex* dicitur *Iudaeorum,* idest laudantium et confitentium, [944] *Rex* electorum, nam: *Elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* [945] Hinc ait: *Regnabit in domo Iacob in aeternum,* [946] quia *Iacob dilexi.* [947] Hinc non ait: in domo Abraham, quia ibi Ismael eiectus a Deo una cum matre, quoniam persequebatur Isaac: *Eiice ancillam et filium eius;* [948] non in domo Isaac, quoniam ibi erat Esau odio habitus; [949] sed: *In domo Iacob,* in qua omnes fuerunt electi. Hos Christus, quos ab aeterno iustificavit, iustificat et salvat.

Rex Iudaeorum dicitur ad significandos electos, qui Christum tanquam regem agnoscunt et colunt.

937) 1 Tim 1, 17. 938) Cf. 3 Rg 22, 30-35; 2 Par 18, 29-34. 939) Phil 2, 6-7. 940) Io 11, 40-41. 941) 4, 20. Vulg.: *Christus Dominus*, etc. 942) Cf. 1 Rg 31, 2-5; 1 Par 10, 2-6. 943) Cf. 2 Par 35, 20-25. 944) *Iudaea* enim latine laudatio et confessio interpretatur. 945) Ps 77, 68. 946) Lc 1, 32. 947) Mal 1, 2; Rom 9, 13. 948) Gn 21, 10; Gal 4, 29-30. 949) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13.

Rex est eorum, qui illum tanquam regem agnoscunt et colunt: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius;* [950] *Rex* eorum, qui cum latrone a dextris dicunt: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum;* [951] *Rex Iudaeorum,* quoniam apud Iudaeos erat templum Domini et verus Dei cultus; *Rex Iudaeorum* qui vere sunt secundum spiritum Iudaei et non secundum carnem tantum, qui *sunt synagoga satanae.* [952]

Alia fuit mens Pilati qui hunc titulum scripsit

LXI. Quoad causam vero Pilatus quidem hunc titulum conscripsit, ut sibi inde apud vulgus et gentes gloriam venaretur, quod tantae esset potestatis ut regem Iudaeorum crucifixerit; secundo, ut apud Caesarem maiorem gratiam inveniret, quod eum qui vel solum nomen regis sibi usurparat, tali morte affecerit contra Iudaeorum calumniam; tertio, ut Iudaeos ignominia afficeret, quam cum illi persensissent et rogassent ut aliter scriberet, ait: *Quod scripsi, scripsi.* [953]

et alia mens Spiritus Sancti qui eum dictavit,

Sed sicut alia fuit intentio Caiphae et alia Spiritus Sancti in prolatione illius sententiae: *Expedit ... ut unus moriatur homo pro populo,* sic in tituli huius inscriptione alia fuit impii mens Pilati et alia Dei, quo auctore sic titulus iste conscriptus est. Nam sicut ibi Caiphas nonnisi mortem Christi intendebat ex odio, Spiritus autem Sanctus salutem mundi per hanc mortem ex caritate, sic Pilatus in hac inscriptione suam praetendebat gloriam et ignominiam Iudaeorum, at Deus praetendebat gloriam Christi sanctorumque suorum.

volult enim exprimere veram causam mortis Christi, idest electorum vocationem, iustificationem et glorificationem.

Exprimitur autem hic causa mortis Christi. Fuit autem triplex: glorificatio, iustificatio et vocatio electorum Dei. Prima exprimitur in nomine *Iesu,* vera enim salus in patria est, ubi nulla perditio; secunda in nomine *Nazareni,* quoniam hic est *agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* quod fit in iustificatione; tertia in nomine *Regis Iudaeorum,* quoniam cum electi per fidem vocantur a tenebris ad lucem, a peccato ad gratiam, a vitio ad virtutem, a mundo ad Deum, a satana ad Christum, tunc Christus rex fit Iudaeorum, tunc, destructo regno satanae, advenit Christi regnum. Sic latro a dextris fide illuminatus transivit a regno satanae ad regnum Christi dum ait: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Sic profecto

950) Ps 75, 2. 951) Lc 23, 42. 952) Apc 2, 9. 953) Io 19, 22.

factum videmus in Ecclesia ex gentilitate conversa, nam prius, cum idola coleret, regnum satanae erat, nunc autem per fidem Christi ad Deum conversa facta est in spiritu vera Iudaea Christumque tanquam verum regem agnoscit, adorat et colit. Hic igitur titulus veram mortis Christi causam ostendit triplicem, quam diximus.

LXII. Quod autem tribus linguis conscriptus sacer iste titulus fuit, mysterium est quod ait Apostolus: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur quia Dominus* noster, etc. [954] Designat quod Christus omnibus gentibus, tribubus, populis et linguis praedicandus erat et adorandus tanquam verus salvator, iustificator et rex mundi in universa Ecclesia longe lateque diffundenda; per orientem, ubi vigebat lingua graeca, per occidentem, ubi latina, et in meridie, ubi hebraea affinesque linguae, credendus erat Christus omnibus gentibus, uti nunc cernimus, qualis in isto titulo est descriptus. Nam sic Zacharias ait: *Erit Dominus rex in universa terra; in illa die erit Dominus unus et nomen eius unum.* [955] Hinc unus tantum titulus, non plures. Et hic dicitur: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Hoc idem praedixerat idem Vates dicens: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.* [956] Siquidem *salvator* idem est ac *Iesus, iustus* idem est ac *Nazarenus, Rex tuus* idem ac *Rex Iudaeorum.* Quare per titulum hunc triumphus Christi designatur tum in Ecclesia militanti, qualem exhibuit Ierusalem in die palmarum, eo quod quatriduanum Lazarum suscitaverat, [957] tum in Ecclesia triumphanti, qualis exhibitus fuit Christo ab Angelis in die ascensionis Domini.

Tribus linguis scriptus fuit, quia Christus omnibus gentibus praedicandus erat

et ubique adorandus tanquam verus salvator, iustificator et rex mundi.

Quare hoc est mysterium quod titulus iste super crucem ponitur: est corona victoriae super certamen, quia *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen.* Imo iuxta tres linguas triplex triumphus; triumphaturus enim erat de potentia Romanorum, subiecto sibi romano imperio, de sapientia Graecorum et de religione et sanctitate Iudaeorum. Omnia enim haec in suum transtulit regnum

et significat Christi triumphum de potestate Romanorum de sapientia, Graecorum et de religione Iudaeorum.

954) Phil 2, 9-10. 955) 14, 9. Vulg.: *Rex super universam terram*, etc. 956) 9, 9.
957) Cf. Io 12, 12-18.

Christus: potentiam Romanorum, sapientiam Graecorum et religionem verumque Dei cultum Iudaeorum.

Positus autem fuit super caput Christi, quia in isto titulo elucet vera Christi divinitas,

Positus deinde est titulus iste super caput Christi tanquam corona victoriae atque triumphi, sicut lamina aurea, in qua descriptum erat nomen Domini tetragrammaton, in capite summi sacerdotis. [958] Nam in titulo isto vera divinitas elucet, non enim esset Christus salvator, iustificator et *Rex Iudaeorum* aeternus, nisi Deus esset. Hinc iuxta caput Christi ponitur titulus, quoniam *caput . . . Christi Deus* [958a] et a divinitate habebat Christus ut mundi rex, salvator et iustificator esset.

cum dignitate regali et sacerdotali.

Ponitur item iuxta caput, quod divinitatem designat, quoniam per crucem meruit Christus ut assumptus in coelum sederet a dextris Dei, *tanto melior Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [959] Ubi tria haec, quae in crucis titulo continentur, videtur ibi expressisse Apostolus: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius:* ecce caput Christi; *portansque omnia verbo virtutis suae:* ecce regalis dignitas Christi; *purgationem peccatorum faciens:* ecce sacerdotalis dignitas, qua nos a peccatis iustificat, *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis,* [960] tanquam verus salvator et largitor gloriae.

Septem verba Christus in cruce profert, nam septenarius numerus in Scripturis sacratissimus est,

LXIII. *Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* [961] Est Christus in cruce veluti aureum candelabrum septem lucernis ardens, [962] septem enim verba in cruce dixit, mysteriis innumeris plena. Numerus septenarius in Divinis Scripturis celeberrimus et sacratissimus est. Septem enim diebus mundus creatus est [963] et maximas solemnitates septem diebus Deus celebrari iussit; [964] urbem Iericho septem diebus ab universo populo voluit circumdari, septimo autem die septem vicibus cum sonitu septem tubarum argentearum, quas septem sacerdotes manu tenebant; [965] et in die expiationis arcam foederis Domini ex divino mandato sacerdos summus aspergebat sanguine septies. [966] Christus autem lapis est cum

958) Cf. Ex 28, 36; 39, 29. 958a) 1 Cor 11, 3. 959) Hebr 1, 4. 960) Ibid. vr. 3. 961) Lc 23, 34. 962) Cf. Ex 25, 37; 40, 22-23. 963) Cf. Gn 1, 1-2, 1-3. 964) Cf. Lv 23, 1 sqq. 965) Cf Ios 6, 4-13. 966) Cf. Lv 16, 2-16.

septem oculis,[967] agnus habens cornua septem et oculos septem,[968] liber signatus septem sigillis,[969] visus a Ioanne in medio septem candelabrorum aureorum, habens in dextera sua septem stellas.[970]

Et in Christi quidem passione sacratissimus iste numerus multipliciter consecratus est. Coepit Christi passio a coenaculo, ubi, post lotionem pedum discipulorum, Christus turbatus spiritu fuit, et in cruce terminata fuit. Septem igitur in locis Christus passus est: in coenaculo, in horto, in domo Annae, in domo Caiphae, in domo Herodis, in domo Pilati et in Calvaria. Septem itinera Christus agit hodie: a coenaculo ad hortum, hinc in domum Annae, inde in domum Caiphae, postea in praetorium Pilati, hinc ad Herodem, inde iterum ad Pilatum et tandem ad Calvariam. Septies oravit: semel in coena, ter in horto, ter in cruce. Septies vivum sanguinem fudit hodie: in horto, in flagellatione, in spinea coronatione, in manuum ac pedum crucifixione. In cruce septem miracula operatus est; siquidem divina virtute *tenebrae factae sunt super universam terram,*[971] sol divino miraculo obscuratus est,[972] *terra mota est . . . petrae scissae sunt . . . monumenta aperta sunt . . . multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*[973] et *velum templi scissum est . . a summo usque deorsum,*[974] et tandem septem verba dixit in cruce, quae sunt veluti septem illi panes quibus magno miraculo satiavit quattuor millia hominum et ex reliquiis impletae fuerunt septem sportae.[975]

In passione autem Christi multipliciter consecratus.

In quibus quidem septem verbis multiplex exprimitur passionis Christi fructus et utilitas nobis proveniens: primo quidem remissio peccatorum: *Pater ignosce illis;* secundo, adoptio filiorum Dei qua fratres Christi constituimur: *Mulier, ecce filius tuus . . . Ecce mater tua,*[976] qui enim passionis Christi gratiam percipit filius Dei et frater Christi constituitur; tertio, gloria paradisi: *Hodie mecum eris in paradiso,* hoc est quod hodie velum templi scissum est apertumque et revelatum est sanctum sanctorum; quarto, cognitio infinitae caritatis Dei erga nos: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*[977] *Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos;*[978] quinto, cognitio

In septem his verbis exprimitur multiplex fructus passionis Christi;

remissio peccatorum, adoptio filiorum Dei,

967) Cf. Zach 3, 10. 968) Cf. Apc 5, 6. 969) Cf. ibid. vr. 1. 970) Cf. ibid. 1, 12-16. 971) Mt 27, 45. 972) Cf. Lc 23, 45. 973) Mt 27, 51-52. 974) Mc 15, 38. 975) Cf. Mt 15, 34-37; Mc 8, 5-9. 20. 976) Io 19, 26-27. 977) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 978) Eph 2, 4.

gloria paradisi, cognitio infinitae caritatis Dei,

infiniti desiderii salutis nostrae in Christo: *Sitio;* [979] *Mulier, da mihi bibere;* [980] sexto, cognitio quod pro salute nostra Christus verus Deus fecit quaecunque potuit, sicut Elias super mortuum filium viduae [981] et Eliseus super defunctum puerum sunamitidis, [982] totum prosternens se ad mortuum hominem suscitandum: *Consummatum est,* [983] feci quaecunque potui: *Quid ultra debui facere vineae meae et non feci?* [984] in septimo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* [985] perpetua salus animae hominis morientis et tandem resurrectio corporis, unde moriente Christo *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt;* commendat Patri spiritum tanquam depositum suo tempore reddendum in resurrectione: Apud te pono spiritum meum. Sic quamvis modo fidelis sicut et infidelis moritur secundum carnem in oculis hominum, vivit autem secundum Deum in spiritu cum Angelis Dei in paradiso.

salus animae, perpetua et futura resurrectio corporis.

Ad haec septem verba forte alludit Regius Vates in *Psalmo 28.*

Septem ista Christi verba in cruce sunt forte septem illae voces in *Psalmo: Vox Domini super aquas . . . vox Domini in virtute, vox in magnificentia, vox Domini confringens cedros . . . vox Domini intercidens flammam ignis, vox Domini concutiens,* sive *parturire faciens desertum Cades, vox Domini praeparans,* sive *parturire faciens cervos.* [986] Primum enim Christi verbum: *Ignosce illis, vox* est *super aquas* ad abluenda peccata, hinc ex eius latere hodie *exivit sanguis et aqua.* [987] Secundum Christi verbum: *Ecce filius tuus . . . Ecce mater tua,* est *vox Domini in virtute,* virtus enim gratiae Spiritus Sancti constituit nos filios Dei et fratres Christi. Tertium Christi verbum: *Hodie mecum eris in paradiso, vox Domini* est *in magnificentia* et gloria. Quartum verbum inquirens causam passionis: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? vox* est *confringens cedros Libani:* vires fregit principum mundi huius, haec enim praecipua causa fuit passionis Christi. Quintum verbum: *Sitio, vox Domini intercidens flammam ignis;* flamma enim ignis exiens ex pectore Christi fuit verbum istud. Sextum: *Consummatum est, vox* est *parturire faciens desertum* sanctum; hinc enim animae sanctae excitantur ut faciant quaecunque possunt pro Deo, quoniam ipse Deus fecit quaecunque potuit pro homine. Et

979) Io 19, 28. 980) Ibid. 4, 7. 981) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 982) Cf. 4 Rg 4, 32-35. 983) Io 19, 30. 984) Is 5, 4. 985) Lc 23, 46. 986) Ps 28 (hebr. 29), 3-9. 987) Io 19, 34.

tandem septimum verbum: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, ubi immortalitas animae demonstratur, verbum est *praeparans* et *parturire faciens cervas*, nunc timore perpetuae poenae, nunc desiderio vitae et gloriae sempiternae.

LXIV. *Pater, ignosce.* Hoc Christi morientis testamentum est. Non fecit sicut David Christus, qui moriens vindictas quaesivit, veluti enim in testamento Salomoni reliquit ut de Ioab et de Semei vindictas sumeret ob illatas iniurias. [988] Non sic Christus, sed veniam et peccatorum remissionem a Patre crucifixoribus petit: *Pater, ignosce illis.* Summus sacerdos in die expiationis offerens vitulum in sacrificium, sumens de eius sanguine intrabat cum thuribulo in sancta sanctorum et aspergens sanguine septies divinum sanctuarium orabat pro peccatis populi. [989] Dum populus in deserto, relicto cultu veri Dei, adoraret vitulum aureum, Moyses intra caliginem cum Deo manens in summitate montis orabat Deum pro peccato illo maximo populi. [990]

Pater, *ignosce* : hoc Christi morientis testamentum est,

Cernitur hic Christi caritas infinita, orat enim pro inimicis, qui summo in ipsum et crudelissimo odio affecti erant, et quodammodo inimicos magis quam seipsum diligere se ostendit; sentit magis spirituale malum inimicorum quam proprium suum corporale, culpam magis illorum abhorret quam propriam poenam.

in quo ostenditur eius caritas infinita erga inimicos,

Sunt in corde nostro affectus et passiones: amor, odium, gaudium, dolor, spes, timor, pietas, ira. Vehementior autem passio semper remissiorem vincit. Saepe odium vincit amorem, dolor gaudium, spes timorem, pietas iram et amor etiam vincit amorem, maiusque odium vincit minus. Hinc de duobus bonis eligimus maius, de malis vero minus. Sic venenatum magis cibum potumque quam amaram potionem abhorremus. Sic Christus exhorrebat magis peccatum populi quam poenam passionis et mortis suae, quoniam haec veluti amara potio erat, illud vero letale mortiferumque venenum, quo gens Iudaeorum universa inficiebatur. Docuerat Christus diligendos esse inimicos, ignoscendum illis esse, orandum pro illis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumnian-*

docens etiam exemplo diligendos esse inimicos.

988) Cf. 3 Rg 2, 1-9. 989) Cf Lv 16, 11-14. 990) Cf. Ex 33, 1 sqq.

tibus vos. [991] Nunc facto idipsum et exemplo docet excusans peccatum eorum: *Non enim,* inquit, *sciunt quid faciunt.*

Haec oratio efficacissima fuit tum ratione personae, quia Filius dilectissimus orabat ad Patrem amantissimum,

Fuit autem haec Christi oratio apud Deum efficacissima tum ratione personae tum ratione status. Si unicus filius patrem roget amantissimum et piissimum, est petitio illa valde efficax ratione personae, quia filius dilectissimus petit a patre amantissimo, qui nihil potest tali filio denegare. At si filius ut patri morem gereret periculum mortis subiisset agensque animam et laborans in extremis patrem vocaret diceretque: Pater, peto et supplex oro ut mihi unam concedas gratiam quam desidero, profecto pater teneritudine cordis totus commotus diceret: Pete, fili, quid vis, nihil enim posset unico filio in tali statu denegare, non tantum quia unicus filius, sed etiam quia in tali statu, qui maxime movet paternum pectus ad pietatem, et eo magis si pater facile praestare posset quod filius desiderat, puta si pater ditissimus esset et filius multos haberet debitores pauperes, qui unde solvere possent non haberent, diceretque filius in extrema illa hora: Peto, mi pater, ut omnibus debitoribus meis, quoniam pauperes sunt, dimittas omnia debita et facias hoc pietatis opus pro Dei amore et salute ac consolatione mea, certe non posset amantissimus et piissimus pater dilectissimo filio negare [992] gratiam talem. Sic Christus unigenitus et dilectissimus filius Dei in hora mortis suae amantissimum et piissimum Patrem rogavit dicens: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt ;* dimitte debita omnibus debitoribus meis.

tum ratione status, quia Filius iste rogabat dum moriebatur ut Patris morem gereret;

Fuit efficacissima haec oratio apud Deum, quia haec ultima fuit gratia quam Christus in hora mortis suae petiit a Patre suo: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sic Christi caritas operuit multitudinem peccatorum; [993] hinc cum Christus orationem hanc ad Patrem habuisset, *velum templi scissum est . . . a summo usque deorsum* et divinum propitiatorium revelatum est. Et quidem, si Christus non sic ad Patrem orasset, meruisset Iudaeorum impietas contra Christum ut totus tunc mundus ad nihilum redigeretur. Hinc enim sol obscuratus fuit et *tenebrae factae sunt super universam terram, terra* etiam *mota est et petrae scissae sunt* in signum irae et indignationis

ideo divinam mitigavit iram et misericordiam meruit.

991) Mt 5, 44; Lc 6, 26-28. 992) Ms.: *Negarem.* 993) Cf. 1 Petr 4, 8.

divinae. Sed oratio Christi divinam mitigavit iram et misericordiam meruit. Ideo divinum propitiatorium revelatum fuit.

LXV. *Erat autem hora fere sexta, et tenebrae factae sunt usque ad horam nonam in universam terram*, etc. [994] Non sine causa in Christi morte *obscuratus est sol et velum templi scissum est . . . a summo usque deorsum*, sed ad designandum quod Christi humanitas velum erat operiens sanctum sanctorum divinitatis et quod ipse Christus verus est sol divinae lucis. Saepe enim Christus in Divinis Litteris appellatus est *stella* et *sol*, sive, quod idem est, *lux mundi : Orietur stella ex Iacob ;* [995] *Ego sum . . . stella candida et matutina;* [996] *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae;* [997] *Resplenduit facies eius sicut sol ;* [998] *Facies eius sicut sol in virtute sua* [999] ita rutilat; *Ego sum lux mundi;* [1000] *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* [1001] Hodie ergo eclipsatus est sol, quoniam mortuus est Christus, verus sol a quo sol lucem accipit, sicut luna nostra ab hoc visibili sole omnis mundanae lucis perenni fonte.

In morte Christi sol obscuratur ad designandam eius divinitatem, qua ipse est verus sol mundi.

Divini autem huius solis septem radios legimus in Divinis Litteris. Unde aureum candelabrum, quod totum sanctuarium divinum illuminabat, septem habebat lucernas ardentes tum in *Exodo* [1002] tum etiam apud Zachariam prophetam. [1003] *Sol* dicitur Christus, quoniam Deus est: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ;* [1004] *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* [1005] In Divinis autem Litteris septem sunt Dei attributa: potentia, sapientia, bonitas, iustitia, sanctitas, caritas et gloria atque maiestas summi regis summique imperatoris.

Divini huius solis septem radii sunt:

Christus Dominus ostendit divinam potentiam operando miracula; sapientiam praedicando Evangelium, declarando legem et Prophetas, manifestando secreta cordium, mentiumque arcana; bonitatem, omnibus benefaciendo ac utriusque salutis beneficia praestando, instituendo Sacramenta, dimittendo peccata; iusti-

potentia et sapientia, bonitas et iustitia,

994) Lc 33, 44. Vulg: *In universam terram usque in horam nonam.* 995) Nm 24, 17. 996) Apc 22, 16. Vulg.: *Stella splendida et matutina.* 997) Mal 4, 2. 998) Mt 17, 4. 999) Apc 1, 16. 1000) Io 8, 12. 1001) Ibid. 9, 5. 1002) Cf. 25, 34-37. 1003) Cf. 4, 2. 1004) Iac 4, 17. 1005) Ps 83 (hebr. 84), 12.

tiam, idest iudiciariam potestatem et iurisdictionem, nam iudex mundi totius constitutus a Deo est, semel[1006] et iterum[1007] eiciendo, adhibito flagello, profanos mercatores a templo; sanctitatem vivendo absque ulla penitus vel minima peccati macula et sanctificando peccatores omnesque doctrina et exemplis ad poenitentiam revocando; caritatem instituendo tandem Eucharistiae divinissimum sacramentum; gloriam et maiestatem in sua transfiguratione, quando *resplenduit facies eius sicut sol.*

sanctitas, caritas et maiestas.

Hodie autem sol iste obscuratus est, eclipsatus est, passus est luminis deliquium, omnes radii isti obscurati sunt, praeter unum, solus unus caritatis radius obscuratus non est, sed maxime resplenduit. Ubi est hodie Christi virtus et potentia? Resplenduit radius usque ad capturam in horto, cum uno verbo universum exercitum militum Iudaeorum prostravit in terram et cum Malcho abscissam aurem restituit.[1008] Sed postea radius iste obscuratus fuit, nullum amplius ostendit divinae potentiae actum. Samson, qui s o l interpretatur, eclipsatus fuit, passus deliquium luminis, amisit fortitudinem; abrasis capillis, in quibus fortitudo ipsius consistebat, ex viro fortissimo, qui solus potuit mille virorum exercitum invadere et ad nihilum inermis redigere, factus fuit infirmissimus. Sed amor fuit qui Samsonem debilem reddidit.[1009] Ita hodie amor Christi manus ligavit, ut seipsum defendere non valeret; amoris vinculis prius ligatus, ligari se permisit et comprehendi a satellitibus Iudaeorum.

In eius autem morte eclipsatus est radius potentiae, quia amor fecit ut comprehensus ab inimicis se non defenderet cum posset;

Fuit etiam hodie eclipsatus radius divinae sapientiae, hinc ab Herode et ab exercitu ipsius tanquam amens delusus fuit, veste alba indutus,[1010] quoniam sicut David coram rege Philisthaeorum amentiam simulavit,[1011] ita Christus hodie coram Herode et Pilato tacens, quasi causam suam nesciret defendere et innocentiam suam demonstrare. David simulavit amentiam ut effugeret mortem, sed Christus, e contra, ut a morte nequaquam liberaretur, nam si coram Herode signum aliquod operatus fuisset aut innocentiam suam ostendisset, procul dubio de manibus Iudaeorum liberatus fuisset, evasisset mortem: sed ob nimium amorem et salutis nostrae desiderium Christus hodie

eclipsatus est radius sapientiae, quia amor fecit ut taceret ac si loqui non valeret;

1006) Cf. Io 2, 14-16. 1007) Cf. Mt 21, 12; Mc 11, 15-17; Lc 19, 45-46. 1008) Cf. Lc 22, 50-51; Io 18, 6. 1009) Cf. Idc 15, 16-16, 1-21. 1010) Cf. Lc 23, 11. 1011) Cf. 1 Rg 21, 13 sqq.

amens videri voluit. Alia quidem vice miserunt pontifices ministros ut apprehenderent eum praedicantem in templo, sed Christus sola sapientia et eloquentia se defendit. Quare reversi ministri ad pontifices dixerunt: *Nunquam sic locutus est homo.* [1012] Sed hodie amor facit ut loqui non posset aut sciret, sed sciens et volens seipsum tradidit in manus Iudaeorum inimicorum ipsius capitalium. Sic eclipsatus fuit divinae sapientiae radius.

Nec tantum radius sapientiae, sed etiam bonitatis, qua ut verus Deus dat rebus omnibus esse et omne bonum, ad solis instar qui universo coelo et mundo dat lumen. Quis credidisset hodie Christum esse thesaurum omnium bonorum Dei? Ipsum esse per quem facta sunt omnia? [1013] Qui rebus omnibus dat vitam? Qui Angelis in paradiso aeternam felicitatem et omne gaudium? Quod ipse sit fons vitae et omnis consolationis, cum apparuerit hodie omni bono, omni consolatione, vita etiam ipsa privatus? Si sol lucem rebus communicat, ipse est maxime lucidus; si ignis calorem, ipse est maxime calidus. Nunc autem ubi est hodie in Christo lux et calor omnis desiderabilis boni? Bonitas est obiectum amoris, pulcritudo amoris esca et cibus. Si Christus est ipsamet bonitas et pulcritudo Dei, si pulcherrimus optimusque Filius Dei, qualis in Iordane et in transfiguratione declaratus fuit, [1014] ubi est amor Dei erga ipsum hodie? Odium potius et iras in ipsum exercet. Hinc Isaias ait: *Vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem et quasi absconditus vultus eius,* et *putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* [1015] O quale deliquium!

eclipsatus est radius bonitatis,

quia amor fecit ut ipsa bonitas et pulcritudo Dei odio haberetur;

Eclipsatus est etiam et obscuratus radius divinae sanctitatis, cum esset Christus sanctus sanctorum, homo Angelis sanctior, Deo in innocentia et sanctitate aequalis; nec solum coram Deo talis erat, sed etiam apud homines in magna erat opinione et existimatione sanctitatis. Hoc enim est quod legimus: *Sicut prophetam eum habebant;* [1016] *Propheta magnus surrexit in nobis,* [1017] ita ut multi putarent eum vel Eliam esse aut Ieremiam vel unum ex Prophetis. [1018] Tanta

eclipsatus est radius sanctitatis,

1012) Io 7, 46. 1013) Cf. Io 1, 3. 1014) Cf. Mt 3, 17; 17, 5. 1015) 53, 2-4.
1016) Mt 21, 46. 1017) Lc 7, 16. 1018) Cf. Mt 16, 14.

quia amor fecit ut cum sceleratis reputaretur et peior homine seditioso latrone et homicida existimaretur;

autem lux obscurata est hodie, ita ut cum sceleratis reputatus sit [1019] et crucifixus tanquam latro, existimatus multo peior Barabba, homine seditioso, homicida et latrone. Sic damnatus fuit a iudice, postulatus ab universo populo ut suspenderetur in infami patibulo. Quis unquam hominum, si Christum in cruce pendentem vidisset, existimasset eum, non dico innocentissimum et sanctissimum Filium Dei, sed nec hominem quidem probum et iustum, hominem bonae fidei et vitae?

eclipsatus est radius dignitatis, quia amor fecit ut rex universi per manus carnificum mortem obiret;

Obscuratus fuit radius nobilitatis et dignitatis Christi. Sexto ante die susceptus fuerat in Ierusalem tanquam verus Messias, filius David, rex populo a Deo promissus, Salvator, cum infinito applausu et exultatione totius populi; sic in templum usque deductus fuit cum triumpho et gloria sicque regia auctoritate eiecit de templo omnes vendentes et ementes. Hodie autem ex regia dignitate ad talem tantamque indignitatem et humilitatem devenit, ut per manus carnificum in medio latronum vitam finiret infinita cum infamia et ignominia. Quis unquam rex aut inferioris gradus princeps talem passus est mortem? Tali tantaque cum ignominia vitam finivit?

eclipsatus est radius gloriae, nam amor fecit ut vitam finiret infinita ignominia;

Tandem, hodie in Christo omnis eclipsatus ac obscuratus fuit radius divinae gloriae et maiestatis. Quotiescunque Deus apparuisse legitur Patriarchis aut Prophetis, semper in maiestate gloriosus apparuit. Hodie autem ubinam est divinitatis gloria et maiestas in Christo? Ubi gloria divinae transfigurationis? Ubi gloria illa et maiestas, cum qua venturus est ad iudicandum mundum? Hodie vero tantae gloriae tantaeque maiestatis radius nullus apparuit: *Obscuratus est sol.*

solus resplendet radius amoris, quo se ultro inimicis offert,

LXVI. Divini huius solis unus tantum resplenduit radius amoris et caritatis, nam: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* [1020] idest pro personis quas diligit. Sic Christus hodie voluit morte sua infinitum erga nos amorem divinamque caritatem demonstrare. Hinc sciens quod venturus erat Iudas proditor cum cohorte et ministris Iudaeorum, non fugit, sed expectavit; prostravit omnes verbo, sicut tubarum sonitu ceciderunt muri Iericho, [1021] sicut arca Domini Dagon deum Philisthaeorum deiecit in ter-

1019) *Cf* Is 53, 12; Mc 15, 28; Lc 22, 37. 1020) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo,* etc. Affert ex Breviario Rom. Commune Apostolorum, antiph. 2 ad *Laudes.*
1021) *Cf.* Ios 6, 20.

ram,[1022] ad ostendendam divinitatis suae potentiam. Sed tandem ad caritatem suam demonstrandam comprehendi ac ligari se permisit, cum prius Malcho aurem restituisset, sicut propheta ille Dei impio regi Ieroboam manum contra se extensam et arefactam restituit.[1023] Ob id causam suam non defendit, nec verbum quidem dixit pro se, sicut Ioseph coram domino suo accusatus false et iniustissime calumniatus tacuit, nec suam innocentiam manifestavit aut probavit sicque innocens in lacum missus fuit, in carcerem teterrimum inclusus.[1024]

Malcho aurem restituit et calumniatus tacet.

Obscuratus est sol, sed velum templi, quod divinum propitiatorium operiebat atque celabat, scissum fuit, revelatum fuit sanctum sanctorum; hodie manifestata fuit caritas et misericordia Dei erga nos, quoniam: *Sic... Deus dilexit mundum,* etc.[1025] Est quidem caritas Dei erga nos aeterna sicut aeternus est Deus: *Caritate perpetua dilexi te;*[1026] sed erat nobis abscondita, velata erat, non cognoscebatur nec credebatur. Quis credidisset quod Deus tantopere hominem diligeret, ut pro humana salute unigenitum Filium daret? Erat haec Dei caritas occulta, quoniam permisit Deus hominem tentari, quoniam ob unum et satis leve peccatum[1027] secundum speciem a paradiso eiecit, subiecit diabolo, morti et mille malis,[1028] diluvio totum mundum perdere voluit,[1029] humanum genus nunc fame, nunc bellis, nunc peste, nunc mille aliis calamitatibus vexavit sumens de peccatis vindictas.

Ideo velum templi scissum significat revelationem caritatis Dei erga nos,

Hodie revelatus est infinitus thesaurus divinae erga nos caritatis, hodie revelatum divinum propitiatorium, qui locus erat divinae pietatis et benignitatis, locus divinae gloriae. Designabat autem propitiatorium quod Deus totus lux bonitatis et caritatis erat, nam totum erat aurum optimum et splendidissimum: *Deus lux est,*[1030] *Deus caritas est.*[1031] Quid est quod plurimi, imo maximi facit princeps? Utique vita, honor et omne bonum unici et dilectissimi filii. *Deus* autem *sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Quid est quod maximi facit homo? Vita, sanitas, voluptas, honor, fama ac dignitas statusque personae. Christus autem hodie propter nos haec omnia parvi ac vili pendit, contempsit omnia, nihili fecit.

nam omnia Christus amore nostri parvipendit,

Diligit homo ardentissime filios, uxorem et parentes, maxime ma-

1022) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 1023) Cf. 3 Rg 13, 4-6. 1024) Cf. Gn 39, 19-20. 1025) Io 3, 16. 1026) Ier 31, 3. 1027) Ms.: *Peccato.* 1028) Cf. Gn 3, 6 sqq. 1029) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 1030) 1 Io 1, 5. 1031) Ibid. 4, 8, 16.

Ipsam quoque Matrem suam maximo dolore afficiens propter nos.

trem optimam et amantissimam. Christus autem uxorem et filios non habuit, sed Matrem dilectissimam, omni amore, omni dilectione dignam. Sed videte, quaeso: voluit hodie propter nos Christus tali tantoque dolore dilectissimam Matrem afficere; nam hodie, iuxta Simeonis vaticinium, acutissimus doloris gladius sanctissimam pertransivit animam, transverberavit cor Virginis,[1032] quoniam vere potuit dicere: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.*[1033] Christus autem propter nos et salutem nostram non curavit Matrem tali tantoque dolore afficere. O amorem ineffabilem! o caritatem infinitam! Hic solus radius divini huius solis hodie maxime splenduit.

III. ALIA HOMILIA

Passio Domini Nostri Iesu Christi.[1]

Mirabilis visio Ezechielis describitur.

I. Dum populus Dei extra terram promissionis a rege Babylonis ductus in captivitatem in terram Babylonis, adhuc ibi captivus detineretur, Divus vates Ezechiel iuxta fluvium Chobar raptus in spiritu vidit coelos apertos et in medio coelorum similitudinem gloriae Domini. Vidit ventum turbinis venientem ab aquilone et nubem magnam, caliginosam ac tenebricosam a vento illo agitatam; in medio autem nubis veluti fornacem ignis ardentis et in medio ignis animal simile homini, habens tamen crura absque nodis et pedes rotundos sicut vitulus, habens quattuor alas et quattuor capita; unumquodque autem caput quattuor facies, cuius oculi erant sicut flammae ignis ardentis et sicut lampades accensae. Iuxta singula autem capita vidit rotas quattuor oculis plenas, sic compositas ut esset veluti rota in medio rotae, quae ad animalium instar vivebant et movebantur. Super haec autem omnia crystallinum firmamentum vidit et supra firmamentum thronum sapphirinum; supra thronum vero hominem sedentem cuius species a lumbis sursum erat veluti electrum et ignis

1032) Cf. Lc 2, 34-35. 1033) Thr 1, 12.

1) Liturgia Ecclesiae. Cf. Missale Rom.

intrinsecus splendens, a lumbis autem deorsum sicut ignis ardens et faciens in circuitu suo splendorem veluti iridem in nubibus coeli.[2]

Haec autem omnia procul dubio divinis mysteriis plena sunt. Cum autem V a t e s dicat hanc esse similitudinem gloriae Domini, profecto Christum visio ista designat, qui *splendor* est *gloriae et figura substantiae*[3] Dei. Hic est vir sedens super thronum sapphirinum, habens speciem ignis, Deus in humana forma, Deus misericordiae et clementiae; hoc enim iris designat, quae posita est in signum misericordiae.[4] Deus autem princeps est universi et creator mundi; ab eo incoepit linea creationis, quae in homine terminata fuit. Cum autem Deus factus est homo, ultimum punctum coniunctum est primo et facta est rota in medio rotae, quoniam Deus tum animae tum corpori coniunctus est; rota autem plena oculis: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[5] Dei. Factus autem homo assumpsit omnes quattuor status humanae naturae perfectissimo modo,[6] ut in quovis statu Christus principem locum teneret. Haec sunt quattuor capita et iuxta ea quattuor rotae. Alae autem virtutes designant et manus virtutum opera. Pedes autem recti atque rotundi perfectissimam Christi innocentiam atque iustitiam et sanctitatem vitae in universa vita sua. Haec est ergo similitudo gloriae Domini.

Christum designans, qui Deus est, princeps et creator mundi,

factus homo, assumens perfectissimo modo quattuor status humanae naturae,

Nubes autem obscura et tenebricosa mundum designat, qui *totus in maligno positus est;*[7] de peccatoribus enim legimus: *Hi sunt... nubes sine aqua quae a ventis circumferuntur.*[8] Ventus autem turbinis veniens ab aquilone et nubem agitans, aereas tartareasque potestates malorum spirituum designat, diabolus enim princeps est mundi huius.[9] Hodie vero vel maxime Christum videmus in medio nubis huius a vento aquilonari agitatae, dum Christus a peccatoribus crudelissimam persecutionem mortemque crucis perpetitur: *Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.*[10] Quamvis non invitus passus sit Christus, sed *oblatus est quia ipse voluit;*[11] *Ubi erat impetus spiritus, illuc* animalia *gradiebantur.*[12]

et tamen a peccatoribus crudelissimam persecutionem et mortem passus.

2) Cf. 1, 1 sqq. 3) Hebr 1, 3. 4) Cf. Gn 9, 13-17. 5) Col 2, 3.
6) Idest: status innocentiae in paradiso, status miseriae in hoc mundo, status gratiae in Ecclesia, status gloriae in coelo. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, Feria Sexta Dom. Passionis, pag. 495. 7) 1 Io 5, 19. 8) Iud vr. 12. 9) Cf. Io 12, 31; 13, 30; 16, 11. 10) Hebr 12, 3. 11) Is 53, 7. 12) Ez 1, 12.

Hoc autem cernitur Christum sequendo in omnibus locis passionis eius.

II. Et in passione quidem Christi videmus faciem hominis, faciem leonis, faciem vituli et faciem aquilae: faciem hominis praecipue in horto; faciem leonis, ex quo surgens ab oratione inimicis occurrit eosque prostravit, usquequo ad Pilatum ab Herode reductus fuit; faciem vituli usque ad Calvariae locum, ubi tanquam vitulus sacrificatus fuit; et faciem aquilae exaltatus in cruce, ubi orans oculos figit in Patrem, qui aeternus est sol gloriae infinitae, lucem habitans inaccessibilem. [13]

In horto ostenditur homo, dum tristatur et horret, orat et sanguinem fundit.

In horto Christus totus videtur homo, dum cum tribus discipulis Petro, Iacobo et Ioanne illuc ingreditur illisque ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* [14] dum ter procidit in terram in faciem suam, positis genibus, dum ter oravit, ter ab Angelo consolatus fuit, ter sanguineum sudorem emisit factus in agonia, ter surrexit ab oratione et venit ad discipulos suos commonendos ut vigilarent ne intrarent in tentationem. [15] Elias ad suscitandum mortuum filium viduae sareptanae ter oravit et ter super mortuum filium procidit. [16] Iacob patriarcha maxima in afflictione positus, dum Esau contra ipsum veniret cum armata manu, pluries oravit. [17] David item tribus vicibus oravit, dum a Saul gravissimam persecutionem pateretur, consolatusque a Ionatha fuit. [18] Sic Christus tanquam purus homo sacro hoc numero tribus vicibus Trinitatem adorat, sicut tribus vicibus in anno Deus ipse ab universo Israel voluit adorari, [19] et Salomon tribus vicibus in anno sacrificia Domino offerebat, [20] et rex Israel baculo ter percussit terram in signum quod tribus vicibus percussurus erat Syriam regemque eius sibi inimicum. [21]

In Christi passione consideranda sunt significatio et satisfactio, meritum et eruditio.

In Christi autem passione quattuor praecipue consideranda sunt. Primo, significatio; nam omnia occultis mysteriis et sacramentis plena sunt. Secundo, satisfactio; nam ad hoc Christus passus est, ut satisfaceret pro peccatis nostris: *Posuit* enim Deus *in eo iniquitates omnium nostrum;* [22] *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit;* [23] passus est ut peccatorum nostrorum debita solveret. Tertio, meritum; temporalibus enim hisce malis perpessis Christus meruit nobis sempiterna bona et malis corporalibus spiritualia bona. Et tandem

13) Cf. 1 Tim 6, 16. 14) Mt 26, 38. 15) Cf. Lc 22, 41-46. Ms.: *Orationem* loco: *Tentationem.* 16) Cf. 3 Rg 17, 21. 17) Cf. Gn 33, 3 18) Cf. 1 Rg 20, 41-42. 19) Cf. Lv 23, 1 sqq.; Dt 16, 16. 20) Cf. 3 Rg 9, 25. 21) Cf. 4 Rg 13, 18-19. 22) Is 53, 6. Vulg.: *Iniquitatem*, etc. 23) Ibid. vr. 4.

quarto, eruditio; ad nostram enim eruditionem et exemplum Christus multa pati voluit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius;* [24] in omnibus igitur quae Christus passus est in horto, in domo Annae et Caiphae, in domo Pilati et Herodis iterumque in praetorio Pilati, in itinere ad Calvariam et tandem in Calvaria crucifixus.

In horto tria passus est: maximum moerorem, maximum pavorem, maximam agoniam,

In horto Christus tria passus est; maximum moerorem: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* maximum pavorem superventurae passionis et mortis: *Coepit* enim *pavere;* [25] et tertio maximam agoniam: *Factus in agonia prolixius orabat,* hinc sanguineum sudorem effudit. [26] Passio igitur Christi ab interna cordis afflictione incepit, quoniam cor peccatorum omnium radix est et origo. A corde enim omnia vitia et peccata procedunt, hinc prima ac praecipua poenitentiae pars est cordis contritio: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum.* [27] Peccatum hominis ortum a superbia fuit, Christi passio incipit ab humilitate; peccatum mundi incepit a colloquio satanico, [28] Christi passio incipit a colloquio divino et oratione. Satisfecit Christus in horto pro peccatis cordis, meruit nobis solatium et consolationem divinam, unde descendit *Angelus de coelo confortans eum.* [29]

ut satisfaceret pro peccatis nostris

et doceret quid nobis agendum sit dum tribulamur.

Et tandem docuit quid nobis agendum est instante tribulatione, quod recurrendum ad orationem est perseverandumque in ea. Nam, si non impetrabimus liberationem a malo, obtinebimus saltem coelestem Spiritus Sancti consolationem, ut forti animo tribulationem feramus. Sic enim Christus veluti ex agno factus leo, ivit obviam inimicis Petrumque inimicis resistere volentem corripuit dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* [30] *An... non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae?* [31] Arguit Petrum, quia divinam dispositionem non attendebat et quia non necessariam defensionem et inutilem adhibebat ad vindictam potius quam ad defensionem. Tunc sanavit Christus abscissam auriculam, [32] docens inimicis benefaciendum esse.

24) 1 Petr 2, 21. 25) Mc 14, 33. 26) Lc 22, 42-43. 27) Ps 50, 19.
28) Cf. Gn 3, 1-6. 29) Lc 22, 43. 30) Io 18, 11. 31) Mt 26, 53-54.
32) Cf. Lc 22, 49-51.

Comprehensus ducitur ad Annam et ad Caipham,

III. Secundo loco, comprehensus Christus et ligatus tanquam latro, ductus fuit prius quidem ad Annam principem sacerdotum, qui Christum utique liberare potuisset et debuisset sciens Christi innocentiam; ipse vero non solum non liberavit, sed mortem eius cupiens misit ad Caipham, [33] eo quod is in concilio consilium dederat ut occideretur Christus. [34] Ductus autem ad Caipham et conspectui eius praesentatus, examinatus fuit de doctrina et discipulis ac si haeresiarcha esset, ibique a servo pontificis alapam accepit; [35] deinde a falsis testibus accusatus, ipse vero tacebat, quoniam gravissima omnium accusatio fuit, quod dixerat se posse templum destruere et aliud reaedificare.

ubi illuditur, colaphis caeditur et a Petro negatur.

Tacens autem Christus a pontifice interrogatus fuit atque adiuratus per Deum ut diceret an ipse esset Christus Filius Dei. Cumque esse se respondisset ob id ab universo concilio iudicatus fuit reus mortis. Tunc viri qui tenebant eum, coeperunt illudere ei, spuere in faciem eius, velare eius oculos, percutere eum colaphis, dare ei alapas et dicere ei: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* [36] Postremo hic in domo Caiphae ter negatus fuit a Petro ante gallicinium, post quod respiciens Dominus in Petrum fecit ut amarissime peccatum suum fleret. [37] Considerandum autem nobis est quidnam haec significent, pro quibus peccatis satisfecerit Christus haec patiens, quid nobis meruerit et tandem quaenam nobis documenta in his dederit.

Quattuor illa animalia Ezechielis quattuor mysteria passionis Christi designant,

IV. In quattuor faciebus divini huius animalis positi in medio turbinis quattuor mysteria passionis Christi possumus considerare et contemplari: primum in facie hominis, secundum in facie leonis, tertium in facie vituli et quartum in facie aquilae. In facie quidem hominis contemplari mysterium passionis Christi, quatenus martyrium et persecutio quam Christus passus est propter iustitiam; in facie leonis, quatenus Christi passio pugna fuit et conflictus contra diabolum et omnes tartareas potestates; in facie vituli, quatenus Christi passio fuit sacrificium pro peccatis nostris ad placandam iram Dei contra nos; et in facie aquilae, quatenus Christi passio remedium fuit salutis nostrae.

33) Cf. Io 18, 13-24. 34) Cf. ibid. 11, 50; 18, 14. 35) Cf. ibid. 18, 22.
36) Mt 26, 61-68. 37) Cf. Lc 22, 55-62.

Sic enim quod spectat ad primum, Christi passio praefigurata fuit in persecutione quam passus fuit Abel a Caino, [38] Ioseph a fratribus [39] et Iob a satana. [40] Quoad secundum, praefigurata in Moyse, qui solus pugnavit contra Pharaonem; [41] in Samsone, qui solus pugnavit contra Philisthaeos et inermis cum mandibula asini mille viros armatos vicit; [42] in Davide, qui inermis pugnavit contra Goliam eumque superavit et vicit. [43] Quoad tertium, praefigurata fuit in sacrificio Isaac, [44] in sacrificio virginis filiae Iephte [45] et in sacrificiis Legis. Et quoad quartum praefigurata in serpente aeneo exaltato, [46] in petra percussa, [47] et in agno occiso, cuius sanguine salvati sunt Hebraei a percussione Angeli percutientis Aegyptum. [48]

idest Christum passum esse propter iustitiam et maxima fortitudine,

ad placandam iram Dei et in remedium salutis nostrae.

Quoad primum, sicut Christus caput est omnium Sanctorum, ita caput est omnium Martyrum, sol inter Martyres; excedit passio Christi martyria omnium Martyrum, sicut lux solis lumina omnium stellarum. Est Christus Martyr Martyrum. Sicut enim in capite omnes sunt sensus, ita in Christo elucet omne passionis genus, adeo ut si cuiusvis martyris passio cum Christi passione comparetur, *quasi arena maris haec gravior* apparebit. [49] Siquidem omnes Sancti multa quidem passi sunt, sed hic quidem unum passionum genus, ille vero aliud: Abel fuit occisus, Ioseph venditus, Iob flagellatus; sed Christus passus est omnia simul. Unde ait per Psalmistam: *In me transierunt irae tuae et terrores tui conturbaverunt [me]. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.* [50] Sicut Ionas circumdatus fuit aquis maris, [51] sic Christus afflictionibus in passione sua: *In me transierunt irae... et terrores;* non ira et terror, sed *irae... et terrores;* nec tantum *irae... et terrores,* sed *circumdederunt me* undique, sicut aquae, et hoc *tota die* et *simul irae... et terrores.*

***Facies hominis* ostendit Christum caput omnium Martyrum,**

passus est enim omnia tormenta simul.

38) Cf. Gn 4, 3-8. 39) Cf. ibid. 37, 2-28. 40) Cf. Iob 1, 12; 2, 1-8. 41) Cf. Ex 4, 1 sqq. 42) Cf. Idc 15, 1 sqq. 43) Cf. 1 Rg 17, 39-51. 44) Cf. Gn 21, 1-12. 45) Cf. Idc 11, 29 sqq. 46) Cf. Nm 21, 8-9. 47) Cf. Ex 17, 2-6; Nm 20, 8-11. 48) Cf. Ex 12, 21-29. In margine haec adiecta fuerunt: « In facie hominis praecipue splendet divina Christi et Dei erga nos caritas et humanitas in Christi passione. Fecit enim hodie Deus, Christus, ultimum de potentia, ad ostendendam nobis divinam caritatem suam erga nos. Nam origo peccati fuit quoniam serpens persuasit primis parentibus quod parum a Deo diligerentur et propterea prohibiti erant ne de ligno scientiae boni et mali gustarent: *Scit enim* Dominus *Deus quod quacunque die comederitis ex* eo, etc. Hinc ait Christus loquens de mysterio passionis suae: *Sic... Deus dilexit mundum.* Est Christi passio antidotum contra venenum serpentis antiqui ». 49) Iob 6, 3. 50) Ps 87, 17-18. 51) Cf. Ion 1, 15.

Multa passus est Iob, sed satanas non habuit in eum plenam potestatem,

Sic Iob circumdatus visus fuit tribulationibus, dum uno eodemque die privatus fuit omnibus bonis quae possidebat in mundo, de repente et ex tempore. Cum enim in domo sua quietus maneret venit ex insperato nuncius dicens: *Boves arabant et asinae pascebantur . . . et venerunt Sabaei tuleruntque omnia et pueros percusserunt gladio.* [52] Et ecce venit alter dicens: Ignis Dei descendit de coelo et consumpsit omnes oves et pueros. Et ecce alter venit dicens: Chaldaei fecerunt tres turmas et tulerunt camelos. Adhuc autem isto loquente venit alius dicens quod domus eius a fundamentis corruerat occideratque omnes filios et filias ipsius. [53] Sic bonis omnibus uno die unaque hora spoliatus fuit. Post haec vero a satana flagellatus plagatusque fuit a planta pedis usque ad verticem capitis, adeo ut a florentissima felicitate devenerit ad extremam infelicitatem. At vero Deus satanae minime concessit super Iob plenam et absolutam potestatem. Nam primo dixit ei: *Ne extendas manum tuam in eum.* [54] Deinde etsi dedit ei potestatem super carnem eius, non tamen plenam, nam ait: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva,* [55] idest ne occidas eum.

quam habuit in Christum;

Sed hodie Deus dat diabolo omnem potestatem in Christum. Hinc ipse ait: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* [56] ut sicut Pilatus tradidit Christum voluntati Iudaeorum, [57] sic Deus tradidit eum voluntati daemonum, ut facerent in eum quaecunque magis libuisset. Quare si Iob fuit patientiae exemplar, multo magis Christus; multo enim plura Christus passus est quam Iob. Nam flagellatus quidem fuit Christus sicut Iob, sed insuper spinis coronatus et crucifixus felleque et aceto potatus et tandem occisus et mortuus cum latronibus tanquam latro super infami patibulo.

et tamen Christus omnia tulit patientius et fortius quam Iob.

Omnia vero haec Christus multo patientius multoque fortius quam Iob sustinuit; non enim sicut Iob maledixit diei suae prae nimio animi dolore, [58] sed patientissime et fortissimo animo cordeque constantissimo et pectore plus quam virili sustinuit omnes passiones.

Martyrium Christi maximum omnium est, quia non tantum externum, verum etiam internum fuit. Magnum quidem fuit externum,

52) Iob 1, 14-15. Vulg.: *Et irruerunt Sabaei,* etc. 53) Cf. ibid. vrr. 16-19.
54) Ibid. vr. 12. Vulg.: *In eum ne extendas,* etc. 55) Ibid. 2, 6. 56) Lc 22, 53.
57) Cf. ibid. vr. 25. 58) Cf. Iob 3, 1.

si consideremus quid passus sit, a quibus, quomodo et ad quid. Sed multo maius fuit internum: *Tristis est anima mea*, etc. Passus quidem est toto corpore: *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas*, [59] in omnibus membris, in omnibus sensibus. Passus est sicut Abel a Caino, sicut Ioseph a fratribus Iudaeis, sicut Samson a Philisthaeis, a Gentilibus, sicut Iob a daemonibus, sicut Iacob ab Angelis, ille enim ab Angelo percussus fuit, [60] et sicut Isaac a fratre. [61] Iob a multis passus est, a Sabaeis, a Chaldaeis, ab amicis, ab inimicis, a daemonibus et a Deo. Christus autem passus est ab omnibus creaturis, a toto mundo, a toto inferno, a toto paradiso et ab ipsamet Trinitate. Sic Deus probare voluit Christum in fornace sicut aurum, ne diabolus posset calumniari Christum sicut calumniatus fuit Iob: *Nunquid frustra Iob timet Deum*, etc. [62]

Ideo martyrium eius internum et externum maximum omnium fuit.

Modus autem quo passus est Christus vehementer adauxit eius martyrium, si consideremus tempus et locum ubi passus est, a quibus, cum quibus et quam ob causam damnatus est ad mortem.

V. Facies item haec in sacro hoc animali ostendit passionem Christi opus esse infinitae humanitatis et caritatis erga nos. Caritatis Dei, qua *sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, [63] et caritatis Christi, nam: *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [64] Christus autem pro inimicis mortuus est. Quod P a u l u s *ad Romanos* exaggerat dicens: *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus... Christus pro nobis mortuus est* [65] *Vix*, inquit, *pro iusto quis moritur*. Nam si quis hominem occiderit, aut quodvis aliud delictum commiserit, et alius sit de tali delicto infamatus et propterea a iudice damnatus ad mortem, cum sit innocens et iustus, reus homicidii, etiam si carissimus sit amicus damnati et frater vel etiam pater, pro salvanda vita innocentis ibit et fatebitur coram iudice se reum esse criminis. *Pro iusto quis vix moritur*

Facies *hominis* etiam ostendit passionem Christi opus fuisse infinitae caritatis;

mortuus est enim pro inimicis

59) Is 6, 1. 60) Cf. Gn 32, 24-25. 61) Cf. ibid. 21, 9; Gal 4, 10. Ms.: *A Patre*. 62) Iob 1, 9. Vulg.: *Nunquid Iob frustra*, etc. 63) Io 3, 16. 64) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiore hac dilectionem*, etc. Cf. supra, not. 1020 praec. hom. 65) 5, 6-7.

... *pro bono forsitan quis audeat mori.* Ad liberandum a morte optimum principem hominemque reipublicae summe necessarium, ducem et imperatorem exercitus optimum et fortunatissimum: *Pro bono forsitan quis audeat mori;* sed pro inimico, pro homine a quo nullum accepit beneficium et multa maleficia, haec Dei et Christi caritas est.

et vitam suam postposuit saluti nostrae:

Bone Deus, quanti se fecisse salutem nostram ostendit hodie Christus! Homo sensatus in mundo omnium quae possidet rationem habet, sed harum quidem maiorem, illarum vero minorem, pro rerum dignitate. Sed si in navi sit cum omnibus bonis suis, orta autem tempestate opus sit navim exonerare ad evitandum periculum naufragii et submersionis, incipiet proicere in mare prius quae minoris facit et, si oportuerit, proiciet omnia ad salvandam vitam, quoniam super omnia homo propriae vitae rationem habet. Christus autem ostendit [se] omnia quae habebat et ipsam etiam vitam saluti animarum nostrarum postposuisse.

pro peccatis nostris maximam tristitiam voluntarie assumpsit et inimicis se obtulit comprehendendum;

Solet homo magni facere animi satisfactionem et quietem, hanc enim desiderant omnes. Sed Christus praetulit huic salutem nostram, nam in horto *coepit contristari et moestus esse; Tristis est anima mea usque ad mortem.* Hanc autem tristitiam Christus voluntarie assumpsit in poenitentiam pro peccatis nostris. Solet homo magni facere libertatem, hinc fugit quisque carceres et capturas; Christus autem praetulit salutem nostram libertati propriae, hinc sese obtulit cohorti et ministris Iudaeorum, ut comprehenderetur tanquam latro et malefactor. [66] Magni facit homo lumen oculorum; Christus autem in domo Caiphae oculis velatus fuit ac veluti excaecatus quia voluit, [67] pluris fecit salutem nostram quam lumen oculorum suorum. Magni facit homo corporis commoda, incommoda fugimus omnes; Christus autem quaenam hodie non est passus incommoda? Alapas, colaphos, percussiones, flagella, spinas, clavos, crucem, fellis amaritudinem, mille afflictionum genera. Magni facit homo honorem et reputationem, maxime vero cum magni nominis et clarae famae homo est; Christus autem maximi nominis et clarissimae famae homo erat ob vitae sanctitatem, doctrinam et miracula. Sed quid non passus est hodie confusionis et ignominiae? Quas non passus iniurias est? Captus est a co-

omnia saevissima tormenta pertulit, ludibria et iniurias,

66) Cf. Mt 26, 55-57; Mc 14, 48-49; Lc 22, 52-53. 67) Cf. Mc 14, 65; Lc 22, 64.

horte tanquam latro magno cum dedecore, ligatus ductus est a ministris Iudaeorum per civitatem ad Annam, ad Caipham, ad Pilatum, ad Herodem; sustinuit alapam a ministro coram pontifice et universo concilio; postea vero tum a ministris, tum etiam ab ipsismet scribis et Pharisaeis in concilio multas alapas et colaphos et, quod horribilius est, multa sputa in faciem. Flagellatus est, qua poena nonnisi vilissimi homines afficiuntur; spretus fuit ab Herode et universo exercitu ipsius tanquam amens. In ignominiam a cohorte Pilati indutus fuit purpura, coronatus spinis, dato arundineo sceptro, adoratus fuit rex maxima cum confusione; tandem damnatus ad mortem latronum et cum latronibus crucifixus. [68] Quis vel imaginari potest maiorem ignominiam? Praetulit salutem nostram omni honori et reputationi suae. Magni facit homo vitam propriam, facit homo quidquid potest ad fugiendam mortem. Christus autem propriae vitae praetulit salutem nostram.

et tandem mortem ignominiosissimam,

Crudelis fuit sibi ipsi Christus pro nobis, nihil sibi compassus est. Sed, bone Iesu, cur non compassus es Matri? Tu videns viduam Naim, afflictissimam illam matrem pro morte unici filii, misericordia motus es et filium ei restituisti, resuscitasti lacrimis motus et fletibus illius; [69] cur non sic compassus es Matri tuae, quae et vidua erat nec alium habebat filium? Praetulit etiam salutem nostram Christus consolationi amantissimae Matris, nec curavit propter nos ipsius animam acerbissimi doloris gladio transverberare. Sic videmus in Christi passione faciem hominis, infinitam Christi erga nos humanitatem et caritatem, quae coepit in incarnatione, sed perfecta est in passione.

et non solum sibi, sed nec Matri suae pro nobis pepercit.

VI. *Facies hominis.* Hodie vere in Christi passione et morte *apparuit*, ut A p o s t o l u s ait, *benignitas et humanitas Salvatoris* [70] Christi Dei. In duobus cognoscitur magnitudo amoris: in collatione bonorum et in perpessione malorum. Pater multa beneficia praestat filio et pro eo multos labores patitur, ita ut pro filiis seipsum multis periculis exponat, mortem etiam pro filiorum defensione et salute fortissimo animo oppetat. Christus hodie maxima largitur et simul maxima patitur. In coena dedit toti Ecclesiae Eucharistiae sacramen-

Cognoscitur magnitudo amoris in collatione bonorum et in perpessione malorum.

68) Cf. Mt 27, 27-28; Mc 15, 16-27. 69) Cf. Lc 7, 11-15. 70) Tit 3, 4.

Haec praestitit Christus ostendens erga nos maximam liberalitatem

tum et Missae sacrificium, Apostolis sacerdotium, divinam utique potestatem et dignitatem; in horto totum seipsum pro nobis obtulit Patri et magnam partem sanguinis fudit; Malcho abscissam a Petro auriculam restituit; in domo Caiphae Petro veram contulit poenitentiam et remissionem peccati; in cruce tandem dedit Matrem discipulo et Matri discipulum, latroni paradisum; tradidit etiam spiritum suum et pectus suum lancea aperiri voluit, ut cor suum nobis daret. Quaenam maiora signa amoris excogitari possunt?

et maximam patientiam,

Sed non tantum maxima liberalitas et munificentia signum est maximi amoris, sed etiam patientia. Magnum signum amoris est si rex amore captus pauperis puellae, eam velit ducere in uxorem, sicut Assuerus Esther, sicque eam faciat consortem et comparticipem omnium bonorum suorum. Sed si, ut eam habere possit et ad suum amorem pertraheret, ipsemet sub ignoti habitus forma eam adiret, ei loqueretur, eam invitaret velletque secum pauperem vitam ducere, secum multa pati, signum esset multo ardentioris amoris. Bone Deus, qualia hodie et quanta propter nos Christus passus est! Qualem sustinuit persecutionem a parentibus et cognatis huius puellae! Non enim principem agnoscebant: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* [71]

omnia sustinens libentissime et hilariter,

Haec autem omnia Christus non tantum patienter sustinuit, sed etiam libenter: *Oblatus est quia ipse voluit.* [72] Nec tantum libenter, unde nec a Petro defendi voluit, sed nec ab Angelis quidem: *An non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* [73] sed etiam hilariter; hinc tanta cum festivitate voluit in die palmarum ingredi Ierosolymam pergens ad locum passionis; hinc in ipso paschae die, in maxima omnium solemnitate, pati voluit, quasi dies passionis esset dies maximae festivitatis ipsius.

imo cum magno desiderio maiora patiendi.

Princeps exercitus securus de victoria cum laetitia expectat diem pugnae et certaminis, imo, quid dico? magno cum desiderio patiendi multo maiora. Haec sustinuit Christus: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* [74] Hoc enim est quod significare voluit in cruce cum dixit: *Sitio.* [75] Ex perfecto amore oritur perfecta patientia, quae sicut miles magni valoris nova semper certamina quaerit.

71) 1 Cor 2, 8. 72) Is 53, 7. 73) Mt 26, 53. 74) Lc 22, 15. 75) Io 19, 28.

Facies leonis. Christus in passione sua ostenditur leo et agnus,

VII. Nunc ad faciem leonis veniamus. Christus tanquam leo est, de quo legimus: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* [76] Ubi I o a n n e s quidem agnum vidisse se refert *tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem,* [77] idest omnem fortitudinem omnemque scientiam. Sed Christus simul est et agnus et leo: *Agnus Dei qui tollit peccata mundi,* [78] et *leo fortissimus animalium.* [79] Agnus Christus quia homo, sed leo quia Deus. Aderat in mundo diabolus *tanquam leo rugiens* qui circuibat *quaerens quem devoret;* [80] imo omnes daemones leones sunt rugientes et truculentae bestiae. Sed Christus non ut leo pugnare voluit contra leones infernales, sed ut agnus. Leonem se Christus ostendit hodie dum surgens ab oratione processit impavide obviam inimicis dicens: *Quem quaeritis ?* Postea vero unica tantum voce dicens: *Ego sum,* omnes prostravit in terram: *Abierunt* enim *retrorsum et ceciderunt in terram.* [81] Sed noluit Christus pugnare tanquam leo, sed tanquam agnus humilis et mansuetus. Sed, o res mirabilis! unus tantum agnus occidit leones innumerabiles, sed praecipue daemonum principem.

nam contra totum infernum pugnavit et vicit,

Sed videamus quomodo pugnat Christus. Profecto sicut David inermis contra gigantem fortem et armatum, [82] sicut Samson contra mille Philisthaeos, [83] sicut Moyses contra universam Aegyptum, [84] sic contra totum infernum Christus hodie pugnat et vincit. Sed quibus armis armatus? Tantum arundinem videmus in manu Christi et nihil aliud legimus positum hodie in manu eius. Sed non absque mysterio. Siquidem contra diversos inimicos diversis armorum generibus utendum est. Contra homines et feras pugnamus armis, sed contra moebos medelis; contra venena antidotis, contra ignem aqua, contra tenebras luce, contra frigus igne, contra famen cibo et contra sitim potu. Si quis contra daemones, qui spiritus sunt, pugnare vellet corporalibus armis, stultus esset et amens; contra hos enim pugnandum

oratione tantum et virtute ornatus.

76) Apc 5, 5. 77) Ibid. vr. 6. 78) Io 1, 29. *Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 79) Prv 30, 30. Vulg.: *Fortissimus bestiarum.* 80) 1 Petr 5, 8. 81) Io 18, 4. 6. In calce folii haec adiecta fuerunt: « Tanquam leo Dominus pergit obviam impavido corde inimicis suis, nam legimus: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum;* et iterum: *Fugit impius, nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* In horto quidem Dominus *coepit pavere,* nam erat coram Deo qui *ignis consumens est,* leo autem ignem maxime timet. Timebat Christus ignem divinae iustitiae; homines autem nihil timebat, sicut leo nec exercitus quidem timet, sed potius exterret: *Leo rugiet, quis non timebit?* » 82) Cf. 1 Rg 17, 38-51. 83) Cf. Idc 15, 15-16. 84) Cf. Ex 11, 3.

est sacris orationibus, sicut David sono suae citharae et cantu suo expulit malum spiritum a Saule.[85] Christus igitur pugnaturus adversus daemones arundinem sumpsit in manu, quoniam diabolus *serpens antiquus* est.[86] Testantur autem Divus Athanasius sermone *De Passione et Cruce Domini*[87] et Divus Hieronymus *Super Matthaeum*,[88] experientia compertum esse quod arundinis ictu occiduntur venenati serpentes. Diabolus spiritus est, arundo autem intus aere et spiritu plena est: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo.*[89] Diabolus totus iniquitas est, ergo vincendus est iustitia; totus superbia, vincendus igitur humilitate; totus malitia, vincendus est bonitate; totus nequitia, vincendus est caritate.

Christus diabolum superavit innocentia sua et caritate, quae significantur per vestes candidam et purpuream,

Deinde vincitur diabolus resistendo tentationibus eius; sic enim Christus in deserto tentatus vicit tentatorem.[90] Tentavit hodie satanas Christum ut leo et ut serpens: ut leo in domo Annae et Caiphae, ut serpens in domo Pilati et Herodis, nunc terrendo, nunc alliciendo. Sic contra Christum omnibus usus est artibus viribusque. Sed agnus iste, quoniam septem oculos habet, vidit omnes artes, et quia septem cornua, omnes superavit vires indutus veste candida atque purpurea; candor enim claritatem significat cognitionis, purpura vero ardorem dilectionis; vestis candida innocentiam, vestis purpurea caritatem Christi. Haec fuerunt arma Christi defensiva, sicut purpurea sive coccinea chlamys militare indumentum est.

et patientia, quae significatur per spineam coronam;

Spinea autem corona tanquam galea Christus caput suum armavit. Significat autem spinea corona in Christi capite quod Christus in hac vita super omnia poenitentiam ac patientiam malorum magni pendit. Quae enim maximi facimus super caput tenere dicimus. qui autem non bona huius mundi cupit sed mala, non flores sed spinas, a diabolo vix tentari potest. Sic Christus supra caput non flores sed spinas habere voluit quia non bona sed mala mundi huius elegit. O felices qui spinas non flores eligunt in hoc mundo! Christus igitur sic armatus processit ad pugnandum contra diabolum infernumque universum.

vicit enim superbiam humilitate,

Quod si, victo peccato, vincitur diabolus, vicit hodie Christus peccatum poenitentia cordisque contritione: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et si omne peccatum est vel concupiscentia carnis, vel

85) Cf. 1 Rg 16, 23. 86) Apc 12, 9. 87) P. G. 28, 215. 88) L. P. 26, 208.
89) 2 Cor 10, 4. 90) Cf. Mt 4, 1-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-13.

concupiscentia oculorum vel superbia vitae, [91] Christus humilitate sua vicit superbiam, sua nuditate avaritiam et sua passione ac afflictione carnis omnem luxuriam. Vicit Christus diabolum hodie, sicut Iosue vicit Amalec non armis sed signo crucis; cum enim Moyses tenebat brachia elevata atque extenta in modum crucis, tunc vincebat Iosue. [92] Sic Christus ligno crucis vicit diabolum mundumque universum de manu eius liberavit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras ; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* [93]

avaritiam paupertate, luxuriam patientia.

Nunc iudicium est mundi, nunc coram summo iudice universi, Deo, tractanda est causa hominum, agendum est de mundi salute. Christus coram Deo defendit causam humani generis contra diabolum eumque rationibus vincit. Si, inquit, per unum hominem totus mundus damnatus est, aequum est ut per unum hominem salvetur; si unius peccato et inobedientia damnatus est, unius iustitia, obedientia et humilitate salvetur; et si diabolus, qui vicit hominem, redegit hominem in suam servitutem, victus ab homine liberetur homo et ipse servus sit hominis. Vicit autem Christus et superavit diabolum: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David*, qui leonem et ursum ipse solus inermis occidit humilis pastor, [94] sicut et Samson leonem solus et inermis occidit. [95]

His tantum armis pugnavit,

91) Cf. 1 Io 2, 16. In margine haec adiecta fuerunt: « Apud Isaiam 63 describitur Christi passio instar conflictus et pugnae. Sic enim ait: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum; calcavi eos in furore meo et conculcavi eos in ira mea ; et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit. Circumspexi et non erat auxiliator, quaesivi et non fuit qui adiuvaret, et salvavit mihi brachium meum et indignatio mea . . . auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo et inebriavi eos in indignatione mea et detraxi in terram virtutem eorum.* Declaratur autem in his verbis quod Christi passio dies fuit misericordiae et clementiae erga homines; sed dies irae, indignationis et vindictae contra daemones, quod solus Christus pugnavit contra omnes daemones, sicut solus Samson contra Philisthaeos, et quod solus ipse omnes vicit. Hinc ait: Rubrum est indumentum meum totum vestimentum meum inquinavi ».

92) Cf. Ex 17, 8-13. 93) Io 12, 31-32. 94) Cf. 1 Rg 17, 34-36.

95) Cf. Idc 14, 5-6. In margine haec adiecta fuerunt: « Passionis et mortis Christi aptissima appositissimaque figura in Samsone praecessit. Nam cum acerrimus esset Philisthaeorum inimicus, captus ab eis, excaecatus et ludibrio habitus multisque iniuriis lacessitus, tanta vindictae cupiditate flagravit, ut cum nonnisi propria interveniente morte posset de illis supplicium sumere, non dubitavit mortem subire ut illos perderet. Sic Christus ad perdendos daemones Dei inimicos et humani generis acerrimos hostes, seipsum hodie perdere non curavit; sua enim morte Christus daemonum regnum evertit. Tantum est Christi odium contra peccatum! Nam nonnisi ob peccatum Christus daemones odio prosequitur, sed quia auctores sunt et fautores malorum in contemptum Dei ».

Quoniam vero *militia est vita hominis super terram,* [96] maxime contra daemones, nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus,* [97] facto et exemplo suo docet Christus hodie quibus armis contra hos inimicos salutis nostrae pugnandum sit: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo,* spiritualia sunt, virtutes spiritus arma sunt, quibus contra diabolum pugnandum est.

docens nos quoque pugnare debere

Armis praecipue opus est defensivis, nam his vincitur diabolus: *Resistite diabolo et fugiet a vobis.* [98] Sic Christus resistendo vicit satanam in deserto. Hinc hodie multis se veluti armis defensivis induit Christus. Haec solent esse galea, sive cassis in capite cum buccula ante oculos, lorica et thorace in pectore, et scuto ad brachium. Hinc Paulus ait: *Accipite armaturam Dei ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. . . induti loricam iustitiae... sumentes scutum fidei... et galeam salutis assumite.* [99]

prius armis defensivis diabolo resistendo,

Multa defensiva arma nobis subministrat, offensiva vero tantum ensem et *gladium spiritus, quod est verbum Dei.* [100] Sic Christus hodie tantummodo arundinem accepit in manibus, indutus est pro thorace et lorica iustitiae vestem albam innocentiae et purpuream sive igneam caritatis, nam leo ignem timet, sanguineam patientiae. Accepit pro galea spineam coronam, pro buccula velum in oculis, pro scuto crucem quam sibi baiulavit et pro ense arundinem. Haec sint *arma militiae nostrae,* mysteria passionis Christi.

deinde offensivis illum aggrediendo, idest innocentia, caritate et patientia.

VIII. Multae virtutes Christi resplendent quam maxime in opere passionis, praecipue vero septem. Prima est devotio et fervor spiritus in oratione ad Patrem; secunda est obedientia: *Non mea voluntas sed tua fiat;* [101] *Non sicut ego volo sed sicut tu;* [102] *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* [103] tertia, animi constantia qua intrepide morti occurrit et obviam ei factus est, quam semper ostendit coram pontificibus, coram Pilato, coram Herode; quarta est patientia infinitis partibus maior omni patientia Iob et Martyrum omnium; quinta est paupertas, qua nudus mori voluit; sexta, humilitas infinita,

Septem virtutes elucent praecipue in passione Christi.

96) Iob 7, 1. 97) Eph 6, 12. 98) Iac 4, 6. 99) Eph 6, 13-17.
100) Ibid. vr. 17. 101) Lc 22, 42. 102) Mt 26, 39. 103) Phil 2, 8.

qua nec iustificare seipsum voluit, nec respondere falsis imputationibus, sed humiliavit seipsum usque ad mortem latronum; septima est caritas, qua *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* [104]

Caritatem autem quam maxime ostendit tum in principio tum in fine passionis: in principio instituendo sacramentum Corporis et Sanguinis sui, in fine orando pro inimicis: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,* [105] consolando Matrem et discipulum,[106] recipiendo latronem ad poenitentiam et promittendo ei gloriam paradisi.[107] Sic ostendit Christus infinitam erga nos caritatem, quam sitis illa designavit qua dixit: *Sitio.* [108] Sitis haec erat qua a samaritana muliere petiit bibere,[109] salutem nostram sitiebat.

sed maxime caritas, quam ostendit tum in principio tum in fine passionis.

His virtutibus necesse est ut nos quoque armati simus, si certare contra diabolum volumus, ut victores facti cum Christo, coronam gloriae mereamur, nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* [110] Sic a Christo duce didicerunt omnes sancti artem spiritualis militiae contra diabolum, mundum et carnem.

His virtutitus armatos nos esse oportet.

Christus simul agnus et leo est. Nobis quidem agnus mansuetissimus: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi ;* sed diabolo et angelis eius leo terribilis et formidabilis: *Leo rugiet, quis non timebit ?* [111] *Vicit leo de tribu Iuda,* vicit leonem infernalem, qui circuit *quaerens quem devoret.* Diabolus hodie cum omnibus infernalibus furiis contra Christum insurrexit; hinc Christus ait: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* [112] Nam sicut Iob traditus fuit a Deo potestati satanae ut eum modis omnibus affligeret, ita Christus hodie. Hinc tanta cum crudelitate a Iudaeis traditus morti est, absque ulla commiseratione et compassione, nam Iudaei a daemonibus agitati in furias infernales conversi erant. Daemones Iudaeos agitabant, nam hodie Iudaeorum synagoga, quae prius Dei synagoga erat, facta est *synagoga satanae.* [113] Hodie in quemlibet Iudaeum perfidum ingressi sunt septem spiritus nequiores, nequissimi. [114] Solus autem Christus contra omnes daemones pugnavit et vicit. Nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit ; Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.* [115]

Christus hodie ostenditur simul et agnus mansuetissimus nobis, et leo formidabilis diabolo;

nam contra omnes daemones solus pugnavit et vicit.

104) Eph 5, 2. 105) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis, non enim sciunt,* etc.
106) Cf. Io 19, 26-27. 107) Cf. Lc 23, 42-43. 108) Io 19, 28. 109) Cf. ibid. 4, 7.
110) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Coronatur,* etc. *Coronabitur* lect. cod. 111) Am 3, 8.
112) Lc 22, 53. 113) Apc 2. 9. 114) Cf. Lc 11, 26. 115) Ibid. 24, 26. Vulg.: *Pati Christum,* etc.

Invicta patientia omnia fortissimo et constantissimo animo ferens.

Et quidem vere animum leoninum hodie Christus ostendit, constantissimum cor infinita patientia sua. Nam si mirabilis fuit patientia Iob, quis non miretur hodie maximum miraculum patientiae Christi? Erat Christi caro delicatissima, animus autem nobilissimus ac generosissimus; quare maxime sentiebat iniurias tum carnis tum animi. Nullum tamen vel minimum ostendit actum vel impatientiae et irae aut indignationis, vel vilitatis animi et impotentiae ad sufferendum, veluti sunt torsiones, clamores, fletus et lacrimae muliebres; sed corde leonino omnia constantissimo ac fortissimo animo sufferebat. Sic tali tantaque constantia et animi fortitudine diabolum vicit; nam diabolus hodie cum omnibus inferni exercitibus Christum velut arcem fortissimam ac inexpugnabilem modis omnibus, generali impetu et aggressu impugnavit, sed expugnare non potuit, nec aliqua ex parte ictibus tormentorum suorum laedere; erat namque animus Christi veluti turris David [116] et arx Sion. [117] Sic invictissimus fuit Christi animus in passionis conflictu. Valor autem et fortitudo inimici et antagonistae videri potest in veste scissa et omni ex parte lacerata; sacra enim Christi caro vestis est animi, corpus vestis animae.

Facies vituli significat passionem Christi sacrificium esse.

IX. Tertio loco offert se nobis facies vituli, quod quidem animal est secundum legem mundum et Deo in sacrificium offerebatur. [118] Tempus exigit ut consideremus Christi passionem tanquam sacrificium. Sic enim, ut diximus, praefigurata fuit in sacrificio Isaac, in sacrificio virginis filiae Iephte [119] et in legalibus sacrificiis, maxime vero in sacrificio expiationis [120] et in sacrificio vitulae rufae, quae tota extra castra cremabatur fiebatque ex eius cineribus aqua lustrationis. [121] Ad sacrificium autem offerendum requiritur sacerdos, altare, victima holocausti et ignis. Sed ante omnia sacerdos incensum offerebat; sic Christus obtulit in horto incensum orationis, deinde indutus fuit veluti sacerdotalibus indumentis, veste candida in domo Herodis, veste purpurea in domo Pilati. Accepit veluti pro mitra spineam coronam, pro pastorali arundinem in manu et sic perrexit ad offerendum vitulum pro peccatis totius populi in die expiationis, quo

In hoc sacrificio sacerdos ipse Christus est, victima eius caro innocentissima, altare crux,

116) Cf. Ct 4, 4. 117) Cf. 2 Rg 5, 7-9; 1 Par 11, 5-7. 118) Cf. Lv 1, 5; 4, 1-21.
119) Cf. not. 44-45 huius hom., pag. 383. 120) Cf. Lv 16, 1 sqq. 121) Cf. Nm 19, 2-9.

Ignis eius caritas et impietas Iudaeorum.

magnus sacerdos intrabat in sancta sanctorum.[122] Sacerdos igitur Christi spiritus est integerrimus atque sanctissimus, omnibus virtutibus ornatissimus; victima caro Christi est innocentissima et immaculatissima; altare crux est, ignis caritas Christi et impietas Iudaeorum.

In passione Christi elucent etiam infinita Dei misericordia et iustitia.

In vindictam et punitionem peccatorum iussit Deus offerri pro peccatis sacrificia ex mundis animalibus[123] ut, visa sanguinis effusione, placaretur eius ira. Misericordia autem Dei fuit, quoniam cum homo mereretur mortem in poenam peccati, Deus ab homine in animalia munda transtulit poenam hanc, ita ut in poenam peccati animalia occiderentur, sed munda. Sic in Christi passione elucet infinita tum misericordia tum iustitia Dei: misericordia, qua transtulit poenam omnium peccatorum mundi totius in personam unigeniti Filii sui: *Sic . . . Deus dilexit mundum;*[124] iustitia[125] vero, quoniam passio Christi non fuit nisi punitio peccati Adae, punitio autem severissima: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ?*[126]

Passus est Christus absque ulla consolatione.

Iussit Deus ut in sacrificio pro peccato non offerretur oleum, nec incensum suavis odoris;[127] oleum enim Hebraeis signum erat laetitiae, in signum enim laetitiae oleo inungebantur;[128] suavis vero odor animum vehementer recreat. Cum autem Christi passio sacrificium fuerit pro peccatis, fuit sine oleo et incenso odorifero. Passus est Christus absque ulla consolatione: *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* hinc clamavit in cruce se derelictum a Patre: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*[129]

Infinitis poenis afflictus fuit et septies sanguinem fudit.

Iussum est etiam *Levitico* 4 ut in sacrificio pro peccato multitudinis vel principis aut sacerdotis septies aspergeretur sanguis contra divinum propitiatorium,[130] ad designandum quod unum peccatum multis poenis puniri pro gravitate potest. Sic Deus multas poenas inflixit Adae pro peccato;[131] sic dixit: *Si quis occiderit Cain, septuplum punietur ;*[132] sic pro uno Adae peccato multis poenis hodie Christus affectus est et septies sanguinem in passione effudit. Sicut *Le-*

122) Cf. Lv 16, 2. 123) Cf. ibid. 4, 1 sqq. 124) Io 3, 16. 125) Ms.: *Iustitiam.* 126) Lc 23, 31. 127) Cf. Lv 5, 11. 128) Theophylactus: « Prisci in gaudii signum habebant, oleo ungi post lotionem ». *Enarr. in Evang. Matth.*, (P. G. 123, 206); S. Hieronymus: « Diebus festis solent (Palaestini) ungere capita ». *Comment. in Matth.*, lib. 1, (P. L. 26, 44). 129) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 130) Cf. vrr. 6. 17. 25.
131) Cf. Gn 3, 17 sqq. 132) Ibid. 4, 15. Vulg.: *Omnis qui occiderit*, etc.

ad delendum peccatum et divinae iustitiae satisfaciendum.

vitico 16 mandatur in expiatione peccatorum totius populi ut sacerdos in sancta sanctorum ingressus sanguine vituli in sacrificium pro peccatis oblati septies divinum propitiatorium aspergeret, [133] sic multo sanguine, multis poenis opus erat ad delendum peccatum, ad satisfaciendum divinae iustitiae.

Gratissimum Deo fuit hoc sacrificium ratione personae offerentis, rei oblatae et modi offerendi.

Fuit autem sacrificium hoc gratissimum Deo et per consequens infiniti meriti multis nominibus. Primo quidem, ratione personae offerentis; nam simul est sacerdos et rex, summus pontifex et augustissimus totius orbis imperator, persona infinitae dignitatis: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [134] qui simul fuit rex et sacerdos. [135] Secundo, ratione rei oblatae, nam: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo,* [136] corpus Christi deificatum, conceptum per Spiritum Sanctum sine peccato, sacrificium Deo dignum. Tertio, ratione modi offerendi: *Oblatus est quia ipse voluit;* [137] obtulit hoc sacrificium infinita cum innocentia, quam designat vestis alba; infinita cum caritate, quam designat vestis purpurea; infinita cum patientia, quam significat spinea corona, et promptissima cum obedientia et animi magnitudine, cui levissima res visa est talis ac tanta passio. Hoc significat arundo in manu Christi.

Per vitulum significatur innocentia Christi, cui nec per calumniam potuerunt inimici crimen aliquod impingere,

X. In facie vituli duo elucent: Christi innocentia et severitas divinae iustitiae. Christi quidem innocentia, nam vitulus animal est secundum legem mundum, innocens, sanctum, Deo gratum. Sic Christus: *Peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius.* [138] Et quidem cognita est Christi innocentia etiam a iudice Pilato, ita ut nec ex allegatis quidem et probatis criminibus, licet falsis, potuerit Christum damnare, sed solum in gratiam populi, ut petitioni et postulationi eorum satisfaceret, timore Caesaris actus ne accusarent eum Iudaei apud Caesarem. Nullum autem inventum est crimen, licet falsis testibus probatum, iudici, ob quam falsam imputationem potuerit Christus iure damnari a iudice, ita ut cognita Christi innocentia, contra omnem legem omnemque iustitiam Christus damnatus sit. O miram Christi innocentiam et vitae sanctitatem, cui nec per calumniam quidem et falsam imputationem potuere inimici crudelissimi apud

133) Cf. vr. 14. 134) Ps 109, 4. 135) Cf. Gn 14, 18. 136) Hebr 9, 14.
137) Is 53, 7. 138) 1 Petr 2, 22.

iudicem crimen aliquod impingere! *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* [139]

Elucet etiam severitas divinae iustitiae supra modum. Licet enim saepe Deus ostenderit odium contra peccatum puniendo et castigando peccatores, Adamum, Evam, [140] Cainum, [141] peccatores tempore diluvii, [142] Pentapolim, [143] Aegyptum, [144] Hebraeos in deserto [145] et similes; sed hodie veluti ultimum de potentia egit Deus ad ostensionem iustitiae suae, quam acri odio persequatur peccatum. Nam quid est Christi passio nisi peccati punitio et poenitentia? Induit hodie Christus personam Adami, sicut Iacob induit personam Esau ad surripiendam benedictionem; [146] Christus autem nonnisi ad maledictionem surripiendam. Factus enim est pro nobis maledictus, [147] sicut fideiussor induit personam debitoris; licet ipse debitum non contraxerit, tenetur tamen solvere debitum creditori quando debitor non est solvendo, maxime vero si debitum sit solvendum principi, sicut legimus quod, cum oblatus regi esset unus qui debebat ei decem millia talenta, iussit eum rex venundari et domum eius, donec redderet universum debitum. [148] Divina iustitia voluit hodie ut Christus, licet

sed supramodum severitas divinae iustitiae,

nam passio Christi fuit peccati punitio,

quia divina iustitia voluit ut ipse solveret universum debitum

139) Io 8, 46. In margine haec adiecta fuerunt: « Requirebat Deus antiquitus sacrificia pro peccatis, et sine sanguinis effusione non fiebat remissio, ad ostendendum quod peccatum dignum est morte. Sed ex misericordia veluti transferebat mortem a peccatore in animal, quod sacrificabatur et cuius sanguine veluti placabatur. Non admittebat autem in sacrificium nisi mundum et immaculatum animal, quia ad delendum peccatum innocenti sanguine opus est. Duo autem sacrificia legimus quae fiebant pro generali totius populi emundatione: sacrificium expiationis, *Levitico* 16, et sacrificium vitulae rufae, *Numeris* 19. Christi autem passio generale sacrificium fuit. Sic enim Paulus *ad Titum* ait: *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem.* Sciendum autem quod in die expiationis sacerdos offerebat vitulum, arietem et hircum; sed singulare erat quod a populo duos accipiebat hircos: unum occidebat et sacrificabat Deo, alterum vivum servabat, proiciebat super eum omnia peccata populi et mittebat eum in desertum. De Christo autem Isaias ait quod *posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum.* Homo Christi exterior, sensus, multa passus est, occisus est; interior autem, spiritus, vivus abiit; sed hic peccata abstulit mundi merito passionis suae; sic *agnus est Dei, qui tollit peccata mundi.* In altero vero universali sacrificio iussit Deus ut tolleretur vitula, sed rufa, omnino integra et absque ulla macula, quae nunquam iugum portarit sicque a sacerdote iugulata, tota penitus cremaretur extra castra, cineres vero collectae loco mundissimo asservarentur ut ex eis fieret aqua expiationis. Quid, quaeso, refert color rufus? Quid nunquam iugum portasse? Quid quod nullam penitus haberet maculam alterius coloris? Mysteria sunt quae designant perfectam Christi innocentiam, summam vitae integritatem divinamque, ardentissimam et perfectissimam caritatem, qua passus est, nam ex caritate meritum ». 140) Cf. Gn 3, 16 sqq. 141) Cf. ibid. 4, 11-12. 142) Cf. ibid. 7, 10 sqq. 143) Cf. ibid. 24, 28. 144) Cf. Ex 14, 27 sqq.; Ps 77, 43-51; 104, 28-36. 145) Cf. Ex 32, 27-28; Nm 11, 33; 16, 31 sqq.; 21, 5-6; Ps 105, 16-30. 146) Cf. Gn 27, 8-23. 147) Cf. Gal 3, 13. 148) Cf. Mt 18, 24-34.

quod Adam contraxerat; debitum non contraxerit et quamvis Filius unigenitus esset Dei, loco Adami tanquam fideiussor solveret hodie universum debitum, quod Adam cum Deo contraxit, debitum utique magnum, imo maximum, mille millium talentorum.

ideo venundatus fuit et loco Adne a Patre ad mortem damnatus, Ad solvendum hoc debitum Christus venundatus fuit. Saul rex pro minimo delicto Ionatham filium suum primogenitum, regni principem et heredem, damnavit ad mortem, quoniam sic iuraverat Deo, ut quisquis deprehensus fuisset in delicto, quod aliquid contra regis decretum gustaverit, moreretur, licet is fuerit Ionathas filius suus, ad placandum divinam iram. Deprehensus fuit Ionathas, qui nesciens patris decretum parum mellis gustaverat damnatusque fuit a patre ad mortem mortuusque fuisset, nisi eum populus salvasset.[149] Sic Christus hodie a Patre damnatus est ad mortem loco Adami, quia gustavit de ligno vetito.

qui in proprio Filio suo punire voluit peccatum generis humani. Solent principes conniventibus oculis delicta filiorum pertransire, sicut de David legimus: noluit contristare Amnon ob stuprum sororis Thamar,[150] non punivit morte Absalom pro fratricidio, non corripuit Adoniam de ambitione regni.[151] Sic Heli magnus sacerdos non correxit filios suos de operibus malis. Deus autem etiam in unigenito Filio suo punire voluit peccatum, non suum sed humani generis. Si Romae summus Poenitentiarius vel Summus Pontifex filium haberet ex legitimo matrimonio natum unicum ac dilectissimum, isque patrato aliquo crimine, poenitentia ductus ad consequendam peccati remissionem patri confiteretur magna cum contritione et humilitate, et tamen pater gravem valde imponeret poenitentiam iuxta canones poenitentiales, nil motus amore, affectione, lacrimis filii unici, quis sperare posset ob graviora delicta leviorem poenitentiam?

Sed si Deus in proprio Filio suo innocentissimo ita punivit peccatum Adae, quid faciet in servis iniquis? Christus hodie personam induens hominis peccatoris et super se accipiens Adami peccatum ac si ipse illud commisisset, abiit in hortum et ad pedes Dei, qui solus verus est summus poenitentiarius et summus pontifex, magna contritione, fletu, lacrimis, magna cum humilitate confessus est peccatum hominis ad percipiendam absolutionem et remissionem peccati: *Coepit pavere et taedere,*[152] *contristari et moestus esse;*[153] *Tristis est anima mea usque ad mortem;*[154]

149) Cf. 1 Rg 14, 25-35. 150) Cf. 2 Rg 13, 1 sqq. 151) Cf. 3 Rg 1, 5-6.
152) Mc 14, 33. 153) Mt 26, 37. 154) Ibid. vr. 38; Mc 14, 34.

Factus est *in agonia . . . factus est sudor eius veluti guttae sanguinis decurrentis in terram.* [155] *Positis genibus* [156] oravit, facie prostratus in terram, [157] et tamen gravissimam passionis poenitentiam ei Pater imposuit, ut in poenam peccati flagellaretur et crucifigeretur. *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ?* [158] Si sic Deus in optimo et dilectissimo Filio punivit peccatum, quid faciet in servis iniquis? Si lignum viride ardet, quid aridum?

Sacrificia legis designabant quod nonnisi morte et sanguine innocente iuxta decretum et sententiam divinae iustitiae poterat deleri peccatum; at: *Omnis homo mendax;* [159] *In quo omnes peccaverunt;* [160] solus Christus innocens et sanctus. In die expiationis divinum propitiatorium septies aspergebatur sanguine innocentis vituli et immaculati, in signum quod multus aspergendus erat sanguis Christi pro remissione peccatorum. Hinc hodie Christus septies sanguinem fudit: in horto, in flagellatione, in coronatione, in manuum et pedum crucifixione.

Solo Christi innocentis sanguine poterat deleri peccatum.

XI. Tandem necesse est ut faciem aquilae contemplemur. Ascendit enim Christus in crucem brachiaque extendit, ut velut aquila in coelum volaret ad aperiendum portas paradisi virtute passionis et crucis suae, quae clavis est David. [161] Est Christus serpens exaltatus, sanans omnes a serpentibus venenatos, modo in eum aspiciant; [162] est petra percussa, quae dat sitientibus aquas; [163] est agnus occisus, virtute cuius sanguinis omnes salvantur ab ira Dei. [164] Mors Christi eiusque passio salvat nos a morte aeterna, liberat nos a peccatis et dat nobis aquam salientem in vitam aeternam. [165] Salvat nos a morte, hinc: *Monumenta aperta sunt ;* [166] liberat a peccatis, hinc ait: *Pater, ignosce illis;* [167] iustificavitque peccatores: fecit Ioannem fratrem suum, filium Virginis, filium Dei; [168] dedit latroni paradisum, [169] tandem nobis Spiritum suum, ut vitam nobis daret.

***Facies aquilae* significat passionis Christi virtutem, qua coelum apertum fuit,**

nam eius passio salvat a morte, liberat a peccatis et peccatores iustificat.

In mundi initio Deus flatu suo dedit homini vitam, cum ad pedes ipsius iaceret Adami corpus exanime: *Formavit . . . Dominus Deus*

In creatione flatu suo Deus dedit homini vitam naturalem,

155) Lc 22, 43-44. 156) Ibid. vr. 41. 157) Cf. Mt 26, 39; Mc 14, 35.
158) Lc 23, 31. 159) Ps 115, 11. 160) Rom 5, 12. 161) Cf. Apc 3, 7.
162) Cf. Nm 21, 8. 163) Cf. Ex 17, 7; Nm 20, 11. 164) Cf. Ex 12, 3-29.
165) Cf. Io 4, 14. 166) Mt 27, 52. 167) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis.*
168) Cf. Io 19, 26-27. 169) Cf. Lc 23, 43.

hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.[170] Sed qui flatum alicui suum dat, veluti ut eum calefaciat flatu suo tempore magni frigoris, nihil amittit; sed hodie, cum ad pedes crucis Christi mortua iaceret universa natura humana morte peccati, ut ei Christus vitam daret, *inclinato capite tradidit spiritum,*[171] vitam amisit ut vitam nobis daret. Absque ullo suo incommodo Deus vitam nobis dedit naturalem, sed maximo cum incommodo vitam spiritualem et supernaturalem, liberans nos a morte peccati. Sic factus est Christus, ut Paulus ait, *in spiritum vivificantem,*[172] ad nos vivificandos spiritum suum tradidit.

sed hodie Christus tradendo spiritum in morte dat homini vitam supernaturalem.

XII. *Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.*[173] Cherubim divinum propitiatorium veluti admirantes intuebantur sanguine aspersum; nam in die expiationis a magno sacerdote septies aspergebatur sanguine innocentis vituli. Nil magis mirantur Angeli quam Christi passionem. Hinc apud Isaiam dicunt: *Quare... rubrum est indumentum tuum?* Nam infinitum miraculum est quod Deus infinitae maiestatis hodie factus sit subiectus humanae potestati, ut a iudice Pilato sit damnatus ad mortem crucis et a ministris iustitiae sit crucifixus. At non necessitate patitur, sed voluntate. Miraculum ergo est infinitae caritatis.

Infinitae caritatis miraculum ipsis Angelis admirandum, Deum infinitae maiestatis ab homine damnari et crucifigi!

Multa quidem sunt opera Dei et omnia mirabilia, at opus passionis super omnia mirabile videtur et quodammodo humano sensu incredibile. Quod Deus infinitae cum sit potentiae, sapientiae et bonitatis, mundum creaverit, facile credit homo; quod innumera operatus sit miracula, quae in Divinis Scripturis enarrantur in salutem electorum suorum, non est difficile creditu; sed quod Deus pro salute hominum factus sit homo passibilis et mortalis, quod passus et mortuus sit, hoc omnino incredibile videtur. Hinc Isaias locuturus de mysterio passionis Christi sic incepit: *Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est?*[174] Filii Israel videntes manna dixerunt: *Man hu? man hu? Quid est hoc? quid est*

Inter omnia mirabilia Dei opus passionis mirabilissimum est;

170) Gn 2, 7. 171) Io 19, 30. 172) 1 Cor 15, 45. 173) Am 1, 5.
174) 53, 1.

hoc? [175] Deum esse flagellatum, coronatum spinis, damnatum ad mortem et crucifixum? *Quid est hoc? Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. Erit vita tua ... pendens ante oculos tuos ... et non credes vitae tuae,* ait Moyses. [176] Deus est vita nostra: *In ipso enim vivimus, movemur et sumus.* [177] Sed *non credes,* inquit, *vitae tuae,* quod homo pendens in cruce ipse sit vivus et verus Deus.

vix enim credi potest unigenitum Filium Dei pro salute hominum mori

Abraham vix credidit Deo, cum ei terram promissionis Deus ipse repromisit, sed ait: *Domine Deus, in quo scire potero quod possessurus sim eam?* [178] Hoc utique prae admiratione dixit quod Deus tale ac tantum donum ac beneficium ei collaturus esset. Quid si dixisset quod unigenitum Filium suum daturus erat ad mortem? *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum,* etc. [179] Isaac obstupuit *stupore vehementi et ultra quam credi potest* admiratus fuit cum novit quod Deus minorem filium Iacob praetulerit maiori ac primogenito Esau. [180] Christus est primogenitus Filius Dei, homo autem minor est filius, et Deus quodammodo praefert hominem Christo, volens ut Christus moriatur in cruce pro salute hominis. Iacobus patriarcha sanctissimus vehementer admiratus fuit cum in Bethel vidit Deum innixum super coelestem scalam: *Vere,* inquit, *Dominus est in loco isto et ego nesciebam, pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.* [181] Sed quid si Deum crucifixum inter latrones vidisset? *Admiramini et obstupescite,* etc. *Quis credet auditui nostro?* Moyses obstupuit videns quod divinus ignis de coelo descendens arderet in spinoso rubo, quoniam ardebat ignis et non comburebatur. [182] Sed quid si vidisset Deum hodie spinis coronatum? O stupor!

inter duos latrones crucifixum.

Arca Dei Iordanem transiens inter duos veluti muros aquarum Christum figurabat.

Iosue loquens de mirabili transitu Israel a deserto in terram promissionis per siccatum alveum Iordanis, ait universo populo: *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* [183] Et profecto miraculum illud magnum fuit, nam flumen tunc impleverat ripas suas, quoniam tempus messis erat cum, liquatis omnibus nivibus montium, maxima aquarum copia in flumen confluxerat. Sed mox

175) Ex 16, 15. 176) Dt 28, 66. Vulg.: *Tendens ante te,* etc. 177) Act 17, 28.
178) Gn 15, 8. Vulg.: *Unde scire possum,* etc. 179) Io 3, 16. 180) Gn 27, 33.
181) Ibid. 28, 16-17 182) Cf. Ex 3, 2-3. 183) 3, 5.

ut arca in Iordanem ingressa fuit stetit fluxus aquarum ac si fortissimo muro retinerentur, creveruntque sursum et factus est maximus mons aquarum ac si mons vitri esset aut crystalli ipsaque arca veluti humeris suis regebat, veluti Atlas coelum,[184] infinitam prope aquarum molem, ut universus populus sicco vestigio securus cum salute transiret, absque ulla molestia aquarum.[185] Sed si arca illa Christum significabat, sicut terra promissionis paradisum, et desertum illud mundum istum, Israel Dei electos et aquae in Divinis Scripturis tribulationes significant: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam,*[186] hoc est mirabile quod Christus sustinuerit in medio aquarum infinitam molem aquarum in sua passione et morte pro peccatis totius mundi. Aqua enim Deo instrumentum est mortis ac veluti gladius quo in diebus Noe infinitam hominum peccatorum multitudinem diluvio magno peremit, et ante portam paradisi posuit Deus gladium ignemque versatilem,[187] quae quidem significant poenas damni et sensus. Christus vero hodie sustinuit infinitum damnum et maximos cruciatus: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.*[188] O infinita aquarum moles, quam super humeros suos hodie viva Dei arca sustentat! Quomodo patitur Deus hodie omne malorum genus! *Admiramini et obstupescite.*

qui per medium infinitae molis tribulationum transivit pro totius mundi peccatis.

Mirabatur Sanctus Iob quod Deus curam gereret hominis: *Quid est homo quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?*[189] Idipsum mirabatur Regius Vates: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum? . . . Omnia subiecisti sub pedibus eius.*[190] Et alio in loco ait: *Domine, quid est homo quia innotuisti ei? aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.*[191] Sed quod Deus factus sit homo, hominibus subiectus et hodie ab hominibus ad mortem damnatus, flagellatus et crucifixus, hoc infinitae admirationis et stuporis opus est: *Admiramini et obstupescite.* Cherubim gloriae intuebantur divinum propitiatorium et veluti admirantes seipsos aspiciebant,[192] quoniam profecto opus dominicae passionis et mortis etiam ipsis Angelis paradisi supra modum admirabile est.

Mirabantur S. Iob et Regius Vates Deum curam gerere hominis.

sed infinite mirabilius est Deum ab hominibus ad mortem damnari.

184) Alludit ad mythologiam de Atlante coelum humeris gestante, de quo cf. Virgilius *Aeneid.*, lib. 6, vrr. 796-797; Pierius Val. *Hieroglyphica*, f. 367ᵇ. 185) Cf. Ios 3, 14 sqq.
186) Ps 68, 2. 187) Cf. Gn 3, 24. 188) Is 53, 6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo*, etc.
189) 7, 17. 190) Ps 8, 5-8. 191) Ps 143, 3-4. 192) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9.

XIII. *Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* Si in die passionis Christi vir aliquis sensatus, sapiens et prudens accessisset ad videndum spectaculum passionis Christi, ut fieri solet cum rei a iustitia damnati ad mortem ducuntur ad patibula, ut luant extremas poenas pro facinoribus suis, occurrit enim hominum innumera multitudo ad huiuscemodi spectacula, vir autem iste accedens ad Ioannem, qui stabat iuxta crucem Christi, dixisset: Quaeso, amice, quisnam est iste crucifixus et quid mali fecit, quia cum latronibus suspensus in cruce est? Quam ob causam ad mortem tam crudelem et ignominiosam damnatus est? Dixisset utique Ioannes: O homo, lege causam ipsius scriptam in titulo crucis: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum;* [193] *Hic est Rex Iudaeorum,* [194] admiratus fuisset homo ille audiens quod Christus in cruce suspensus rex esset: rex serenissimus tali morte perimitur?

Qui hodie in cruce moritur rex est,

Sed quid si subiunxisset Ioannes: Crucifixus hic non tantum rex est Iudaeorum, sed etiam summus pontifex, maximus Prophetarum, dominus coeli et terrae, imperator Angelorum, creator mundi, vivus et verus Deus, unigenitus Filius aeterni Dei? Quaeso, num haec homo credere potuisset? *Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* Hic crucifixus est *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum: Iesus* S a l v a t o r mundi, *Nazarenus* innocentissimus et s a n c t i s s i m u s ut Deus, *Rex* infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, gloriae et maiestatis, quia vivus et verus Deus: *Domine, quis credet auditui nostro?*

maximus Prophetarum, creator universi, verus Deus infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis et maiestatis,

Dixisset profecto homo ille Ioanni, videns quod etiam Ioannes vir erat sensatus et prudens et quod serio loquebatur: Quid fecit mali, quia sic damnatus est? Homines enim, quamvis etiam vilissimi, nonnisi ob maxima facinora ad huiuscemodi mortem damnantur; homines vero nobiles et illustres non damnantur ad mortem istius modi, quae omnium vilissima et turpissima est simulque crudelissima, nisi ob facinora longe maxima et crimina plus quam gravissima. Sed ut rex sit in cruce cum latronibus suspensus, quaeso, dicas mihi, quid fecit? quale facinus? Multos quidem legimus reges a furentibus populis occisos et trucidatos, sed nonnisi ob maximam ipsorum

et tamen damnatus ad turpissimam et crudelissima mortem,

193) Io 19, 19. 194) Lc 23, 38.

crudelitatem et tyrannicam saevitiam in populos. Num rex iste a furente populo sic occisus est ob tyrannicam saevitiam et crudelitatem? Neque enim aliud credere vel imaginari possum.

qui divina virtute magna et innumerabilia beneficia populo contulit.

At profecto Ioannes respondisset: Hic nihil mali facit, nihil dignum morte operatus est, sed universo populo magna et innumerabilia beneficia contulit; divina enim virtute praeditus et bonitate in salutem populi divina operabatur miracula, sanabat infirmos,[195] illuminabat caecos,[196] mortuos etiam suscitabat[197] et paucis retro diebus mortuum suscitavit quatriduanum in monumento;[198] nemini autem vel minimum malum egit, sed omnibus innumerabilia beneficia contulit; non posset credere homo ille: *Nemo credet cum narrabitur; Quis credet auditui nostro?* Dicet admirans: Quomodo igitur damnatus est a iustitia ad huiuscemodi mortem? Quomodo in eum lata est a iudice mortis sententia? Sine delicti et facinoris magna evidentia, absque accusatoribus et testibus, absque formatione processus, nemo damnatur ad mortem a publica iustitia. Sic enim iustae et sanctae leges praecipiunt et lex naturae id docet. Quomodo igitur hic sine crimine et sine processu ex allegatis et probatis coram iudice damnatus est?

damnatus sine crimine et sine processu;

sed moritur pro mundi salute,

Amice, diceret Ioannes, in veritate ita res se habet. Quod si mihi non credis, lege causam ipsius scriptam supra caput: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Non ob aliam causam mortuus est, nisi quia *Rex* est *Iudaeorum*, idest verus Messias, qui pro mundi salute moriturus erat. Damnatus est ad hanc mortem ex caritate Patris, ex obedientia Filii, ex pietate Spiritus Sancti, ex avaritia Iudae, ex simplicitate turbarum, ex malitia principum et ob peccata mundi, maxime vero ob peccatum primorum parentum.

damnatus ex caritate Patris, qui Filium suum morti tradidit

Primo quidem, ex caritate Patris infinita, incomprehensibili, incredibili; sicut non potest homo globum terrae et coeli sphaeram comprehendere, ita nec infinitam hanc Dei caritatem: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Si rex unicum filium haberet, quem supra modum amaret tanquam pupillam oculi sui, servum etiam haberet a serpente morsum et letali veneno infectum,

195) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 196) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 197) Cf. Mt 6, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11. 198) Cf. Io 11, 41-44.

sciretque quod unicum remedium salutis illius sit ut humano ore sugatur venenum ex vulnere, quis unquam crederet quod rex ex desiderio salutis servi praeciperet Filio ut venenum illud sugeret? Nemo posset hoc credere, ut rex pro salute servi exponeret morti unicum filium. Si quis hoc factum crederet, utique diceret quod rex veneficio aliquo fascinatus erat cum hoc fecit et ideo insano amore servi praestigiatus furebat. Divinus autem amor insanus esse non potest; nulla macula potest esse in sole, sicut videtur in luna; Deus autem sol sapientiae est. *pro amore hominum,*

Sed potest etiam ex magna pietate oriri regium illud facinus, veluti si ut illud faceret praeceptum haberet a Deo, sicut Abraham iussus fuit ut filium sacrificaret, [199] vel sciens quod antidoto quodam efficacissimo et saluberrimo posset venenatum filium etiam semimortuum a veneni potentia et morte liberare; vellet autem ut unicus filius venenum illud sugeret ad ostendendam pietatem suam erga Deum, ad salvandam animam servi, quam sciebat ob infidelitatem esse damnatam, et ad ostendendam nimiam caritatem suam erga servum, ut sic illum et anima et corpore salvaret. His autem rationibus et causis facinus regium adeo iustificaretur, ut summis laudibus dignum apud sapientes quosque, dignum toto mundo praedicaretur. Talis fuit caritas Dei quae illum duxit, ut videns servum hominem ab antiquo serpente venenatum, voluerit ut Christus Filius eius unigenitus et dilectissimus venenum hoc sugeret pro salute servi mortemque subiret. *ut illos corpore et anima salvaret.*

Sed si mirabilis est caritas Patris non minus mirabilis est obedientia Filii, qui Patri obedire voluerit ad subeundam mortem crucis acerbissimam et vilissimam nulla habita ratione vel vitae vel honoris. [200] *Mirabilis caritas Patris et obedientia Filii!*

199) Cf. Gn 22, 2. 200) Incompleta relinquitur haec homilia.

IN DIE SANCTO PASCHAE

Resurrectio Christi causa est infinitae exultationis Ecclesiae universae.

I. Et ecce, invito diabolo, invitis Iudaeis, invito mundo, invito inferno, omnibus tum visibilibus tum invisibilibus Christi inimicis, tenebrae horribiles passionis et mortis Christi conversae sunt in lucem splendidissimam vitae immortalis et gloriae sempiternae, nox obscurissima in clarissimam diem conversa est, hiems horridissima in amoenissimum ver, omnis tristitia luctus et fletus conversa est in laetitiam, gaudium et exultationem. Sicut enim mors Christi universae Ecclesiae attulit infinitum dolorem, ita nunc resurrectio Christi fidelibus omnibus gaudium infinitum affert, sicut et nativitas. Resurrectio enim veluti altera nativitas fuit, unde sicut nativitas nunciata fuit ab Angelo, ita resurrectio. Angelus enim sanctis mulieribus ait: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* [1] Et si in nativitate Christi Angelus pastoribus ait: *Annuncio vobis gaudium magnum... quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus,* [2] multo magis dicere potuit Angelus iste hodie: *Annuncio vobis gaudium magnum,* quia surrexit *vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Non enim surrexit Christus sicut natus fuit, passibilis et mortalis, in humili forma servi, sed surrexit immortalis, impassibilis, gloriosus, rex vitae et gloriae sempiternae, cum munere perpetuae immortalitatis, afferens nobis vitam et gloriam sempiternam: « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea ». [3]

magis quam eius nativitas,

quia resurrexit impassibilis et gloriosus afferens omnibus vitam sempiternam.

1) Mc 16, 6. 2) Lc 2. 10-11. Vulg.: *Evangelizo vobis*, etc. 3) S. Gregorius M. *Antiphonarius*, (P. L. 78, 678); Missale et Breviarium Rom. hac die.

Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum. [4]

II. Evigilans Adam a somno sibi divinitus immisso, invenit Evam ex costa ipsius divina manu formatam eamque mirum in modum dilexit et in uxorem accepit. [5] Quod quidem *sacramentum ... magnum est ... in Christo et in Ecclesia,* [6] per Adam enim Christus figuratur, per Evam Ecclesia, per somnum Adami divinitus immissum Christi mors, per experrectionem vero resurrectio; sicut enim Adam a somno evigilavit, ita Christus a morte resurrexit. Per has autem tres sanctas mulieres universa Ecclesia in triplici statu gratiae et caritatis divinae designatur.

Adam a somno evigilans figura Christi resurgentis. Eva figura Ecclesiae.

Sed prius videnda sunt nobis hodie dominicae resurrectionis mysteria videndumque a quonam suscitatus sit Dominus et quomodo suscitatus sit, quo loco et quo tempore, quae fuerit resurrectionis necessitas et quae utilitas.

Videnda sunt dominicae resurrectionis mysteria,

Quoad primum, procul dubio ad mortuum suscitandum supernaturalis et divina virtus requiritur, non enim sufficit vis universae naturae. Deus igitur Christum suscitavit; quoniam autem Christus Deus est, ipse suscitavit seipsum. Hinc ipse ait: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud.* [7] Et sicut Adam per seipsum evigilavit, operante interius anima, sic Christus per seipsum resurrexit, divinitatis suae operante virtute. Ideo Christus in Divinis Litteris *lilium* dictus est, [8] non solum ad designandam trinam in Christo substantiam per viridem stipitem, candida folia et aurea semina lilii, sed etiam quia lilium redivivam quandam in seipso videtur habere virtutem. Ob id etiam Christus dictus est *sol,* [9] quia sicut sol per seipsum tendit ad occasum et ab occasu ad orientem, ubi iterum fulgidissimus oritur, sic Christus libera sua voluntate mortuus est et per seipsum resurrexit. Sic Noe per seipsum a somno evigilavit; [10] columba a Noe ex arca emissa per seipsam in arcam reversa fuit; [11] sic Abraham per seipsum ex Aegypto dives valde ascendit; [12] sic Isaac ex loco sacrificii una cum

et primum, quis Christum suscitavit: Christus suscitavit seipsum, quia Deus est,

4) Pericope huius diei Mc 16, 1-7. 5) Cf. Gn 2, 21-24. 6) Eph 5, 32.
7) Io 2, 19. 8) Cf. Ct 2, 1-2. 9) Cf. Mal 4, 2; Apc 1, 16. 10) Cf. Gn 9, 24.
11) Cf. ibid. 8, 8-9. 12) Cf. ibid. 13, 1-2.

de hoc mysterio plurimae exhibentur figurae in Sacra Scriptura.

patre domum vivus rediit;[13] sic Iacob per seipsum in terram suam reversus dives valde fuit, qui tantum cum baculo Iordanem transierat;[14] sic Ioseph per seipsum exivit de carcere et coram Pharaone stetit cum princeps Aegypti constitutus fuit.[15] Virga Moysi per seipsam facta serpens, devoratis serpentibus magorum Pharaonis, iterum per seipsam ex serpente in virgam rediit;[16] virga Aaron per seipsam magno miraculo, sicca cum esset, floruit et fructificavit sicque Aaron summus sacerdos et pontifex declaratus fuit;[17] populus Israel, post paschalem agnum occisum, tinctis agni sanguine superliminaribus domorum, liber exiit ac dives valde ex Aegypto;[18] Samson in Gaza, civitate Philisthaeorum, inclusus, per seipsum media nocte egressus fuit, fractis ostiis civitatis;[19] arca Domini a Philisthaeis capta, per seipsam reversa fuit in terram Israel;[20] David, percusso philisthaeo partaque mirabili victoria, magno cum triumpho Ierosolymam ingressus fuit;[21] Ionas per seipsum de ventre ceti egressus fuit[22] et Daniel de lacu leonum;[23] summus sacerdos, post oblatum sacrificium in die expiationis, per seipsum in sancta sanctorum ingrediebatur.[24]

Hoc est maximum miraculorum eius.

Christus igitur maximo omnium miraculo seipsum a morte ad vitam sempiternam suscitavit. Hoc miraculorum omnium Christi maximum est. Hinc Christus Iudaeis petentibus signum ut crederent ipsum esse verum Messiam, semper signum resurrectionis daturum se repromisit,[25] quoniam hoc inter Christi miracula procul dubio est lucidissimus sol inter astra.

Secundum, quomodo resurrexit:

gloriosus, sicut in transfiguratione, per novam unionem animae ad corpus,

III. Quoad secundum, resurrexit Christus in ea gloria quam in transfiguratione sua discipulis ostendit, cum *resplenduit facies sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[26] Hinc Angelus nuncians Christi resurrectionem apparet candidis vestimentis indutus, cum facie splendenti: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.*[27] Et adhuc visus est sedens, sed a dextris super lapidem monumenti.[28] Iacebat exanime Christi corpus in monumento, veluti nubes quaedam obscura et tetra.

13) Cf. ibid. 22, 19. 14) Cf. ibid. 32, 10. 15) Cf. ibid. 41, 14-46. 16) Cf. Ex 7, 12-15. 17) Cf. Nm 17, 6-9. 18) Cf. Ex 12, 22-36. 19) Cf. Idc 16, 1-3. 20) Cf. 1 Rg 6, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 18, 6-7. 22) Cf. Ion 2, 11. 23) Cf. Dn 6, 23; 14, 40. 24) Cf. Lv 16, 1-12. 25) Cf. Mt 12, 39-40; 16, 4; Lc 11, 29-30; Io 2, 19. 26) Mt 17, 2. 27) Ibid. 28, 3. 28) Cf. Mc 16, 5.

Advenit autem sanctissima et beatissima eius anima splendidissima divinitatis luce circumfusa veluti sol corporeamque substantiam gloriae suae participem effecit, veluti si in crystallina lanterna aut lampade lumen accensum reponatur, communicat utique splendorem suum puro illi crystallo ac per illud luminis sui radios foras emittit splendoremque diffundit.

immortalis et etiam corpore glorioso et beato,

Erat autem aspectus eius sicut fulgur, quod ignis coruscatio est; ignis autem suapte natura lucidissimus est; et per Angelum quidem suapte natura immortalem designatur vitae Christi post resurrectionem perpetua immortalitas; per fulgorem autem splendoremque faciei solarem gloria animae, et per candorem vestium gloria corporis, per sessionem omnis quies, per dexteram omnis felicitas. Adamo enim ante somnum deerat nonnulla felicitas, ait enim Deus: *Non est bonum hominem esse solum;* [29] nam solus tunc erat, sed non sic postquam a somno evigilavit. Ita Christo ante mortem deerat felicitas et gloria corporis, quoniam carne passibilis et mortalis erat; sed in resurrectione etiam corpus Christi omni gloria et felicitate donatum fuit, adeo ut nec Deus quidem possit gloriosius corpus beatiusque efficere. Gloria enim corporis pendet a gloria animae, huius autem gloria a magnitudine gratiae et caritatis. Caritas autem Christi infinita est; igitur et gloria. Infinita igitur cum gloria Christus surrexit.

quia gloria corporis pendet a gloria animae.

Tertium, quo tempore resurrexit: tertia die post mortem, prima hebdomadae, sed hora certa ignoratur;

IV. Quoad tertium, de tempore resurrectionis Christi magna est difficultas; non enim clare scitum est quo tempore Dominus resurrexerit. Certissimum quidem est quod tertia die resurrexit, sed hora resurrectionis ignoratur. Hinc multi volunt media nocte Dominum surrexisse, [30] sicut Samson media nocte liber egressus fuit de Gaza, civitate Philisthaeorum; [31] alii autem volunt Christum diluculo, aurora surgente, resurrexisse, [32] qua hora etiam natus fuit: *Ex utero ante luciferum*, idest ante auroram, *genui te.* [33] Et hoc quidem clare videtur

29) Gn 2, 18. 30) Cf. Dionysius Alex. *Epist. ad Basilidem*, (P. G. 10, 1274-1278); S. Gregorius M. *In Evangelia*, hom. 21, (P. L. 76, 173); Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, conc. Trullense, cp. 89, t. 6, col. 1180. 31) Cf. Idc 16, 3. 32) Cf. S. Gregorius Nyssenus *De Resurrectione*, orat. 1, (P. G. 46, 612); Theophylactus *Enar. in Evang. Matthaei*, ibid. 123, 478-479; Euthymius Zigabenus *Comment. in Matthaeum*, ibid. 129, 746-747; S. Augustinus *De Consensu Evang.*, lib. 3, cp. 24, (P. L. 34, 1198-1199); S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 51, a. 4; q. 53, a. 2, ad 3. 33) Ps 109, 3.

dicere Divus Marcus: *Surgens autem* Iesus *mane, prima sabbati, apparuit... Mariae Magdalene.*[34] Hoc etiam Regius Vates canens: *Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara, exurgam diluculo.*[35] Christus enim, *Sol iustitiae,*[36] tanquam verus sol gloriae una cum sole oriri voluit, vel paulo ante, sicut paulo ante occasum voluit mori.[37] Ob id Evangelistae summa cum diligentia descripserunt tempus adventus mulierum ad monumentum. Matthaeus quidem: *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati;*[38] Marcus: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole;*[39] Lucas: *Una autem sabbati valde diluculo;*[40] Ioannes tandem: *Mane, cum adhuc tenebrae essent,*[41] ad insinuandum tempus dominicae resurrectionis. Quod autem Matthaeus ait: *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati,* sive ut graece est: *Vespere autem sabbatorum, quae lucescit in prima sabbati,* idem est quod Marcus dicit: *Cum transisset sabbatum,*[42] nam graece est: Ὀφὲ,[43] quod non tantum vesperum significat, sed etiam sero et ad extremum, unde graece dicitur: Ὀφὲ τῆς ἡμέρας,[44] ad extremum diei, et: Ὀφὲ τῆς ἡλικίας,[45] ad extremum aetatis. Sic *vespere... sabbati,* idest transacto iam sabbato, cum *lucescit in prima sabbati,* quam primum eis licuit, sublato omni impedimento tum legis tum nocturni temporis. In sabbato enim non licuit et in nocte non decuit mulieres venire.

probabilius aurora surgente vel paulo ante.

Voluit Christus prima die hebdomadis et prima huius diei hora surgere, quoniam hac die et hora facta fuit prima lux mundi,[46] ipse vero ait: *Ego sum lux mundi;*[47] et sicut primo hebdomadis die Deus maximo miraculo coelum et terram mundumque hunc universum creavit,[48] ita Christus mysticum et sacrosanctum Ecclesiae mundum resurgens voluit recreare. Ecclesia enim, quae per tres has mulieres designatur, spiritualis est mundus. Habet mundus tres partes principales: terram, coelum et empyreum; sic Ecclesia tres status personarum. Hinc tabernaculum Moysi[49] et templum Salomonis[50] tribus erat

Ea die resurgere voluit qua creatus est mundus, ut resurgens mundum recrearet.

34) 16, 9. *Iesus* lect. cod. 35) Ps 56, 9. 36) Mal 4, 2. 37) Cf. Mt 27, 45-50; Mc 15, 34-37; Lc 23, 44-46. 38) 28, 1. 39) 16, 2. 40) 24, 1. 41) 20, 1. 42) 16, 1. 43) Mt 28, 1. Ms.: Οψε, *opse.* 44) Ms.: *Opse tis imeras.* 45) Ms.: *Opse tis ilichias.* 46) Cf. Gn 1, 3. 47) Io 8, 12. 48) Cf. Gn 1, 1. 49) Cf. Ex 26, 1 sqq.; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 102, a. 4, ad 4. 50) Cf. 3 Rg 6, 8.

partibus distinctum. Sunt poenitentes humillimi, sunt activi semper in motu bonorum operum sicut coelum, et sunt contemplativi, qui pace et quiete fruuntur. Haec est Salome p a c i f i c a, [51] veluti coelum empyreum immobile, locus Beatorum.

V. *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic; Venite et videte locum,* [52] etc. Sacrosancta illa E z e c h i e l i s animalia ibant *ubi erat impetus spiritus,* sed *revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* [53] Abiit Christus ad passionem et mortem sicut homo, quia innocens homo propter iustitiam martyrium passus fuit et ex infinita sua erga nos humanitate et caritate passus est. Abiit ut leo ad pugnandum contra diabolum; tanquam vitulus, quia vitulum carnis suae tanquam sacerdos magnus obtulit Deo pro peccatis nostris; et tandem sicut aquila expandit alas suas in cruce pro salute pullorum: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis.* [54] Hac enim parabola usus est Moyses agens de liberatione populi Dei a captivitate aegyptiaca.

Mortuus est ut homo ex infinita caritate,

ut leo pugnando contra diabolum, ut vitulus seipsum immolando, ut aquila, pro salute pullorum;

Hodie vero ipsemet Christus resurgendo revertitur tanquam homo, quia ut homo Christus surrexit a morte, sicut tanquam homo mortuus est. Resurrexit etiam plenus infinita erga nos humanitate, immemor omnium iniuriarum; hinc apparens discipulis pacifice eos salutat dicens: *Pax vobis, pax vobis,* [55] et per quadraginta dies humanissime cum discipulis suis voluit conversari. [56] Surrexit tanquam leo, rex mundi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [57] hinc hodie Angelus Christum *Dominum* appellat: *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus;* [58] surrexit enim Dominus non tantum ut homo beatus, sed etiam ut rex Beatorum, rex gloriae paradisi. Surrexit tanquam vitulus, ut maneret in Ecclesia usque ad consummationem saeculi sub specie sacramentali in Eucharistia, ubi quotidie offertur Deo in sacrificium pro salute nostra. Tandem resurrexit sicut aquila, ut ascenderet in coelum super omnes Angelorum choros, sessurus ad dexteram Dei Patris.

resurrexit etiam ut homo plenus infinita erga nos humanitate,

ut leo rex mundi et paradisi, ut victima in Ecclesia quotidie immolanda, ut aquila ascensurus in coelum.

51) Sic enim *Salome* latine interpretatur. 52) Mt 28, 6. 53) 1, 12-14. 54) Dt 32, 11. Vulg.: *Assumpsit eos,* etc. 55) Lc 24, 36; Io 20, 21. 26. 56) Cf. Act 1, 3. 57) Mt 28, 18. 58) Cf. ibid. vr. 6.

Resurrexit corpore splendenti, impassibili, spirituali et agilissimo.

VI. *Revertebantur* autem animalia *in similitudinem fulguris coruscantis.* De Angelo autem, qui Christi resurrectionem nunciavit, M a t t h a e u s ait quod *erat* ... *aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix;* [59] fulgur autem ignea coruscatio est, ignis autem statum gloriae designat. Christus enim ob quadruplicem in eo statum humanae naturae, quattuor nominibus in Divinis Scripturis appellatur: propter statum innocentiae *Adam secundus,* sed *coelestis ;* [60] propter statum poenae אנוש, [61] idest a f f l i c t u s ; propter statum gratiae גבר, [62] idest v i r f o r t i s ; et propter statum gloriae איש, [63] idest v i r g l o r i o s u s ; nam איש dicitur quasi אש, i g n i s, qui suapte natura sursum tendit in coelum. Sicut autem ignis substantia lucidus est, natura impassibilis, corpore spiritualis et motu agilissimus, sic Christus resurrexit corpore veluti igneo, claro, impassibili, spirituali et agilissimo.

Angelus nuncians Christi resurrectionem figurat statum electorum in resurrectione,

Apparuit autem Angelus nuncians Christi resurrectionem in specie viri, sed iuvenis, splendenti facie, stola candida, qui sedebat, sed ad dexteram monumenti supra lapidem, quem ab ostio monumenti revolverat. Apparuit Angelus hic ad repraesentandam Christi resurrectionem et gloriam eius. Apparuit Angelus, quoniam ait Christus quod omnes electi in resurrectione *erunt sicut Angeli Dei* [64] et *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* [65] Sed apparuit iuvenis, quia in coelo nulla erit senectus, nulla corruptio, nulla passio, sed quilibet beatus vir erit perfectus et iuvenis in flore aetatis, sicut Adam in paradiso: *Donec occurramus omnes* ... *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* [66] Sic Christus iuvenis resurrexit sicut iuvenis mortuus est. Apparuit splendenti facie ad designandam gloriam resurrectionis, in veste candida ad designandam coelestis vitae puritatem; apparuit sedens ad designandam perpetuam quietem. Sed sedebat non a sinistris sed a dextris, quia sessurus erat Christus ad dexteram Patris.

apparuit enim iuvenis, quia in resurrectione nulla senectus, splendenti facie, ad designandam gloriam coelestem;

Sicut autem in Divinis Scripturis sinistra significat adversitatem, ita dextera prosperitatem, [67] significat etiam honorem, nam quos

59) Ibid. vr. 3. 60) Cf. 1 Cor 15, 45-48. 61) Ms.: *Enosc* 62) Ms.: *Gheber,* 63) Ms.: *Isc* et infra: *Isc, esc.* 64) Mt 22, 30. 65) Ibid. 13, 43. 66) Eph 4, 13. 67) Cf. Mt 25, 33.

honoramus a dextris collocamus; ita ut sicut in Christi passione vidimus infinitam ignominiam, infinitam paupertatem et infinitam patientiam omnium malorum, ita in eius resurrectione videmus infinitam gloriam, infinitas divitias et aeternam voluptatem omnemque felicitatem. Sic nox obscurissima conversa est in clarissimum diem: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum... aeternum gloriae pondus nobis operatur* [68] in coelis. Brevis fuit passio Christi, vix uno integro die duravit, sed eius gloria in aeternum durat in coelis, nunquam habitura finem. Sic Deus electis suis prius dat amaritudinem sed momentaneam, postea vero dat aeternam dulcedinem. Sic populus Dei a deserto transivit in felicissimam terram promissionis; [69] magnus sacerdos, post oblatum sacrificium pro peccato, ingrediebatur in sancta sanctorum. [70] Sic Christus ab ignominia passionis transit ad gloriam resurrectionis. Sic animalia ibant ad ignominiam passionis et revertebantur ad gloriam resurrectionis.

apparuit n dextris sedens, ut significaret per ignominiam passionis transeundum esse ad gloriam resurrectionis.

Competit autem Christo gloria resurrectionis ob quattuor rationes: primo, quia homo innocens et sanctus, gratiae enim debetur gloria et vita aeterna; secundo, quia vitulus ratione passionis et merito crucis: *Humiliavit semetipsum* Dominus Iesus Christus *usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum*, etc.; [71] tertio, quia leo, rex animalium terrestrium, quia *Sanctus Sanctorum* [72] est et *Sol iustitiae*, [73] maiori enim gratiae maior debetur gloria; et quarto, quia aquila, regina avium coelestium, quia rex est Angelorum ac Beatorum omnium in coelo, sicut sol rex est omnium stellarum; super omnia vero haec, quia Christus homo est deificatus et Deus humanatus. Hinc Ezechiel super capita animalium vidit Deum in humana forma qui tanquam ignis splendebat. [74]

Christo competit gloria resurrectionis ratione gratiae, passionis, infinitae sanctitatis et infinitae gloriae.

VII. *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Sicut sol occidens iterum oritur, sic Christus occidit in sua morte, sed iterum ortus est in sua rediviva resurrectione. Expergefactus est a somno mortis, sicut Noe qui bibens de vino vineae suae inebriatus fuit ac nudatus dormiens in medio tabernaculi sui, derisus

Sicut Noe expergefactus a somno benedixit Sem et Iaphet, sed Cham maledixit.

68) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *Operatur in nobis.* 69) Cf. Ps 104, 43-44. 70) Cf. Lv 16, 1-12.
71) Phil 2, 8-9. 72) Dn 9, 24. 73) Mal 4, 2. 74) Cf. 1, 26 sqq.

sic Christus resurgens ex mortuis benedixit Ecclesiae Gentium, maledixit autem synagogae.

fuit ab impio Cham, sed honorifice tractatus a Sem et Iaphet; sed evigilans a somno his quidem benedixit, illi vero maledixit;[75] sic Christus resurgens maledixit synagogae Iudaeorum et benedixit Ecclesiae Gentium. Abraham descendit in Aegyptum pauper, sed inde ascendit dives; Isaac sacrificandus abiit ad locum sacrificii, sed inde vivus, sanus et incolumis reversus fuit; Iacob odio habitus a fratre, pauperculus egressus est de domo sua transiens cum baculo Iordanem, sed ditissimus reversus fuit; Ioseph de carcere eductus, princeps factus fuit totius Aegypti; Moyses pauper descendit in Aegyptum, sed inde egressus est princeps populi Dei;[76] Samson captus a Philisthaeis, victor reversus est in domum suam, occisis mille Philisthaeis mandibula asinina; David, occiso Golia, cum gloria reversus fuit in Ierusalem; arca Dei capta a Philisthaeis, gloriose in terram Israel reversa fuit; Ionas a pisce devoratus, sanus et incolumis ad lucem rediit; Daniel de lacu leonum integer et salvus egressus fuit. Hoc est *animalia ibant et revertebantur.*

In his tribus mulieribus Ecclesia designatur in triplici statu: incipientium, proficientium et perfectorum.

VIII. *Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum,* etc. In tribus hisce sanctis mulieribus universa Sancta Ecclesia designatur, quae Christo tanquam sponso fide, spe et caritate coniuncta est. Omnis anima fidelis, si vere Christi sponsa est per fidem vivam et caritatem, necesse est ut sit una harum trium mulierum: vel Maria Magdalene, vel Maria Iacobi, vel Salome; ut sit vel in statu incipientium et poenitentium, vel in statu proficientium et activorum, vel in statu perfectorum et contemplativorum. Status vitae prioris consistit in operibus poenitentiae, alterius vero in operibus virtutum cardinalium et dilectionis erga proximum propter Deum, sed postremi in actionibus virtutum theologicarum, maxime vero dilectionis Dei.

Elucet etiam in illis mira dilectio et devotio erga Christum.

In tribus autem hisce mulieribus elucet mira erga Christum devotio et dilectio, quem non tantum vivum, sed etiam mortuum dilexerunt, nec tantum affectu, verum etiam effectu diligebant, nam emerunt aromata et unguenta pretiosa multa pecunia. Elucet igitur una cum magna devotione magna etiam liberalitas in honorem Christi,

75) Cf. Gn 9, 20-27. 76) Cf. Ex 14, 29 sqq.

et praeterea multa sollicitudo, noctem enim fere totam insomnem duxerunt ut pararent unguenta, et postea valde mane venerunt ad monumentum relinquentes domos suas et civitatem, in sepulcrum venerunt ad requirendum Crucifixum.

Quamvis autem magna se eis offerat difficultas: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?... Erat enim magnus valde,*[77] non propterea desponderunt animum, sed iter prosecutae sunt ac peregerunt. Lapis autem iste magnam significat difficultatem ad observandam divinam legem. Videtur enim homini, dum suas metitur vires, quodammodo impossibile divinam servare legem et in carne vivere non secundum carnem, sed secundum spiritum, in mundo non secundum mundum, sed secundum Deum. Propterea enim divina lex in lapidibus data fuit,[78] quoniam gravis valde est viribus humanis, quae admodum fragiles et infirmae sunt, quales sunt mulierum vires. Diligere Deum ex toto corde super omnia quae in mundo sunt et supra seipsum, proximum etiam non tantum amicum, verum etiam inimicum diligere et beneficiis afficere, carnem propriam mortificare cum vitiis et concupiscentiis suis,[79] grave admodum videtur: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?... Erat enim magnus valde.* Sed *introeuntes in monumentum viderunt revolutum lapidem*[80] et insuper Angelum Domini ibi invenerunt et Christum non mortuum, sed viventem. Quare multo plura invenerunt quam sperabant. Sepulcrum Christi forte statum perfectionis in sacra Religione designat et claustrali caelibatu. Multi enim relinquunt mundum ob amorem Crucifixi, ut serviant Deo in sancta Religione, qui locus est mortis carnis, sed spiritus ibi vivit.

Hac dilectione vincendae sunt omnes difficultates ut divina lex servetur.

IX. Tribus hisce sanctis mulieribus apparuit Christus hodie priusquam Apostolis appareret, quoniam hae ardentiori ac ferventiori spiritus devotione et amore in Christum praeditae erant. Sed primo omnium Mariae Magdalenae apparuisse legitur, quoniam ipsa omnium ardentissime Christum diligebat, unde canit Ecclesia:

« Prima meretur gaudia
Quae plus ardebat ceteris ».[81]

Legitur Christum apparuisse prius Magdalenae, quia ipsa plus eum amabat;

77) Mc 16, 3-4. Vulg.: *Erat quippe*, etc. 78) Cf. Ex 34, 1-29. 79) Cf. Gal 5, 24.
80) Mc 16, 4-5. Ordine inverso affert hos vrr. 81) Mich. Timotheus Ariminensis *In*

sed Virgo Mater caritate, virtute et merito ipsos Angelos excedebat,

At si haec causa est ob quam Christus primo omnium legitur apparuisse Mariae Magdalenae,[82] quoniam vere alta turris[83] erat, ceteris domibus civitatis multo altior, ita ut prima suscipiat radios orientis solis, quis dubitat quod Virgo Sanctissima Maria Mater turris est infinitis pene partibus altior Maria Magdalena? Turris aedificata supra montem altissimum, sicut templum Salomonis supra montem Moria[84] et civitas David, sive arx David supra montem Sion:[85] *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium ;*[86] *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*[87] Maria ergo turris erat omnium altissima, gratia, virtute et merito Angelos etiam transcendens. Haec igitur orientem solem prima vidit, nam Christus instar solis resurrexit; namque transfiguratio Christi figura et specimen extitit resurrectionis; hinc tunc ait Apostolis: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.*[88] Sicut igitur cum transfiguratus fuit Dominus *resplenduit facies eius sicut sol,* sic hodie tanquam sol lucidissimus resurrexit. Sic Ioanni apparuit: *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua,* dixitque ei: *Ego sum primus et novissimus . . . vivus et fui mortuus et ecce sum vivens in saecula saeculorum.*[89] Moriente Christo obscuratus fuit sol,[90] quoniam sol iste imago quaedam Christi est, ab eo lumen accipiens sicut luna a sole. Mors autem Christi fuit veluti solis eclipsis et deliquium, imo solis occasus; at resurrectio novus ortus solis. Orientem autem hunc solem Maria Mater, tanquam turris altissima supra montem altissimum sita, prima vidit, ei Christus primo omnium apparuit:

ei ergo primo omnium Christus apparere debuit, quia prima merebatur gaudia.

« Prima meretur gaudia ».

Hymnos Ecclesiasticos Brevis Elucidatio, lib. 4, hym. 7, vr. 19-20, pag. 405; *Hymni Ecclesiastici,* hymn. in Festo S. M. Magdalenae, stropha 5, pag. 283. 82) Cf. Mt 28, 1-9; Io 20, 11-17. 83) Sic enim *Magdalena* latine interpretatur. 84) Cf. 2 Par 3, 1. 85) Cf. 2 Rg 5, 7-9; 1 Par 11, 5-7. 86) Is 2, 2. 87) Ps 86, 1. 88) Mt 17, 9. 89) Apc 1, 16-18. 90) Cf. Lc 23, 45.

II. ALIA HOMILIA

Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum, etc. [1]

I. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia laetissimum festum dominicae resurrectionis, repraesentat nobis divinum mysterium redivivae resurrectionis Christi, sicut elapsis diebus repraesentavit mysteria passionis et mortis. Sic enim olim Deus iussit per singulos annos celebrari pascha in memoriam liberationis a servitute et captivitate Aegypti, [2] et per singulos annos etiam scenopegiae festum celebrari, instar scenicae praesentationis in memoriam beneficiorum a Deo acceptorum in deserto. [3]

Sicut singulis annis celebrabantur festa a Lege praescripta, sic nunc quotannis celebratur festum resurrectionis Christi.

Sed erant illae sacrae quidem praesentationes et mysticae, at vero vanae, inanes, umbrae et figurae. Nostrae autem non sic; sed sicut Deus singulis annis celebrat in aestate ab initio veris usque ad plenum autumnum praesentationem creationis mundi per naturalium rerum procreationem, nec inanis est haec praesentatio, veluti in scena fictae rerum imagines et personae repraesentantur, sed idem nunc agit Deus quod tunc egit, ita plane in sacris hisce mysteriis. Sicut enim illucescente die, post caecae noctis tenebras horribilemque obscuritatem, veluti primae illius lucis creatio praesentatur, quando cum essent *tenebrae... super faciem abyssi... dixit... Deus: Fiat lux. Et facta est lux,* [4] et renovatio lunae per singulos menses veluti indicat primam lunae creationem, ita tamen ut haec omnia eosdem nunc operentur effectus, quos [5] tunc operata fuere, ita divina haec mysteria idem nunc operantur cum in Ecclesia praesentantur fidelibus, quae cum vere facta fuere, operata sunt, salutem videlicet animarum, remissionem peccatorum, consecutionem gratiae et misericordiae Dei, augmentum fidei, spei et caritatis, spiritualem laetitiam in fidelium cordibus.

cuius illa erant umbrae et figurae.

II. Solent principes et reges magna cum solemnitate multoque cum splendore et pompa celebrare dies natalium suorum diesque

1) Mc 16, 1. 2) Cf. Ex 12, 14-27. 3) Cf. Lv 23, 34 sqq. 4) Gn 1, 2-3.
5) Ms.: *Quae.*

Hodie Christus natus est ad vitam immortalem et coronatus rex.

creationis et coronationis, quando creati et coronati reges fuerunt. Christus autem *Rex regum* est *et Dominus dominantium;* [6] hodiernus autem dies ipsi est dies secundae nativitatis et simul coronationis. Nam Christus hodie natus est ad vitam immortalem et aeternam et coronatus est rex. Hinc ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [7] Unde legimus duo haec simul coniuncta: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius... Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te,* [8] quod Paulus de Christi resurrectione interpretatur. [9]

ideo infinitae exultationis haec dies est

Hanc igitur ob causam tanta cum solemnitate et laetitia hodiernus dies in Christi regno, quod est Ecclesia sancta Dei, celebratur: « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea »; [10] *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum;* [11] *Iudaeis... nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* [12] videntes perditum Aman capitalem inimicum et Mardochaeum a rege potentissimo Assuero tantopere exaltatum super omnes principes illius regni et imperii augustissimi maximique. [13] « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea »; dies infinitae laetitiae et exultationis, infiniti iubili Deo et omnibus Angelis paradisi, Christo, Mariae, Apostolis, Patriarchis, Prophetis, Sanctis omnibus, omnibus Christi fidelibus.

a) Deo, qui Filium redivivum recipit;

Deo quidem, nam si dolor cadere potest in Deo, is ob mortem unici Filii maximus fuit; ergo ob resurrectionem maxima laetitia [affectus fuit], sicut in patriarcha Iacob videre licet; cum enim supra modum Ioseph pulcherrimum filium diligeret, incredibili dolore affectus fuit ob illius amissionem; [14] cum autem audivit eum vivere et dominari in terra Aegypti, maximo et incredibili gaudio fuit repletus. [15] De clementissimo illo patre filii prodigi legimus quod magnum convivium fecit ac solemnissimum, cum symphonia et omni genere musicorum, quia salvum filium recepit. [16] Ait enim: *Exultare* et *gaudere oportebat, quia... hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est!* [17] Sic Deus hodie in coelo festivissimum diem celebravit.

6) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 7) Mt 28, 18. 8) Ps 2, 6-7. 9) Cf. Hebr 5, 5. 10) Cf. supra not. 3 praec. hom. 11) Ps 117, 15. 12) Est 8, 16. 13) Cf. ibid. 7, 10-8, 1-15. 14) Cf. Gn 37, 33 sqq. 15) Cf. ibid. 45, 26 sqq. 16) Cf. Lc 15, 20-27. 17) Ibid. vr. 32.

Sic Angeli ob Christi resurrectionem et gloriam maximo repleti gaudio fuere, sicut et in Christi nativitate. Sed si laetati sunt cum Christus natus fuit ad vitam passibilem, mortalem, temporariam, quanto magis hodie cum renatus Christus est, sed ad vitam impassibilem, immortalem, sempiternam? Angelus tunc nunciavit Christi nativitatem,[18] Angelus hodie Christi resurrectionem, secundam nativitatem multo gloriosiorem, sed Angelus in veste candida: *Erat... aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.* [19] Apparet in veste splendida, festiva, ad insinuandam laetitiam et festivum gaudium.

b) Angelis, qui gloriosiorem vident et annunciant quem iubilantes annunciarunt natum ad vitam passibilem;

Gaudium fuit Christo, quoniam is primus fuit dies perfectae felicitatis et gloriae Christi. Nam in die transfigurationis cum Moyse et Elia egit de mysterio passionis;[20] in die palmarum lacrimas fudit super Ierusalem.[21] Hodie Christus perfecta carnis et spiritus, corporis et animae felicitate donatus est; infinita plane gloria videns hodie Christus corpus carnemque suam circumamictam, non potuit non laetari tale tantumque donum gloriae accipiens a Deo. Infinita plane cum corporis gloria Christus resurrexit ob dignitatem personae: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre,* [22] est enim primogenitus Filius Dei; et ob infinitum thesaurum gratiae: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis;* [23] ob infinita virtutum et bonorum operum merita: *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen;* [24] nam in dextera est Dei Patris: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* [25]

c) Christo, qui hodie perfecta felicitate et gloria corporis et animae donatur

De resurrectione iustorum legimus quod *fulgebunt sicut sol* [26] in conspectu Dei. Sed soles isti respectu Christi stellae erunt: *Fulgebunt, qui docti sunt, sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates.* [27] Dicunt theologi quod coelum empyreum sole multo splendidius est.[28] Quilibet autem iustus in empyreo splendebit sicut sol iste in hoc coelo; Christus autem superabit gloriam omnium iustorum, sicut sol splendorem omnium

superans gloriam omnium Beatorum;

18) Cf. Lc 2, 10-11. 19) Mt 28, 3. 20) Cf. Lc 9, 30-31. 21) Cf. ibid. 19, 41. 22) Io 1, 14. 23) Ibid. 24) Phil 2, 8-9. 25) Ps 109, 1. 26) Mt 13, 43. 27) Dn 12, 3. Vulg.: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi*, etc. 28) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 66, a. 3; F. Suarez *De Deo Effectore*, tract. *De Opere Sex Dierum*, lib. 1, cp. 4-5, pag. 17-26.

stellarum. O gloriam infinitam, ineffabilem, incomprehensibilem, inexcogitabilem! Sic ob talem tantamque gloriam supra modum laetatus est.

d) Beatae Virgini, quae cum infinito dolore cordis sui in passione Filium amiserat, sed in resurrectione iterum recepit gloria divina coronatum;

Sed quid dicam de laetitia Sanctissimae Virginis? Qualis, quantus fuit dolor eius ob passionem et mortem dilectissimi ac unici Filii, talis et tanta fuit, imo multo maior laetitia ob resurrectionem; nam dicere utique potuit cum Eva: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* [29] Abel interpretatur v a n i t a s, privatio, Seth vero p o s i t i o. Si, inquit, Cain abstulit mihi filium, Deus multo meliorem mihi dedit. Sic, inquam, dicere potuit Sanctissima Virgo. Nam in passione amisit Christum tanquam Abelem, privatum hominem, passibilem, mortalem, pauperem, valde humilem; sed in resurrectione suscepit Filium impassibilem, immortalem, divina gloria vitaque aeterna donatum et universi principem coronatum; sicut Iacob amisit Ioseph parvum et suscepit magnum, amisit pauperem et suscepit divitem, amisit privatum hominem et suscepit maximum principem. [30] Magnum fuit miraculum quod in die passionis Virgo non vita functa fuerit ob magnitudinem doloris, sed multo maius quod in die resurrectionis non fuerit mortua ob magnitudinem gaudii, nam facilius est mori ob gaudium quam ob dolorem. Nec dici, nec cogitari potest quale quantumque fuerit Beatae Virginis gaudium hodie, cum ei Christus suscitatus apparuit eamque laetitiae suae participem effecit. Sicut Samson, cum occurrentem sibi ferum leonem inermis occidisset ac postea in leonis ore favum mellis invenisset, non sibi soli retinuit, sed parentibus partem dulcissimi illius mellis dare voluit, [31] sic Christus hodie gaudii et laetitiae suae primo omnium dilectissimam Beatissimamque Virginem Matrem participem esse voluit.

et si magnum fuit miraculum ipsam in passione Christi mortuam non esse prae dolore, magnum miraculum fuit mortuam nunc non esse prae gaudio;

Magna etiam fuit hodie Apostolorum laetitia, nam legimus: *Gavisi sunt... discipuli, viso Domino,* [32] tantumque erat eorum gaudium ut vix oculis crederent: *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio.* [33]

e) Apostolis, ut vix oculis propriis crederent.

29) Gn 4, 25. 30) Cf. ibid. 46, 28-30. 31) Cf. Idc 14, 5-9. 32) Io 20, 20. 33) Lc 24, 41.

III. Laetemur igitur et nos: « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea», quoniam gloria resurrectionis Christi nostra utique gloria est, nam Christus caput nostrum est, nos autem membra ipsius sumus: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[34] Christus *primogenitus* est *mortuorum,*[35] *primitiae dormientium,*[36] exemplar resurrectionis nostrae: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*[37]

Ergo nobis quoque laetandum est, quia resurrectio Christi exemplar est resurrectionis nostrae corporalis,

Sed est etiam exemplar spiritualis resurrectionis, ut Paulus ait: *Sicut Christus resurrexit.... ita et nos in novitate vitae ambulemus.*[38] Resurrexit Christus, sed nunquam amplius moriturus: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*[39] Resurgens Christus non rediit ad pristinam vitam iterum passibilem et mortalem, sicut Lazarus suscitatus,[40] sed transivit ad vitam impassibilem, immortalem, beatam, coelestem, angelicam, divinam. Sic utique resurgendum nobis est a morte peccati, ut *in novitate vitae ambulemus*, ut *nostra conversatio in coelis*[41] sit. Talis fuit spiritualis resurrectio Mariae Magdalenae, quae fuerat aliquando *in civitate peccatrix;*[42] nam ad peccatricem vitam, post poenitentiam qua ad Christum conversa fuit, minime rediit.

exemplar etiam resurrectionis spiritualis,

a morte peccati ad vitam gratiae,

Si autem salvari volumus, fratres, et participes esse gloriae dominicae resurrectionis, necesse est ut in spiritu simus vel Maria Magdalena, vel Maria Iacobi, vel Salome, quae pacifica, sive perfecta interpretatur. His enim Angelus ait hodie: *Nolite timere vos.*[43] Designant enim hae tres sanctae mulieres tres animarum status in Ecclesia, extra quos non est salus: *Nolite timere vos*, poenitentes, activi, contemplativi, qui Christum super omnia diligitis, quaeritis, obsequi vultis, contemptis omnibus, qui ad Christum quaerendum civitatem relinquitis, mundum spernitis, qui a tenebris ad lucem a Spiritu Sancto vocati estis.[44]

Ad salutem necesse est super omnia Christum diligere, quaerere et obsequi.

34) Phil 3, 20-21. 35) Apc 1, 5. 36) 1 Cor 15, 20. 37) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 38) Ibid. 6, 4. Vulg.: *Quomodo Christus surrexit*, etc. 39) Ibid. vr. 9. 40) Cf. Io 11, 43-44. 41) Phil 3, 20. 42) Lc 7, 37. 43) Mt 28, 5. 44) Cf. 1 Petr 2, 9.

FERIA SECUNDA PASCHAE

Christus resuscitatus se occultat hodie sub veste peregrini.

I. Homo, quamvis notissimus, sub alieno habitu larvaque absconditus, cum amicissimis saepe, quibus summa familiaritate coniunctus est, conversatur et loquitur, nec tamen agnoscitur, nisi detracta larva. Et sol saepe sub nube occultatus minime videtur, dissoluta vero nube clarissime cernitur. Thesaurus etiam desiderabilis summeque desideratus, si inventus non agnoscatur, nihili penditur, agnitus autem summo in pretio habetur. Sic hodie Christus sub specie habituque peregrini hominis a discipulis minime agnoscitur; remoto autem velo, agnitus est. O felices qui Christum agnoscunt! Thesaurum enim infiniti valoris inveniunt.

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem. [1]

Saepe Deus sub peregrino habitu apparuit Patriarchis et Prophetis;

II. Saepe Deus sub peregrino habitu, nihil tamen in seipso mutatus, apparuit visusque fuit sanctis Patriarchis atque Prophetis: nunc in specie ignis ut Abrahamo [2] et Moysi; [3] nunc sub specie nubis, uti cum descendit ad dandam legem [4] et cum templum dedicatum Deo fuit; [5] saepissime sub humana specie, [6] ob divinae incarnationis mysterium. Sic Christus verus Deus et homo, post resurrectionem suam multis modis apparuit electis suis ad com-

1) Pericope huius diei Lc 24, 13-35. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 15, 17. 3) Cf. Ex 3, 2. 4) Cf. ibid. 19, 16-20. 5) Cf. 3 Rg 8, 10-12; 2 Par 5, 14; 7, 1-2. 6) Cf. Gn 18, 1-2; 19, 1-22; 20, 2. 15; 28, 13; 35, 1. 9; 24, 9; 33, 1 sqq.; Ios 1, 1-9; 3, 7; Idc 6, 12-21; 13, 3-23; 2 Rg 3, 19; 21, 1; 7, 4; 3 Rg 3, 5; 9, 2; 1 Par 17, 12; 2 Par 1, 7; 22, 8; Is 7, 10; Ier 4, 18; Dn 9, 21-22; 10, 11; 12, 4.

probandam divinae resurrectionis suae veritatem. Mariae Magdalenae apparuit sub specie hortulani,[7] discipulis piscantibus sub specie mercatoris ad litus maris Galilaeae: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?*[8] Et hodie apparet duobus hisce sub specie peregrini: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?*[9] Est enim Christus hortulanus ille qui plantavit *paradisum voluptatis a principio;*[10] mercator qui, pretio sanguinis sui mundum redemit de manu divinae iustitiae, et singularissimus divinissimusque peregrinus est tendens in coelum: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?*[11]

sic Christus post resurrectionem suam apparuit sub specie hortulani, mercatoris et hodie peregrini.

Mirabilis quidem peregrinus est Christus, cuius excellentia ineffabilis est, adeo ut omnes Divinae Litterae nonnisi de mirabili hoc peregrino loquantur: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.*[12] Omnes enim Divinae Litterae de Deo loquuntur et divinis operationibus, quae sunt mundi creatio, redemptio et glorificatio, opus naturae, opus gratiae et opus gloriae, mundus, Ecclesia et paradisus. Sed Christus verus est Deus, igitur de Christo semper loquuntur: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; quomodo et tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et crucifixerunt eum.*[13] Haec sunt quae de Christo Divinae Scripturae loquuntur. Disserunt enim de incarnatione, vita, doctrina, miraculis, morte, resurrectione et ascensione Christi: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*[14]

Omnes Divinae Litterae loquuntur de Christo et de eius operationibus.

Reserat Christus hodie Divinarum Scripturarum mysteria sub habitu peregrini, sicut Moyses velata facie Hebraeis legem declaravit in campestribus Moab, paulo ante quam in montem ascenderet,[15] nunquam amplius cum hominibus conversaturus; sicut Ioseph factus princeps Aegypti aperuit thesauros frumenti pro salute mundi, qui tamen a suis fratribus agnitus minime fuit, donec in convivio seipsum illis manifestavit.[16] Sicut Deus, aperto coelo, ostendit Ezechieli omnia Christi mysteria in quadriformi illo animali in rotis,

Christus sub habitu peregrini reserat hodie Divinarum Scripturarum mysteria.

7) Cf. Io 20, 14-15. 8) Ibid. 21, 5. 9) Lc 24, 18. 10) Gn 2, 8.
11) In margine haec adiecta fuerunt: « Adam positus fuit in paradiso ut esset hortulanus, mercator et peregrinus; sed infeliciter ei omnia successerunt. Hinc venit Christus ».
12) Lc 24, 27. 13) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Eum tradiderunt*, etc. 14) Ibid. vr. 26.
15) Cf. Ex 34, 33 sqq. 16) Cf. Gn 45, 1-11.

in firmamento et in sedente super solium;[17] sic Christus, aperto Divinarum Scripturarum coelo, ostendit hodie hisce discipulis mysteria divinae Personae suae. Videmus hodie summum sacerdotem removentem velum et sancta sanctorum manifestantem;[18] hodie coelestis agnus habens cornua septem oculosque septem, accipit librum signatum septem sigillis de dextra Dei, quem nulla vel coelestis quidem creatura aperire potuit, imo nec respicere, facillimeque solvit signacula librumque aperuit.[19]

Divina Scriptura de septem mysteriis praecipue loquitur.

III. Divina Scriptura praecipue de septem loquitur: de divina essentia et Trinitate, de Verbi incarnatione et Christi persona, de humanae naturae dignitate generisque humani conditione, lapsu et reparatione, de vitio et peccato, quod Deus summe odit, de gratia et virtute, quam Deus summe amat, de gloria paradisi electis Dei parata, de poena inferni praeparata reprobis; quae quidem omnia solus Christus plene novit, divini enim pectoris secreta solus Deus, ut par est, novit.

quae Christus hodie aperit.

In Divinis autem Scripturis figurarum involucris mysteria haec velata manebant, a solo Christo revelanda. Sed Christus, quoniam septem oculos sicut septem cornua habet, idest quia omnisciens est sicut et omnipotens, hinc aperit hodie omnia Divinarum Scripturarum mysteria et sacramenta: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*, quia *oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*

Qui haec mysteria non intelligit, nec passionis mysterium intelligere potest;

Si quis septem praedicta mysteria non intelligit, profecto passionis Christi mysterium intelligere minime potest. Si quis non intelligit mysterium Trinitatis, quomodo intelliget crucifixum esse Filium Dei unigenitum? Si non intelligit mysterium incarnationis, quomodo intelliget Christum crucifixum esse Deum et hominem? Qui non agnoscit humanae naturae dignitatem et quanti Deus faciat quantumque diligat hominem, quomodo capiet quod Deus propter hominem mortuus sit? Sic etiam si quis non intelligit quam maxime divina iustitia odio habeat peccatum et quantopere divina bonitas diligat virtutem, qui non intelligit quam magna res sit gloria paradisi

17) Cf. Ez 1, 1 sqq. 18) Cf. Lv 16, 12. 19) Cf. Apc 5, 1-6.

et aeterna poena inferni, non potest capere mysterium passionis et mortis Christi.

Hinc discipuli, quia haec in Divinis Scripturis minime intelligebant, scandalizati sunt in passione et morte Christi, et eo adacti sunt ut crederent Christum quidem magnum Dei prophetam fuisse, non autem vere Filium Dei. Hinc aiunt: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Prius quidem credebant discipuli hi Christum esse verum Messiam, sed ob scandalum passionis et mortis exciderunt a fide et expectatione regni Dei: *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel.* [20]

hinc discipuli, quia haec non intelligebant, in passione et morte Christi scandalum passi sunt.

At Christus: *O stulti*, inquit, *et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* [21] Vos, inquit, non creditis esse Messiam, quia crucifixus est; sed profecto quia crucifixus est, propterea multo magis debetis in eum credere, quia Prophetae locuti sunt quod Messias crucifigendus erat. Hoc fere omnes Divinae Scripturae testantur. Accidit hodie duobus hisce discipulis Christi sicut accidit filiis Iacob, qui loquentes cum Ioseph fratre, ipsum minime cognoverunt,[22] quoniam mortuum existimabant, sed postea in convivio cognoverunt eum, cum Ioseph seipsum illis manifestavit dicens: *Ego sum Ioseph, frater vester.* [23] Sic Christus *in fractione panis* agnitus est. [24]

De hoc eos Christus hodie redarguit aperiens eis Scripturas.

IV. Habemus in sacrosancto hodierno Evangelio multa salutaria documenta. Et primum quidem est, quod fides necessaria est ad salutem; hinc arguit Christus incredulitatem horum discipulorum: *O stulti et tardi corde ad credendum!* et ad instruendum eos de fide prolixum cum eis habet sermonem: *Incipiens* enim *a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.*

Docet hodiernum Evangelium fidem necessariam esse ad salutem.

Fuerant hi discipuli decepti a diabolo, non secus ac parentes nostri in paradiso, ut serpenti magis crederent quam Deo. Credebant illi prius in Deo et isti in Christo quod verus esset Messias, at vero sicut illi in tentatione serpentis crediderunt magis satanae quam Deo

Ideo Christus arguit incredulitatem discipulorum.

20) Lc 24, 21. Vulg.: *Quia ipse*, etc. 21) Ibid. vrr. 25-26. 22) Cf. Gn 42, 8.
23) Ibid. 45, 3-4. 24) Lc 24, 35.

qui ob scandalum passionis fidem amiserant,

et quodammodo defecerunt a fide, sic isti ob scandalum passionis Christi amiserunt fidem Christi. Venit tunc Deus, sed in humana forma ad arguendum incredulitatem et puniendum peccatum illorum, [25] sic Christus hodie in specie peregrini arguit horum incredulitatem: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus*, etc. Deceperat istos diabolus fallacibus rationibus dicens: Si magister vester fuisset verus Messias, utique Deus fuisset; sed Deus non potest pati et mori. Si fuisset Messias, fuisset rex et restituisset regnum Israel in pristinam felicitatem et gloriam; at magister vester haec minime fecit. Quod si aliquando dixit se Messiam et Filium Dei esse, parabolice locutus est, sicut vel semper in parabolis loquebatur. Et si miracula multa operatus est, etiam Moyses, Elias, Eliseus et alii multa miracula operati sunt, qui tamen homines erant, non dii, sed Prophetae Dei. Sic utique magister iste vester non Deus, non Messias, sed propheta fuit.

deceperat enim eos diabolus ne crederent eum esse Messiam,

Hanc diaboli persuasionem imbiberant hi, venenatum poculum, mellitum venenum. Hinc aiunt: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et crucifixerunt eum*. Hinc persuasi sunt Christum non esse verum Messiam, Filium Dei, quoniam traditus est in damnationem mortis et crucifixus, sed esse prophetam, quoniam Prophetae Dei multa mala perpessi sunt ab impiis.

sed tantum aliquem prophetam.

Christus igitur ad reducendum eos in viam veritatis hodie plurimum laborat et tanquam verus et optimus pastor errantes has oves reducit in ovile Ecclesiae. Fides igitur ad salutem necessaria est.

Sed necesse est ut sit fides integra: *Tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae*. Et isti quidem de Christo multa credebant: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo*, sed non credebant omnia; credebant humanitatem, sed non divinitatem; credebant passionem, sed non resurrectionem. Sed credendum est *in omnibus*. Sic hodie multi sunt qui credunt divinam misericordiam, sed non divinam iustitiam; qui credunt divinam omnipotentiam, sed non divinam providentiam.

Vera fides integra esse debet,

Sed credendum est *in omnibus*, fide opus est integra. Haec enim

25) Cf. Gn 3, 1 sqq.

est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* [26] basis et fundamentum omnium virtutum. Amissa enim fide, necesse est ut spes etiam et caritas amittatur. Ecce hi discipuli cum fidem amisissent, quomodo etiam spem amiserunt. Aiunt enim: *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel. Sperabamus,* inquiunt, sed spes nostra evanuit, abiit in fumum.

quia est basis omnium virtutum, nam, amissa fide, amittitur spes

Amiserunt etiam caritatem, nam aiunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret... Scripturas?* [27] Prius ergo non ardebat cor igne caritatis amorisque divini; hinc discedebant ab Ierusalem, a consortio fidelium Christi. Sicut autem accidit homini illi qui descendens *ab Ierusalem in Iericho... incidit in latrones, qui... spoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto,* sed a clementissimo samaritano postea curatus fuit; [28] sic accidit hodie duobus hisce discipulis. A satana enim spoliati sunt omnibus sanctarum virtutum habitibus et sauciati in animo, unde tristes erant, semivivi relicti sunt, viventes quidem in carne, sed non in spiritu. At vero a Christo curati sunt.

et caritas.

V. Alterum vero documentum est quod doctrina sacra admodum necessaria est ad salutem: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis,* nam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [29] Ad salutem namque Dei cognitio et amor nobis opus sunt. At Divina Scriptura illuminat mentem et accendit cor: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Et *cognoverunt eum in fractione panis.* Sed attente audienda est sacra doctrina et devote, ex desiderio illuminandi mentem et accendendi affectum.

Docet ad salutem necessariam esse doctrinam sacram, quae illuminat mentem et cor accendit;

VI. Tertium documentum est, quod ad salutem consequendam necessaria sunt opera bona facta ex caritate. Discipuli enim hi coegerunt Christum ut secum maneret illique mensam paraverunt, ac tunc Christum *cognoverunt... in fractione panis Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur;* [30] *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [31] Super omnia vero

necessaria esse bona opera ex caritate facta.

26) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc. 27) Lc 24, 32.
28) Ibid. 10, 30-35. Vulg.: *Despoliaverunt,* etc. 29) Rom 10, 8. 30) Ibid. 2, 13.
31) Lc 11, 28.

poenitentia ac patientia opus est: *Nonne... oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam? Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* [32]

Sed quid est quod statim ut *aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum, ipse evanuit ex oculis eorum?* [33] Mysterium est quod Christus propterea post resurrectionem suam mansit multis diebus in terra et non statim ascendit in coelum, ut plantaret fidem resurrectionis suae in cordibus discipulorum suorum; firmata autem hac fide multis argumentis et manifestata hac veritate, ascensurus erat in coelum. Et sic tunc *evanuit ex oculis* discipulorum suorum, ut fides Ecclesiae magnum haberet meritum apud Deum credendo in eum quem minime vidit: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* [34] Sic gaudentes discipuli dicunt: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* [35]

Fides magnum habet meritum credendo in Deum, quem non videt.

VII. Praeterea aliud adhuc documentum est, quod oportet nos peregrinos esse cum Christo in mundo, ut simus cum eo cives in coelo. Apparuit Christus hodie Magdalenae in specie hortulani, discipulis hisce in specie peregrini et Apostolis piscantibus ad litus maris Galilaeae in specie mercatoris volentis emere pisces. Sic nos in mundo mercatores, hortulanos et peregrinos esse oportet. Sunt nanque tria bonorum genera: quaedam intra nos, quae sunt naturalia, alia extra nos, quae sunt temporalia, et alia supra nos, quae sunt aeterna. Quoad naturalia oportet nos hortulanos esse extirpando mala a corde, lingua et manu, et plantando bona, in corde bonas cogitationes et desideria, in ore bona verba in laudem Dei et proximi, in manu opera. Quoad bona vero temporalia oportet nos peregrinos esse, ut non curemus in mundo divites fieri, sed *habentes... victum et quibus tegamur, his contenti* [36] simus, quia *nihil intulimus in hunc mundum* et *nihil auferre poterimus.* [37] Sic Christus fuit quidem peregrinus, sed pauper; sic hodie in forma pauperis peregrini apparuit. Quoad bona vero aeterna, simus mercatores. Voluit autem Christus emere pisces maris Galilaeae, emere non bona terrae, sed aquae, quod nobilius est elementum. Coelum autem hebraice dicitur שָׁמַיִם, [38] quod est i b i a q u a e.

Tandem docet oportere nos hortulanos esse quoad bona naturalia,

peregrinos quoad bona temporalia,

mercatores quoad bona aeterna.

32) Act 14, 21. Vulg.: *Nos intrare*, etc. 33) Lc 24, 31. 34) Io 20 24.
35) Lc 24, 34. 36) 1 Tim 6, 8. Vulg.: *Habentes... alimenta*, etc. 37) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Nec auferre, quid possumus.* 38) Ms.: *Scamaim*.

Et Moyses statuit aquas supra coelum.[39] Sic bona coelestia emenda nobis sunt, non terrena.

Bona aeterna amore comparantur.

Quae quidem amore emuntur; et ne pretium nobis deficeret, dedit nobis Deus cor magnum, quod mundo toto maius est; totus mundus non potest implere cor unius hominis, sed cor totum est plenum amore, sicut sol luce et ignis calore. Non quaerit Deus a nobis aliud pretium ut det nobis bona coelestia et gloriam paradisi, nisi cor nostrum: *Fili mi, praebe mihi cor tuum;*[40] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*[41] O nos felices, si tales fuerimus hortulani, peregrini et mercatores!

Nostra professio est discipulos esse Christi eiusque imitatores.

VIII. *Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem.* Omnis homo in mundo isto, cum natus sit ad laborem sicut avis ad volandum,[42] necesse est ut aliquod exercitium habeat, aliquam exerceat professionem vel artem mechanicam, vel liberalem, vel honorabilem, vacans studiis et disciplinis. Nostra autem professio est Christi discipulos esse. Haec autem professio omnium aliarum professionum summa regina est. *Duo ex discipulis Iesu,* ex sectatoribus et imitatoribus Christi; discipuli autem summi pictoris vel sculptoris vel scriptoris aut musici sunt qui eam artem et professionem discunt et imitantur. Haec igitur necesse est ut nostra professio sit, Christum imitari: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[43] *Exemplum . . . dedi vobis, ut quemadmodum,* etc.[44]

Quaerenda est bonorum societas,

Verum, quia homo animal politicum et sociabile est, qui societate et amicitia plurimum delectatur, bonis opus est amicis et sociis, qui virtutibus praediti sint et optimis moribus ornati. Nam omne simile appetit sibi simile;[45] neque enim columba serpentibus delectatur, nec agnus lupis. Hi duo socii ambo erant discipuli Christi, ambo virtutis sectatores: *Non . . . coutuntur Iudaei Samaritanis.*[46] Si vinum misceatur aqua, profecto vel saporem amittet, vel saltem colorem. Qui conversatur cum malis, si non fiet malus amissa virtute, amittet tamen

sed fugienda societas malorum.

39) Cf. Gn 1, 6-7; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 68, a. 2; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 156-157. 40) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi*, etc. 41) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 42) Cf. Iob 5, 7. 43) Mt 11, 29. 44) Io 13, 15. 45) Axioma ex Eccli 13, 19. 46) Io 4, 9.

bonum nomen et bonam famam, quoniam amici solent esse homines eiusdem notae eiusdemque farinae. A malorum autem hominum conversatione fugiendum magis est quam a serpentibus et regulis; flatus enim eorum virtutes animi corrumpit.

Bona societas comitem Christum habet.

Bona autem societas res utique iucundissima est: *Frater qui adiuvatur a fratre, tanquam civitas fortis ;*[47] *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum !*[48] *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[49] Sic utique experientia hodie comprobatum est; Iesus enim iunxit se hodie et ibat cum discipulis his.[50]

II. ALIA HOMILIA

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die, etc.[1]

Hodiernum Evangelium demonstrat veritatem resurrectionis Christi et conversionem discipulorum.

I. Positum fuit divinum propitiatorium inter duos cherubim aureos;[2] Christus autem *est propitiatio pro peccatis nostris.*[3] Intuebantur cherubim divinum propitiatorium quasi mirantes; sic hodie duo isti discipuli Christum a mortuis suscitatum mirantur. Scopus autem hodierni Evangelii est demonstrare veritatem resurrectionis Christi et modum quo ipsemet Christus perduxit duos discipulos suos incredulos ad hanc veritatem agnoscendam et credendam corde oreque confitendam.

Christus vere resurrexerat, sed nemine vidente, ideo non agnoscebatur.

II. Quoad primum, in fine hodierni Evangelii dicitur: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.*[4] Sic dicit et docet apostolicum collegium. Et Christus *in fractione panis* se vere suscitatum manifestat.[5] Christus quidem verissime resurrexerat, sed non in conspectu magnae multitudinis hominum, sicut Lazarus cum a Christo suscitatus fuit;[6] resurrexit in tenebris, ante lucem, ante solis ortum, *valde diluculo,*[7] *cum adhuc tenebrae essent ;*[8] resurrexit nemine spectante,

47) Prv 18, 19. Vulg.: *Civitas firma.* 48) Ps 132, 1. 49) Mt 18, 20. 50) Lc 24, 15.

1) Lc 24, 13. 2) Cf. Ex 25, 17-20. 3) 1 Io 2, 2. 4) Lc 24, 34. 5) Ibid. vr. 35. 6) Cf. Io 11, 43-45. 7) Lc 24, 1. 8) Io 20, 1.

nullo homine vidente. Erat haec veritas thesaurus absconditus in agro. Ortus erat sol, sed aere nubibus obducto et obtenebrato, ita ut videri sol hodie minime potuerit. Saul fuit unctus rex super universum Israelem, sed in secreto, nemine sciente.[9] Sic Christus hodie: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra ;*[10] sed nemo id sciebat. Ioseph vivebat et regnabat in terra Aegypti, sed nesciebatur in domo patris sui, ubi mortuus putabatur,[11] ideo nec loquens nec comedens a fratribus unquam agnitus fuit, nisi cum seipsum illis manifestavit;[12] sic Christus hodie manifestat veritatem resurrectionis suae.

ideo manifestat hodie veritatem suae resurrectionis;

Arca Dei a Philisthaeis prius capta, reversa fuit postea libera a terra Philisthaeorum, ubi Dagonem illorum deum prostraverat caputque et manus amputaverat, in terram Israel, sed nescientibus Hebraeis;[13] et eadem arca auro induta manebat intra sancta sanctorum sub velo, ne eius gloria videretur;[14] sic gloria corporis Christi resuscitati occulta erat futura hominibus; quemadmodum et Samson media nocte, nemine vidente, egressus fuit de civitate Gazae, in qua Philisthaei cogitabant eum detinere veluti captivum in carcere;[15] Elias etiam secreto reversus fuit a Sarepta Sidoniorum, ubi mortuum filium viduae secreto etiam suscitavit, in terram Israel ad destruendam idololatriam et ad dandam pluviam terramque fecundandam et terminandam famem trium annorum.[16]

gloria enim corporis eius occulta erat hominibus.

III. Modus autem, quo Christus occultam hanc veritatem manifestat et incredulis discipulis manifestat, admirabilis est. Primo quidem, Christus ex divina caritate sua horum discipulorum cupiens salutem et tanquam pastor bonus desiderans aberrantes oves reducere ad suum ovile, multa utitur sapientia multaque prudentia. Simulat se alium esse, interrogat quasi nesciens de qua re loquerentur, loquitur de seipso in tertia persona, fingit se longius ire; sed caritas Christum urgebat ardensque desiderium salutis ut sese ita transformaret. Induit larvam hominis peregrini, deinde personam agit praedicatoris et doctoris ac interpretis legis, qui doctrina sua simul illuminabat mentem et inflammabat affectum : *Nonne cor*

Admirabilis est modus quo Christus hanc veritatem discipulis manifestat,

9) Cf. 1 Rg 10, 1. 10) Mt 28, 18. 11) Cf. Gn 42, 6-23. 12) Cf. ibid. 45, 1-4.
13) Cf. 1 Rg 4, 11-6, 1 sqq. 14) Cf. Ex 25, 10-21; 37, 1-6; 40, 17-19.
15) Cf. Idc 16, 1-3. 16) Cf. 3 Rg 17, 17-18, 1 sqq.

nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret . . . Scripturas?[17] Tandem fit hospes et conviva, ac tunc demum seipsum cognoscendum praebet *in fractione panis.* Sic Paulus urgente caritate dicit se omnibus omnia factum, Iudaeis iudaeum, Gentilibus gentilem, ut omnes lucrifaceret.[18]

Tanquam sapiens medicus agit cum discipulis, ut eos ab incredulitate curet,

Gerit se Christus cum his tanquam sapiens medicus, qui curare volens aliquem, qui potato sumptoque veneno infectus est, videns quod remediabile malum est et non est desperata salus, quoniam venenum non est diffusum per corpus, agente calore et per arterias venasque diffundente, sed adhuc veluti integrum manet in stomacho, propinat ei oleum et huiuscemodi alia, quae provocant ad vomitum, ut infirmus evomat venenum. Sic Christus hodie agit hisce discipulis suis veneno incredulitatis infectis: propinat oleum placidae mansuetudinis, nam: *Appropinquans ibat cum illis.*[19] Cum autem sermones suos prosequerentur, tunc interrogavit: *Qui sunt hi sermones*[20] et cur tristes estis? Mirantur illi quod ignoret peregrinus factum de quo loquebantur: *Tu solus*, inquiunt, *peregrinus es*, etc. Es ne tu homo alterius mundi? Factum tam publicum tu solus ignoras, tu solus ex omnibus peregrinis, qui pro festivitate paschali ex praecepto legis venerunt Ierosolymam, *non cognovisti quae facta sunt in ea his diebus ?*[21]

sed multa utitur prudentia, fingit se ignorare;

At Christus adhuc ignorantiam vel nescientiam simulans ait: Quaenam facta sunt? Videtur oblitus Dominus passionis et mortis suae, quasi somnium fuerit eius passio, cuius facile homo obliviscitur. Sicut Nabuchodonosor oblitus fuit somnii statuae quam vidit a lapide ad pedes percussam atque contritam,[22] sic Christus, veluti oblitus omnium quae contra ipsum facta fuerant, dicit: *Quae?*

non enim credebant Deum esse quem viderant in cruce mortuum, sed aliquem prophetam;

Et ecce, propinato hoc oleo, evomunt venenum, dicunt: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta*, etc.; *nos autem sperabamus,*[23] etc.: ecce venenum incredulitatis. Non dicunt: De Iesu Nazareno, qui fuit Messias, Filius Dei, redemptor et salvator mundi, verus Deus; sed quoniam mors crucis Deo indigna et impossibilis videbatur eis, propterea hominem dicunt, non Deum. Quoniam vero miracula Christi divinitatem ac superhumanam virtutem testabantur, non

17) Lc 24, 32. 18) Cf. 1 Cor 9, 19-23. 19) Lc 24, 15. 20) Ibid. vr. 17.
21) Ibid. vr. 18. Vulg.: *In illa his diebus.* 22) Cf. Dn 2, 1. 23) Lc 24, 19-31.

tamen propterea Deum eum credebant, sed prophetam magnum. Etiam Prophetae, Moyses, Elias, Eliseus et alii similia miracula divina virtute fecerunt. Hinc aiunt: *Qui fuit vir propheta*, etc.; *nos autem sperabamus*, sed spe frustrati et delusi sumus redemptionis Israel.

Ideo Christus cum eis praedicatoris personam induit arguens illorum incredulitatem ut ostendat veritatem;

Cum autem, potato oleo propinato a Christo, evomuissent venenum, tunc Christus adhibet acrem medicinam ad purgandas veneni reliquias: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae! Nonne . . . oportuit pati Christum* et resurgere a mortuis *et ita intrare in gloriam suam?* [24] Gessit se hodie Christus cum his discipulis sicut Nathan cum David: prius enim parabolam proponens dulciter locutus fuit, sed postea, cum gravitatem delicti suomet ore David confessus esset, acriter increpavit. [25] Sic Christus hodie praedicatoris induit personam, arguit vitia et ostendit veritatem: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae! Nonne*, etc.

sic prius se praebet socium, deinde arguit, postea docet et tandem miraculum operatur.

Cum misit Deus Ieremiam ad praedicandum, iussit ut prius destrueret ac eradicaret, et postea ut aedificaret et plantaret. [26] Et Christus vocavit Apostolos prius *sal terrae* et postea *lucem* [27] *mundi.* [28] Sal urit, sic correptio et increpatio; lumen autem oculis voluptatem affert, sic veritas intellectui. Lumen cibus est oculorum, veritas panis intellectus suavissimus. Christus igitur ad persuadendam veritatem et fidem resurrectionis suae duobus hisce discipulis, prius se praebet eis socium et amicum ex caritate, deinde arguit eos, tertio docet aperiendo Divinas Scripturas et quarto divinum operatur miraculum *in fractione panis.*

Taliter etiam egerunt Apostoli in conversione mundi.

Sic mundo veritas fidei persuadenda erat et tandem credenda convertendusque erat mundus ad fidem Christi et Dei. Et sic factum est per Apostolos qui, accepto Spiritu Sancto, pleni divina caritate, flagrantes ardentissimo desiderio salutis animarum, vere se peregrinos in hoc mundo exhibuerunt et omnibus omnia facti sunt ut omnes lucrifacerent. [29] Deinde, *in spiritu lenitatis* [30] et mansuetudinis, in vera misericordia mundi vitia increpare coeperunt infundentes oleum et vinum cum samaritano in plagas mundi sauciati ad mor-

24) Ibid., vrr. 25-26. 25) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 26) Cf. Ier 1, 10. 27) Ms.: *Lux.*
28) Mt 5, 13-14. 29) Cf. 1 Cor 9, 19-22. 30) Gal 6, 1.

tem.[31] Tertio, veritatem aperiendo et demonstrando ac comprobando ex oraculis Prophetarum. Quarto tandem, miraculis divina virtute factis ad confirmandam fidei veritatem divinis testimoniis, sicut veritas regalium litterarum sigillis regiis confirmatur.

Sic ostendit Christus veritatem resurrectionis suae.

Sic igitur hodie quattuor hisce mediis persuasit veritatem resurrectionis suae duobus hisce discipulis, praecipue vero doctrina Legis et Prophetarum miraculoque fractionis panis, siquidem *in fractione panis*, post doctrinam, est agnitus, sicut iuxta mensam propositionis in templo Dei erat candelabrum aureum, quod lumen sanctuario praebebat.[32]

Necessarium fuit Christum pati, non simpliciter sed secundum determinationem divinae voluntatis.

IV. Ex Lege autem et Prophetis duo ostendit Christus: necessitatem mortis suae et resurrectionis: *Nonne haec oportuit pati Christum* et resurgere a mortuis *et ita intrare in gloriam suam?*

Necessarium fuit Christum pati, non simpliciter sed secundum determinationem divinae voluntatis, quoniam sic ab aeterno praeordinatum statutumque fuit necessarium, ut hoc sacrificio expiarentur peccata mundi, ut esset remedium salutis humanae tanquam serpens in deserto exaltatus,[33] ut esset aequivalens pretium redemptionis humanae; necessarium, ut implerentur Scripturae Prophetarum;[34] necessarium item, ut resurgeret iuxta promissum Patris, et quoniam sic praeordinatum fuit, sic etiam praedictum a Prophetis; necessarium, ut Christus reciperet praemium laborum suorum, et tandem quia hoc miraculo confirmanda erat fides ipsius, quod verus esset Messias. Hoc enim est Ionae miraculum,[35] hoc templum reaedificatum.[36] Nihil enim profuisset ipsius incarnatio, nativitas, vita, passio et mors, nisi a mortuis surrexisset.

Post resurrectionem Christus apparet hodie sub specie peregrini.

V. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti quae facta sunt in ea his diebus?... De Iesu Nazareno, qui fuit*, etc. Mirabilis peregrinus ostenditur hodie Salvator in Evangelio. Post resurrectionem suam Christus Magdalenae apparuit in persona hortulani,[37] discipulis in litore maris Galilaeae piscantibus in persona merca-

31) Cf. Lc 10, 30-34. 32) Cf. Ex 25, 30-37; 36, 10-23; 40, 20-23. 33) Cf. Nm 20, 8-9; Io 3, 14. 34) Cf. Mt 26, 54. 35) Cf. ibid. 12, 40; Lc 11, 30. 36) Cf. Io 2, 19. 37) Cf. ibid. 20, 14-16.

toris pisces emere volentis: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* [38] Hodie autem discipulis his in persona peregrini: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?*

Deus creaverat hominem ut esset in terra peregrinus, hortulanus et mercator, sed contra accidit:

Creavit Deus hominem ut esset in terra peregrinus, civis autem patriae coelestis; ut esset hortulanus: *Tulit... Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis:* בְּגַן־עֵדֶן, *in horto Eden, ut operaretur et custodiret illum;* [39] et tandem ut esset mercator, ut terrenas divitias in coelum transferret. Hinc magnum ei gratiae thesaurum dedit, sed arte diaboli deceptus, [40] homo fieri voluit civis terrenus, paradisi hortum minime coluit nec custodivit, mercator factus est imprudens et stultus, amisit totum capitale quod a Deo acceperat. Venit Christus mercator coelestis, ut terrenas divitias, aurum, argentum, lapides pretiosos omnis generis, in coelum transferret. Ipse mercator est quaerens bonas margaritas, qui thesaurum invenit absconditum in agro, venditisque omnibus, agrum illum emit; [41] ipse hortulanus instar Ieremiae, quem misit Deus ad evellendum et plantandum: venit in mundum ad evellendas plantas vitiorum et plantandas arbores virtutum, ita ut sicut Adam fecit mundum ex paradiso silvam desertumque incultissimum, sic Christus ex silva ac saltu faceret paradisum deliciarum Dei. Hanc ob causam voluit esse peregrinus in terra apparuitque in forma pauperis et humilis peregrini.

venit ergo Christus tanquam mercator, hortulanus et peregrinus pauper et humilis,

sola pietate motus, ut animas lucraretur.

Variis de causis multi peregrinantur: hi quidem pietatis ergo, ut Helena Constantini mater Ierosolymam petiit; [42] alii scientiae causa, ut Plato multas peragravit provincias et regiones, ut a summis philosophis sapientiam disceret; [43] alii ad disseminandam doctrinam, sic Pythagoras, relicta Graecia, in Italiam venit; [44] alii quadam curiositate moti ad videndum mundum; alii honoris causa, ut legati

38) Ibid. 21, 5. 39) Gn 2, 15. Ms.: *Began Eden.* 40) Cf. Gn 3, 1-6. 41) Cf. Mt 13, 44. 42) Cf. Eusebius Caesar. *De Vita Constantini*, lib. 3, cp. 42, (P. G. 20, 1102); Socrates *Hist. Eccles.*, lib. 1, cp. 17, ibid. 67, 118; Sozomenus *Hist. Eccles.*, lib. 2. cp. 1, ibid. col. 930-934; Theodoretus *Hist. Eccles.*, lib. 1. cp. 19, ibid. 82, 962-963; S. Ambrosius *De Obitu Theodosii Oratio*, (P. L. 16, 1400-1402). 43) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 4, cp. 2, (P. L. 6, 451-452); Cicero *De Finibus*, lib. 5, vol. 4, col. 161-162; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 348v; Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 3, pag. 118; lib. 8, pag. 328-329. 44) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 329. 341; Sabellicus *Historiae Enneadum*, lib. 7, col 349; *Viaggi di Pitagora* per totum (duodecim tomi).

a principibus missi, ut praefecti a rege destinati ad regendas provincias gubernandasque civitates, ut duces et milites, equites peditesque ad debellandos inimicos; tandem alii ad divitias acquirendas, uti nunc multi in Indias iter instituunt, ut auro gemmisque onusti redeant ditissimique fiant; quamvis etiam multi ad fugiendas persecutiones peregrinentur a patria, ut Iacob, [45] ut David, [46] ut Elias. [47] Abraham pietatis causa peregrinus factus fuit, iussus a Deo egredi de terra sua et domo patris sui; [48] Christus autem peregrinatus est pietatis causa missus a Patre in mundum, venit ut mercator ad acquirendas divitias, sed spirituales, ad lucra animarum quaerenda. Non instituit Dominus hodiernam peregrinationem, nisi ob salutem horum discipulorum, qui erant tanquam oves quae perierant, oves errantes, [49] ut eas ad ovile suum locumque salutis reduceret. Sic pastor vadit quaerens pereuntem ovem, dimissis nonaginta novem in deserto. [50] Haec est praecipua causa peregrinationis Christi, quia non ob aliud venit in mundum.

Singularis peregrinus Christus est: in sinu Patris, in mundo archetypo, et in mundo naturae, gratiae et gloriae.

VI. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem ?* Singularis peregrinus est Christus in sinu Patris; differt enim a Patre, quia genitus; differt a Spiritu Sancto, quia producens productus est, Spiritus autem Sanctus solum productus; differt a Patre et Spiritu Sancto simul, quia solus ipse humanatus. Peregrinus singularis in mundo archetypo, quia solus *praedestinatus est Filius Dei ;* [51] in mundo universali et naturali, quia solus creatura et creator; in mundo gratiae, in Ecclesia, quia solus sanctus et sanctificator; in mundo gloriae, quia solus beatus et beatificator: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.*

Mirabilis peregrinus in mundo, adeo exaltatus a Deo ut oblitus videatur passionum suarum;

Mirabilis peregrinus in mundo, sicut Ioseph in Aegypto factus ob sapientiam princeps et salvator mundi, [52] a Deo adeo sublimatus, ut oblitus fuerit omnium afflictionum quas antea passus fuerat. Sic Christus oblitus videtur hodie passionum suarum; hinc cum discipuli loquerentur de mysteriis passionis et mortis ipsius, ait: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes et estis tristes?* [53] Oblitus est omnium passionum propter superabundantem gloriae laetitiam;

45) Cf. Gn 27, 42 sqq. 46) Cf. 1 Rg 20, 1; 22, 1; 2 Rg 15, 14. 47) Cf. 3 Rg 19, 3. 48) Cf. Gn 12, 1. 49) Cf. Ps 118, 176. 50) Cf. Mt 18, 12; Lc 15, 4. 51) Rom 1, 4. 52) Cf. Gn 41, 37-41. 53) Lc 24, 17.

veluti si pauper praelatus Romam veniens, sede vacante, ex insperato Summus Pontifex crearetur et totius Ecclesiae summus constitueretur hierarcha, tanta perfunderetur laetitia ob talem assumptionem ut, licet maximis cum laboribus et passionibus Romam ierit, omnium statim obliviscatur. *Tu solus peregrinus*, unicus sol, unica in mundo phoenix. [54]

Ostenditur autem mirabilis peregrinus, dum dicitur *Iesus Nazarenus, qui fuit vir propheta, potens in opere*, idest miraculis, *et sermone*, idest sapientia et scientia praedicando Evangelium, *coram Deo* in coelo, *et omni populo* in terra; mirabilis divina sapientia, quoniam *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis* omnes *Scripturas, quae de ipso erant;* mirabilis, quia omnes fere Scripturae, nonnisi de Christo loquuntur: *Finis . . . legis Christus ad iustitiam omni credenti;* [55] *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* [56] Mirabilis peregrinus, quoniam rex est paradisi: *Rex regum et Dominus dominantium,* [57] sed mutato habitu. Cum cognovissent duo hi discipuli Christum *in fractione panis*, forte plagas in Christi manibus videntes, reversi sunt in Ierusalem ad condiscipulos [58] maxima cum laetitia, ac si magnum reperiissent infinitumque thesaurum.

mirabilis peregrinus in miraculis, in sapientia, in vaticiniis de eo factis,

et quoniam rex est paradisi.

54) Alludit ad notum proverbium: « Phoenice rarior », a fabula phoenicis avis. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 949. 55) Rom 10, 4. 56) Act 10, 43. 57) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 58) Cf. Lc 24, 33.

FERIA TERTIA PASCHAE

Hodie Christus, ad Ecclesiam suam revertitur, a qua per mortem discesserat, eamque pacifice salutat.

I. Sicut nauclerus optimus, navi conscensa, solvens a portu, extractis anchoris, datis flatibus velis, relicta patria carisque omnibus, ductus spe praemii incipit sequiturque navigationem suam, nunc per alta maria sulcans undas indomiti aequoris superbique elementi sese mille periculis exponens, nunc placido mari veluti marmora findens iuxta litora navigans, cum tandem, favente Deo, periculis omnibus superatis, peracto iam navigationis cursu, appropinquans ad optatissimum portum bellicis tormentis in pacis et amicitiae signum salutat arcem velisque collectis portum ingreditur fundansque anchoras optata fruitur quiete magno cum navigationis lucro; sic Christus, completo humanae redemptionis opere, peracta navigatione sua in magno et spatioso mari huius mundi, nunc secunda nunc adversa fortuna, optatum Sanctae Ecclesiae portum, a quo per passionem et mortem discesserat, per redivivam resurrectionem hodie iterum ingreditur pacifice salutans ibique quiescens: *Venit Iesus et stetit in medio* discipulorum suorum *et dixit eis: Pax vobis.* [1] Nos etiam hodie, completa praedicationis nostrae navigatione, optatae quietis portum ingrediemur.

Stetit Iesus in medio discipulorum et dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere, etc. [2]

Magnum fuit opus creationis,

II. Sicut Deus, completo mundanae creationis opere, quievit die septimo ab universo opere sabbatumque sanctificavit, [3] sic Chri-

1) Io 20, 19-20. 2) Pericope huius diei Lc 24, 36-47. Vulg.: *Et dicit*, etc. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Gn 2, 1-3.

sed multo maius opus recreationis.

stus, completo mundanae recreationis opificio, hodie ab universo labore quiescit; hoc est: *Stetit Iesus.* Magnum fuit opus creationis mundi, in quo Deus infinitos thesauros expendit potentiae, sapientiae et bonitatis suae; sed multo maius opus recreationis. Siquidem mundus iste propter hominem factus fuit, ut hominis apta habitatio esset; mundus factus fuit solo Dei imperio,[4] homo Sanctissimae Trinitatis consilio: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et praesit piscibus maris,* etc.;[5] מָה־אֱנוֹשׁ כִּי־תִזְכְּרֶנּוּ וּבֶן־אָדָם כִּי תִפְקְדֶנּוּ׃ וַתְּחַסְּרֵהוּ מְּעַט מֵאֱלֹהִים וְכָבוֹד וְהָדָר תְּעַטְּרֵהוּ׃ תַּמְשִׁילֵהוּ בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ כֹּל שַׁתָּה תַחַת־רַגְלָיו׃[6] *Minuisti eum paulo minus a Deo* eique tanquam domino omnia subiecit.[7]

Mundus factus fuit solo Dei imperio, homo autem SS. Trinitatis consilio,

Homo parvus est mundus;[8] sed quo minor est quantitate molis, eo maior est magnitudine virtutis. Sol minor est coelo, sed maior est virtus solis quam totius coeli cum omnibus aliis astris. Lapis pretiosus, pyropus, adamas, multo pretiosior est alia quavis magna petra, imo magno cumulo monteque petrarum. Mundus hic magnus est veluti magnum quoddam horologium ex ferro aereque factum, sed homo parvum horologium est ex argento et auro daedalica arte laboratum, qualia sunt quae magni principes vel secum deferunt, vel in proprio cubiculo tenent, quae quidem maximi summique valoris esse solent. Hinc Deus, qui in mundo hoc magno nobilioribus semper ignobiliora subiecit, terram coelo, lunam soli, subiciens omnia homini, ostendit hominem suapte natura multo praestantioris esse substantiae toto hoc magno mundo: *Faci mus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et praesit;* ideo praeest omnibus, quia *ad imaginem et similitudinem* Dei conditus est.

super omnes creaturas constitutus,

immortalitate, sanctitate et felicitate donatus, ut esset simillimus Deo.

Cum enim Deus suapte natura aeternus sit, solus habens immortalitatem,[9] hominem etiam immortalem condidit. Cum item Deus spiritus sanctissimus sit, unde Seraphim canunt ei trisagium dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus . . . exercituum,*[10] hominem etiam sanctum condidit, Spiritu Sancto plenum. Et tandem, cum Deus

4) Cf. Ps 32, 9; 148, 5. 5) Gn 1, 26. 6) Ms.: *Mach enosch chi tizcherenu uben Adam chi tiphchedenu vattehasserehu mehatt meelohim vekabod vehadar tehatterehu tamscileu bemahasseh iadecha col scathah tahath reglau.* 7) Ps 8, 5-7. 8) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis,* pag. 282, not. 13. 9) Cf. 1 Tim 6, 16. 10) Is 6, 3.

suapte natura felicissimus et beatissimus sit, sicut sol lucidissimus et ignis calidissimus, hominem etiam felicitate donavit: *Tulit enim Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis.* [10*] Sic Deo simillimus erat homo.

Sed per peccatum omnia amisit, ideo venit Christus et quod creaverat reformavit.

At vero per peccatum amisit immortalitatem carnis, sanctitatem spiritus et vitae perpetuam in paradiso felicitatem. Venit Christus ad mundum hunc collapsum reparandum, et quem mirabiliter condidit, mirabilius voluit recreare, expendens non solum thesauros potentiae, sapientiae et bonitatis suae, sed etiam iustitiae, misericordiae et caritatis omnemque divinitatis suae plenitudinem. Venit Christus et ad hominem reformandum tria praecipue egit: unum quoad carnem, alterum quoad spiritum et tertium quoad utriusque substantiae felicitatem.

quoad carnem et quoad spiritum et quoad utriusque substantiae felicitatem.

Quoad carnem sanavit infirmos [11] mortuosque suscitavit; [12] quoad spiritum daemonia eiciebat divina virtute, [13] cum autem peccatricem iustificavit septem daemonia eiecisse ab ea dicitur, [14] Sacramenta instituit, ubi dimittuntur peccata et datur gratia Spiritus Sancti; quoad utrunque praedicavit gloriam regni coelestis aeternamque paradisi felicitatem, quam in transfiguratione sua ostendit [15] et latroni in cruce misericorditer dedit dicens: *Hodie mecum eris in paradiso.* [16]

Opus hoc in incarnatione incepit, prosecutus fuit in passione, perfecit in resurrectione dans pacem et perfectam felicitatem.

Incepit Christus hoc opus in sua incarnatione, prosecutus fuit usque ad suam passionem, complevit in sua resurrectione. Hinc *stetit... et dixit: Pax vobis:* שָׁלוֹם לָכֶם; שָׁלוֹם [17] autem Hebraeis non tantum p a c e m, verum etiam p e r f e c t i o n e m significat et integritatem, hinc stans *in medio* [18] ostendit veritatem resurrectionis carnis et corporis sui. Quoad primum dat Spiritum Sanctum, dum insufflat in discipulos et dicit: *Accipite Spiritum Sanctum;* [19] quoad secundum et quoad tertium comedit partem piscis assi et favum mellis dulcissimi, [20] per quod perfecta felicitas designatur, unde terra promissionis dicitur *fluens lac et mel.* [21] Hinc de coelo pluit Deus electis

10*) Gn 2, 15. 11) Cf. Mt 8, 17; 9, 35; 12, 15; 14, 14; 15, 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 12) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11; Io, 11-41-44. 13) Cf. Mt 9, 32-33; 12, 22; Mc 1, 23-34; 2, 1-12; Lc 4, 41; 8, 27-39. 14) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 15) Cf. Mt 17, 2-5; Mc 9, 1-16; Lc 9, 29-35. 16) Lc 23, 43.
17) Ms.: *Scalom lachem, scalom.* 18) Alludere videtur ad notum axioma: In medio stat virtus, seu perfectio, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 226. 19) Io 20, 22. 20) Cf. Lc 24, 42-43. 21) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 16, 14; Bar 1, 20; Ez 20, 6. 15.

suis dulcissimum manna in deserto,[22] ad significandum quod Beati in coelo dulcissimis ac suavissimis deliciis semper in beatissima felicitate perfruuntur.

III. Ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium fructum passionis et mortis Christi: *Pax vobis.* Hanc Angeli in Christi nativitate promiserunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*[23] Designat autem haec pax triplicem perfectionem: naturae, gratiae et gloriae. In resurrectione autem perfectam hanc consequemur pacem omnemque perfectionem. Columba Christus est hodie quae in arcam reversa est ramum olivae ferens in ore;[24] oliva autem pacis hieroglyphicum est et columba Christum designat, de quo R e g i u s V a t e s: *Pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri;*[25] sic Christus praefiguratus fuit in Iona,[26] qui c o l u m b a interpretatur. Reversio autem columbae in arcam exitus est Ionae de ventre ceti.[27] Pura autem haec columba, ad cuius puritatem designandam Spiritus Sanctus super eum in specie columbae descendit,[28] dum in arcam revertitur in ore portat *ramum olivae virentibus foliis:*[29] *Pax vobis.*

Pax quam Christus dat, fructus est passionis et mortis eius;

Sicut autem dicente Deo: *Fiat lux,* statim facta fuit lux,[30] sic dicente Christo: *Pax vobis,* statim facta est pax divinae gratiae in cordibus discipulorum Christi, quibus ipse dixit: *Pax vobis;* lux etenim pacis symbolum est: *Ego* Deus *creans lucem* et *faciens pacem.*[31] At vero, quia sine fide haec pax haberi et possideri nullo modo potest, ideo Christus hodie *increpavit incredulitatem* discipulorum *et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.*[32] Et multis rationibus hodie probavit Christus fidem et veritatem suae resurrectionis. Primo quidem sensu visus, dum se videndum exhibuit: *Videte manus meas et pedes meos quia ego ipse sum.*[33] Secundo, sensu tactus: *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*[34] Tertio, sensu gustus: *Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mel-*

sed quia pax sine fide haberi non potest, Christus probat discipulis veritatem resurrectionis suae.

se exhibendo eorum sensibus et Scripturarum testimonia afferendo

22) Cf. Ex 16, 13 sqq. 23) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis Deo,* etc. *In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae. 24) Cf. Gn 8, 10-11. 25) Ps 67, 14. 26) Cf. Mt 12, 39-41; 16, 4; Lc 11, 29-32. 27) Cf. Ion 2, 1 sqq. 28) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 9-10; Lc 3, 21-22. 29) Gn 8, 10-11. 30) Gn 1, 3. 31) Is 45, 7. Vulg.: *Formans lucem,* etc. 32) Mc 16, 14. Vulg.: *Iis qui . . . non crediderunt.* 33) Lc 24, 39. 34) Ibid.

lis. [35] Quarto, Divinarum Scripturarum testimoniis: *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quia sic scriptum est et sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis... et praedicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes.* [36]

quia veritas resurrectionis basis et fundamentum est fidei;

Nec immerito Christus tantopere studuit multis argumentis probare veritatem suae resurrectionis, et propterea quadraginta diebus mansit in mundo hoc, postquam surrexit a mortuis, [37] quoniam veritas resurrectionis basis et fundamentum est fidei. Hinc Paulus ait: *Si... Christus non resurrexit, inanis est... praedicatio nostra, inanis est et fides vestra;* [38] et iterum: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* [39]

continet enim omnes huius fidei articulos.

Est etiam articulus iste demonstratio omnium fere aliorum articulorum fidei. Nam si Christus resurrexit a mortuis seipsumque suscitavit, ergo Deus est et homo, non enim potuisset suscitare seipsum nisi Deus esset, nec suscitari nisi homo esset; si resurrexit, ergo mortuus est, ergo passus est, ergo natus est, ergo incarnatus est, ergo Filius Dei est, Verbum Dei, mundi creator; si resurrexit ad vitam immortalem et beatam, ergo ascendit in coelum, ergo sedet ad dexteram Dei, ergo iudex est mundi huius, vivus et verus Deus.

spem praemii nutrit et caritatem accendit.

Sic veritas resurrectionis Christi basis est et fundamentum fidei et religionis, quoniam in Christi resurrectione elucet praemium virtutis divinique servitii. Praemium autem nutrit spem, adauget desiderium, accendit caritatem: *Si* enim *in hac vita tantum in Christo sperantes essemus, omnibus hominibus miserabiliores sumus.* [40]

Per Christum restituta nobis fuit perfectio multo maior ea quam per peccatum Adae amisimus;

IV. Secundum Ioannem non semel, sed bis dixit Christus: *Pax vobis,* nam ait: *Iterum dixit eis: Pax vobis,* [41] quoniam per peccatum quidem Adami amisimus pacem et perfectionem, non quidem parvam, sed magnam; at per Christum multo maior restituta nobis est perfectio. Hoc quod Apostolus *ad Romanos* ait: *Non sicut delictum ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures*

35) Ibid. vrr. 41-42. 36) Ibid. vrr. 46-47. Vulg.: *Quoniam sic scriptum,* etc. 37) Cf. Act 1, 3. 38) 1 Cor 15, 14. 39) Ibid. vr. 17. 40) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Sperantes sumus, miserabiliores sumus,* etc. 41) 20, 19-21. Vulg.: *Dixit ergo eis iterum.*

abundavit... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.[42] Loquitur Apostolus de demerito peccati Adami et de merito gratiae Christi. Illud, inquit, meruit omnibus hominibus mortem, sed ista omnibus hominibus vitam. Sed multo maius, inquit, est quod per Christi gratiam acquisivimus, quam quod per Adami peccatum amisimus.

Nam per Adami quidem peccatum amisimus vitam perpetuam quidem et immortalem, sed passibilem, nam egebat tunc Adam cibo et potu, quare poterat mori; sed per Christi gratiam acquisivimus vitam omnino impassibilem, immortalem et aeternam, non in terra cum animalibus, sed in coelo cum Angelis. Per Adami peccatum amisimus felicitatem paradisi, sed terrestris; per Christi gratiam acquisivimus felicitatem paradisi coelestis, ubi *fulgebunt* omnes *iusti sicut sol in regno* Dei.[43] Per peccatum Adami amisimus gratiam Spiritus Sancti, sed per Christi gratiam acquisivimus non tantum gratiam Spiritus Sancti, sed etiam ipsummet Spiritum Sanctum.

nam per Christum acquisivimus vitam aeternam, felicitatem coelestem, gratiam et ipsum Spiritum Sanctum.

Hinc hodie Christus non tantum dat gratiam Spiritus Sancti sub nomine pacis, sed etiam dat ipsum Spiritum Sanctum; nam *insufflavit et dixit... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis;*[44] quae profecto divina potestas est, nam: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*[45] Insufflando hodie Christus dat Spiritum Sanctum, sicut Deus insufflando in hominem *spiraculum vitae*[46] dedit ei carnis immortalitatem, spiritus sanctitatem et vitae felicitatem. Sic Christus ad insinuandum quod tria haec nobis per mortem et crucem suam meruit et resurgendo restituit, hodie insufflando dicit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Hoc igitur significat pacis duplicatio: *Pax vobis;* et *iterum dixit eis: Pax vobis.*

quem Christus insufflando dedit, sicut Deus insufflando dederat homini immortalitatem, sanctitatem et felicitatem.

Designat etiam Christus sic dicendo quod per passionem et crucem suam non sibi meruit, sed nobis. Sibi enim non potuit mereri gratiam, quoniam a primo instanti conceptionis suae plenus fuit gratia infinita: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis;*[47]

Per passionem suam Christus nobis non sibi meruit gratiam et gloriam.

42) 5, 15-18. 43) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt*, etc. 44) Io 20, 22-23.
45) Lc 5, 21. 46) Gn 2, 7. 47) Io 1, 14.

non gloriam, quoniam similiter semper fuit beatus: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre ;* [48] gloria autem animae communicatur corpori, sicut lumen ardens intra lanternam vitream aut crystallinam communicatur etiam ipsi lanternae; quare debuit Christus semper apparere sicut visus fuit in gloriosa transfiguratione [49] fuitque magnum potentiae divinae miraculum quod Christus non sic semper apparuit, sed mansit sicut sol nube tectus; sic enim ait Deus: *Solem nube tegam.* [50] Christus igitur non sibi meruit patiendo et moriendo, sed nobis, ideo ait: *Pax vobis... pax vobis :* vobis pacem omnemque perfectionem merui et acquisivi.

Ostendens manus, pedes et latus vult ut consideremus infinitam caritatem Cordis sui, divina beneficia nobis collata et passiones pro nobis latas.

V. Quoniam vero pax ista omne bonum significat, ideo simpliciter ait: *Nolite timere.* Nam profecto non timemus nisi mala; ubi autem omne bonum, ibi nullum penitus malum quod timeatur. Dicens autem Christus: *Pax vobis: ego sum, nolite timere, ostendit eis manus et pedes et latus,* [51] corporis sui cicatrices et vulnera, quae propter nos in cruce sustinuit, quasi dicat: Plagis hisce merui vobis pacem hanc omneque bonum; latus autem apertum ostendit, ut videretur Cor infinitaque caritas erga nos; manus vero, ut consideremus opera divinaque beneficia, et pedes, ut passiones quas propter nos pertulit contemplemur. Sic ponit Christus seipsum ante oculos nostros admirandum spectaculum, sicut Iacob ponebat virgas diversicolores ante oves suas, ut similes agnos conciperent parerentque; [52] ostendit enim eis Christus signa passionis et gloriam resurrectionis, quae mirabilis est varietas.

Dicitur stetisse, ad insinuandum veram pacem in coelo esse quaerendam.

Non vacat tamen mysterio quod Christus stetisse dicitur in medio discipulorum, non sedisse aut quievisse, profecto ad insinuandum quod non erat in hoc saeculo corporali praesentia permansurus in terra, sed ascensurus in coelum, quoniam corpus beatum ex terrena in igneam quodammodo naturam conversum est, ignis autem locus non terra, sed sursum in coelo est; simulque insinuat quod perfecta haec pax quaerenda nobis est in coelo, non in terra.

Stetit in medio discipulorum suorum: sicut arca in medio cherubim auro induta interius exteriusque, [53] sic Christus stetit anima et

48) Ibid. 49) Cf. Mt 17, 2-5; Mc 9, 2-7; Lc 9, 29-35. 50) Ez 32, 7. 51) Lc 24, 40; Io 20, 20. 52) Cf. Gn 30, 37-40. 53) Cf. Ex 25 10-11; 37, 1.

corpore beatus. Nam sicut virga Aaron, quae ibi in arca erat, [54] magno miraculo sicca refloruit, [55] sic Christi caro; et sicut manna suapte natura corruptibile ibi incorruptum perpetuo servabatur,[56] sic Christi caro immortalitate donata est.

Stetit anima et corpore beatus.

Stetit in medio discipulorum suorum: sicut sol in coelo in medio astrorum omnibus lucem suam communicans, sic Christus omnibus discipulis dicit: *Pax vobis ;* pax enim ista radius est huius nostri divini solis, nam ipse est p a c i f i c u s Salomon: [57] *Princeps pacis ... et pacis* eius *non erit finis.* [58]

In medio discipulorum communicans eis pacem.

VI. Summus pontifex Legis Antiquae vestimento gloriae indutus portabat in fimbriis vestimenti tintinnabula aurea et malogranata sive mala punica. [59] Pacis autem elegantissimum hieroglyphicum est malogranatum, nec potest civitas vel respublica optime disposita et in pace constituta convenientiori metaphora significari, quam si malogranato comparetur, in quo intra unum corticem innumera grana optimo ordine sunt disposita suo unumquodque loco, in quo etiam sunt divisiones et interstitia, sed tamen ita ut nulla sit pugna, nulla dissensio aut confusio. Sic in una civitate magnus est populus, innumera multitudo, diversae familiae, status, gradus fortunae et conditiones personarum; at si patria caritate familiae omnes in pace constitutae sint, vere est civitas, c i v i u m u n i t a s, unumque faciunt malogranatum. Aurea autem tintinnabula praedicationem designant.

Pax omnia in republica optimo ordine conciliat.

Cum autem viderimus Iesum sacerdotem magnum in passione sordido vestimento indutum, [60] hodie videmus eum vestimentis gloriae ornatum audimusque sonitum aureorum tintinnabulorum, pacis et unionis praedicationem, ut Sancta Ecclesia totaque christiana respublica sit veluti malogranatum per veram fidelium pacem, unionem et caritatem, ut sit fidelium omnium *cor unum et anima una.* [61]

Omnes fideles debent esse cor unum et anima una.

54) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 55) Cf. Nm 17, 8. 56) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 57) Sic enim *Salomon* latine interpretatur. 58) Is 9, 6-7. 59) Cf. Ex 28, 33-34; 39, 22-24. 60) Cf. Zach 3, 3. 61) Act 4, 32.

II. ALIA HOMILIA

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum *et dixit eis : Pax vobis: ego sum, nolite timere,* etc. [1]

Describuntur omnes circumstantiae quintae huius apparitionis Domini resuscitati.

I. Divinae huius apparitionis, quae in die resurrectionis dominicae quinto loco facta fuit – nam primo Christus Mariae Magdalenae apparuit, [2] secundo mulieribus aliis, [3] tertio Petro, [4] quarto duobus discipulis euntibus in Emmaus, [5] et quinto omnibus discipulis simul congregatis, solo absente Thoma, [6] – Divus Ioannes describit tempus, locum, modum, personas quibus apparuit et ad quid apparuit effectumque huius apparitionis. Ait enim: *Cum ... sero esset die illo :* ecce tempus; *et fores essent clausae:* ecce locus; *erant* omnes *discipuli congregati :* ecce personae; *venit Iesus* ianuis clausis: ecce modus; *et dixit eis : Pax vobis :* ecce finis; *gavisi sunt ... discipuli, viso Domino:* [7] ecce fructus apparitionis.

dantur etiam documenta ut pacem a Christo hodie datam consequamur.

Non est autem animus haec prosequi, sed ad aedificationem nostram ex sacrosancto isto Evangelio documenta nonnulla caritati vestrae proponere ad mores componendos, ita ut vita nostra sic rite composita placeat Deo et in fine pacem hanc, quam Christus hodie toti nunciavit Ecclesiae, consequi mereamur.

Ad sancte vivendum cogitare debemus Deum in medio nostri semper esse ubique praesentem ut nos adiuvet gratia sua.

II. Primum autem est: *Stetit Iesus in medio discipulorum* suorum; *Medius ... vestri stat quem vos nescitis.* [8] O utinam, fratres, nos id intelligeremus, quod Christus semper stat in medio nostri! Id enim tantum sufficeret ut semper christiano nomine dignam duceremus vitam. Dixit Deus Abrahamo: *Ambula coram me et esto perfectus ;* [9] secundum autem Veritatem Hebraicam: *Ambula ante faciem meam et eris perfectus.* Haec fuit vita Sanctorum omnium, semper coram Deo praesentes esse. Sic dixit Elias: *Deus ... in cuius conspectu sto;* [10] sic etiam Eliseus. [11] Si Deum, fratres, praesentem

1) Lc 24, 36. Vulg.: *Et dicit*, etc. Ex Missali Rom. hac Feria. 2) Cf. Mc 16, 9; Io 20, 11-16. 3) Cf. Mt 28, 1-9. 4) Cf. Lc 24, 34. 5) Cf. ibid. vrr. 13-31. 6) Cf. Io 20, 19-24. 7) Ibid. vrr. 19-20. 8) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Vestrum stetit quem*, etc. 9) Gn 17, 1. 10) 3 Rg 17, 1. 11) Cf. 4 Rg 3, 14.

ante oculos mentis nostrae haberemus Deumque ubique praesentem semper esse cogitaremus, non possemus non abstinere ab omni peccato et sanctam vitam ducere: *Stetit Iesus in medio discipulorum* suorum. Nos quidem absentem Deum esse putamus, sed semper praesens est videtque quid agamus et quid loquamur audit: *Stetit in medio* semper praesens ad adiuvandum nos, ad dandum nobis gratiam suam, ad liberandum nos ab omnibus malis: *Pax vobis: ego sum, nolite timere.* Neque enim ovibus timendus est lupus cum bonus pastor est praesens.

III. *Pax vobis: ego sum, nolite timere.* Quattuor ob rationes Christus dicit hodie Apostolis: *Pax vobis.* Prima est ad sedandum timorem, ideo subiungit: *Nolite timere,* nam *conturbati... et conterriti existimabant se spiritum videre.*[12] Ante dominicam hanc apparitionem erant Apostolorum animi timore perculsi et conturbati *propter metum Iudaeorum,*[13] inquit Ioannes; subita autem Domini apparitione et praesentia timor factus est maximus; veluti si paterfamilias mortuus et sepultus, post tres dies mortis et sepulturae appareret familiae suae in domo, procul dubio omnis familia timore terreretur.

Annunciat Christus discipulis pacem ad sedandum eorum timorem.

Causa autem timoris fuit non solum quia Christus iam triduo mortuus et sepultus apparuit, sed etiam quia sero, de nocte apparuit et subito in medio eorum constitit ad eum modum quo Angeli apparere solent. Sicut autem cum viderunt Apostoli Christum de nocte supra mare ambulantem, timuerunt *et prae timore clamaverunt* existimantes phantasma esse,[14] ita nunc quoque existimant se spiritum videre, idest phantasma, vel spiritum, idest animam Christi, vel spiritum, idest Angelum Christi; sicut cum Petrus ab Angelo divinitus liberatus a carcere, e catenis, pulsans ad ostium existimatus fuit non Petrus ipse, sed Angelus ipsius,[15] ita *existimabant se spiritum videre.*

timuerunt enim cum eum resuscitatum viderunt, putantes phantasma esse,

Christus ergo ad sedandum hunc timorem, qui animos Apostolorum conturbabat sicut ventus vehemens mare, ad sedandum hoc mare et faciendam tranquillitatem dicit: *Pax vobis,* sicut olim imperaverat *ventis et mari et facta* fuit *tranquillitas magna.*[16]

ideo Christus tranquillos eos facere vult.

12) Lc 24, 37. 13) 20, 19. 14) Mt 14, 26. 15) Cf. Act 12, 5-15.
16) Mt 8, 26.

ut possent intelligere mysteria Scripturarum.

Necessarium autem fuit sedare turbationem hanc animorum, ut possent intelligere mysteria Divinarum Scripturarum, nam habiturus erat sermonem cum eis de necessitate mortis et resurrectionis suae: *Aperuit* enim *illis sensum ut intelligerent Scripturas . . . Quia sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis.* [17]

nam turbatus animus non percipit veritatem.

Sicut autem in aqua clara et quieta videntur rerum imagines, non autem in turbata et commota, aereque turbato et nubibus obducto non videtur coelum nec sol in meridie, sic turbatus vehementi passione animus non percipit nec intelligit veritatem. Hinc ait: *Quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra,* [18] quod ego non sim verus Christus, sed phantasma? *Pax vobis, pax vobis:* sit in vestris animis pax et tranquilla quies. Sic Christus satagit sedare fluctus maris et facere tranquillitatem.

Etiam apparitio Angelorum timorem incutiebat.

Pax vobis: sic Angelus dixit Gedeoni, [19] sic Raphael Tobiae, [20] sic Gabriel Mariae Virgini Beatissimae: *Ave,* שָׁלוֹם, [21] *pax, gratia plena.* [22] Timebant vehementer Iudaei cum Angeli apparebant: sic timuit Gedeon, [23] sic Manue, [24] sic Zacharias, [25] hinc Angelus dixit ei: *Ne timeas, Zacharia,* [26] sic Apostoli spiritum videre putantes.

Annunciat Christus pacem ut significet se vere esse principem et auctorem pacis.

IV. Altera autem ratio est cur Christus dicit Apostolis: *Pax vobis,* ad declarandum quod ipse est *princeps pacis,* cuius *pacis non erit finis,* [27] quod ipse est *Deus pacis,* [28] quod *ipse est pax nostra,* [29] auctor pacis, sicut sol auctor lucis et ignis auctor caloris. In sermone quem post coenam cum Apostolis habuit Christus, dixit eis: *Pacem relinquo vobis:* haec est hereditas quam vobis testamento relinquo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodo mundus dat ego do vobis.* [30] *Pacem meam,* inquit, *do vobis,* quia ipse est auctor et fons pacis.

Pax mundi facillime rumpitur et difficillime reparatur.

Ait etiam: *Non quomodo mundus dat :* pax mundi facillime rumpitur et difficillime reparatur; minima quaevis occasio, unum verbum, nutus oculorum sufficit ad rumpendam pacem; difficillimum vero postmodum est discordes animos conciliare et verae pacis ex

17) Lc 24, 45-46. Vulg.: *Quoniam sic scriptum,* etc. 18) Ibid. vr. 38. 19) Cf. Idc 6, 23. 20) Cf. Tob 12, 17. 21) Ms.: *Scalom.* 22) Lc 1, 28. 23) Cf. Idc 6, 22. 24) Cf. Ibid. 13, 20. 25) Cf. Lc 1, 12. 26) Ibid. vr. 13. 27) Is 9, 6-7. 28) 2 Cor 13, 11; Phil 4, 9. 29) Eph 2, 14. 30) Io 14, 27.

animo foedera[31] concordare. Quod si rumpatur pax inter dominum et servos, tractari quidem potest pax per mediatorem aliquem, vel ut servi ipsi ob metum petant a domino pacem. Sed ut dominus ipse offensus et iniuria affectus offerat et petat pacem, non novit mundus. Hoc proprium Christi est. Fuerat Christus a Petro ter negatus, etiam cum iuramento,[32] ab Apostolis omnibus derelictus[33] et animis abnegatus, amiserant enim fidem quod ipse esset verus Messias, Filius Dei vivi, et tamen Christus offensus ipse venit et offert pacem: *Pax vobis :* confirmo factum testamentum, quod ante mortem meam feci; volo ut possideatis hereditatem quam vobis reliqui: *Pax vobis.*

e contra Christus ipse primo eam offert.

Haec est pax de qua Paulus ait: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum,*[34] idest intellectum et mentem. Pater enim non solum adoptivos filios, sed etiam naturales, quamvis amore ardentissimo diligat, solet offensus et iniuria lacessitus exheredare. Non sic Christus, sed ut ostendat se principem pacis aeternae, solem aeternae lucis, dicit: *Pax vobis,* cuius animus totus est pax, totus caritas, totus amor etiam erga inimicos, cupiens salutem omnium hominum.

quia totus amor est, etiam erga inimicos.

V. Tertia ratio est, quia dicens Christus: *Pax vobis,* ostendit fructum et effectum passionis suae. Non enim frustra mortuus est Christus, sed *mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram.*[35] Proprius autem fructus passionis Christi pax est. Hinc apud Isaiam legimus: *Disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus.*[36] Loquens enim ibi de passione et morte Christi Isaias eam appellat *disciplinam pacis nostrae.* Pacem enim quam per Adami peccatum amiseramus, per Christi passionem et mortem adepti sumus. Pacem vero multiplicem, tum externam tum internam attulit nobis Christi passio, quae etsi in hac vita non omni ex parte consummata est, in futura tamen omnibus numeris absoluta perfectaque erit.

Annunciat insuper pacem, ut ostendat hanc esse fructum passionis suae.

In primis vero Christus attulit nobis pacem cum Deo. Per peccatum enim homo inimicus Dei constituitur; hinc ait Paulus quod *natura* nascimur *filii irae.*[37] Sicut enim inimicorum solent esse

Per peccatum facti sumus inimici Deo.

31) Ms.: *Foedere.* 32) Cf. Mt 26, 69 sqq. ; 14, 66 sqq.; Lc 22, 55-62; Io 18, 16-17. 25-27. 33) Cf. Mt 26, 56; Mc 14, 50. 34) Phil 4, 7. 35) Rom 4, 25. Vulg.: *Traditus est propter*, etc. 36) 53, 5. 37) Eph 2, 3.

voluntates, animi et desideria valde contraria discordiaque, ut semper contraria velint in invicem, sic per peccatum originale effectum est ut voluntas nostra appetat et complaceat sibi in his quae divinae displicent voluntati; quae autem Deo placent, ipsi displiceant. Haec veluti naturalis inimicitia est. . .

sed per mortem suam Christus nos Deo reconciliavit;

Inimicitiam autem hanc in amicitiam convertere et voluntati divinae humanam conformare solus Christus potuit, *mediator Dei et hominum.*[38] Hinc Paulus ait: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius;*[39] et alibi: *Iustificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem . . . habemus accessum ad Deum per gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.*[40]

facti etiam inimici Angelis,

Erat etiam homo per peccatum inimicus Angelorum; Angeli enim sunt omnino divinae voluntati conformes et unus spiritus cum eo, ita ut quaecunque Deo placent aut displicent, similiter Angelis placeant et displiceant. Hinc homo factus inimicus Dei factus est etiam Angelorum inimicus, sicut inimicus regis publicus et notorius inimicus necesse est ut sit fidelissimorum amicorum regis. Propterea Angelus eiecit hominem de paradiso,[41] Angelus Domini percussit Aegyptum,[42] Angelus percussit exercitum Sennacherib,[43] Angelus percussit populum Israel peste in diebus David.[44]

sed, conciliata amicitia cum Deo, etiam cum Angelis conciliata est;

Conciliata autem amicitia cum Deo, etiam cum Angelis conciliata est. Hinc Paulus ait: Concilians per ipsum *sive quae in coelis sive quae in terris,*[45] adeo ut et hominibus et Angelis fiat una respublica in coelo, una civitas, coelestis Ierusalem in paradiso. Hinc *gaudium* magnum est *in coelo coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente,*[46] ex caritate qua nos Angeli diligunt et salutem nostram desiderant iuxta divinam voluntatem, nam Deus quoque laetatur in conversione peccatoris, sicut Christus expressit in parabola filii prodigi.[47]

Quoniam vero per primum peccatum homo non tantum amisit caritatem erga Deum, sed etiam erga proximum, nam una et eadem

38) 1 Tim 2, 5. 39) Rom 5, 10. 40) Ibid. vrr. 1-2. Vulg.: *Habemus . . . accessum per fidem in gratiam istam. Pacem habemus* lect. cod. 41) Cf. Gn 3, 24. 42) Cf. Ex 12, 29. 43) Cf. 4 Rg 19, 35. 44) Cf. 2 Rg 24, 16-17; 1 Par 21, 15. 45) Col 1, 20. 46) Lc 15, 7. 10. 47) Cf. ibid. vrr. 11 sqq.

est caritas qua Deum et proximum diligimus, una arbor est duos habens ramos, unus fons cum duobus canalibus; hinc post peccatum illud videmus crudele odium Cain impii in iustum Abelem,[48] hinc tot in mundo odia, dissensiones, inimicitiae, irae, invidiae, contentiones, homicidia, bella. Maximum vero odium et inimicitia erat inter duos populos, hebraeum et gentilem, causa religionis, uti nunc est inter fideles et infideles, inter catholicos et haereticos; sic non coutebantur Iudaei Samaritanis,[48a] Hebraei Chananaeis,[49] Israelitae Gentilibus.[49a]

facti inimici ad invicem, nam una est caritas qua diligimus Deum et proximum,

Christus autem hanc litem diremit faciens ex duobus populis unam Ecclesiam, unum corpus, unum templum Dei. In qua quidem re declaranda multus est P a u l u s. Sic enim *ad Ephesios* ait: *Ipse . . . est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae inimicitias solvens in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso; et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis et pacem iis qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ergo iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;*[50] et: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.*[51] Sic etiam legimus quod in primitiva Ecclesia omnium *credentium erat cor unum et anima una.*[52]

Christus autem pacem posuit faciens ex multis populis unam Ecclesiam, unum corpus, unum templum;

Erat etiam inimicitia inter hominem et diabolum sicut legimus: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius.*[53] Et haec quidem inimicitia quoad affectum tolli non potest, quoniam daemones confirmati sunt in peccato. Tolli autem potest quoad effectum impugnationis et expugnationis, sicut legimus quod Deus dedit Davidi pacem ab omnibus inimicis in circuitu.[54] Si habebat

facti obnoxii impugnationi et expugnationi diaboli,

48) Cf. Gn 4, 5-8. 48a) Cf. Io 4, 9. 49) Cf. Gn 24, 3; 28, 1; Ex 23, 27 sqq. 49a) Cf. Gn 34, 14. 50) 2, 14-21. Vulg.: *Maceriae solvens. . . ut reconciliet. . . super fundamentum*, etc. 51) Ibid. 4, 3-6. 52) Act 4, 32. 53) Gn 3, 15. 54) Cf. 3 Rg 4, 24.

inimicos in circuitu, quomodo habebat pacem? Utique, quoniam dedit Deus Davidi potentiam superandi omnes inimicos; quare illi timore eius potentiae perculsi non audebant eum infestare nec bella contra eum movere; sic pacem habebat ab inimicis. Sic Christus pacem dedit fidelibus suis a daemonibus; hinc Paulus ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus;* et sequitur: *Suscipite armaturam fidei,* in qua *possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere et in omnibus perfecti stare.* [55]

sed Christi morte fidelibus collata fuit potestas superandi omnes inimicos;

Talem autem tantamque gratiam Deus confert electis suis, ut diabolus, timens ne vincatur et confusus abeat, sicut victus et confusus fuit a Christo in deserto, [56] non audet tentare sanctos et perfectos in caritate. Sic iusti magna pace fruuntur. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis subter femur suum propter timores nocturnos,* [57] idest: Omnis anima iusta et sancta in multa pace et quiete vivit, ac si magno exercitu constipata esset, quo ab inimicis defenderetur.

subiecti contrariis mundi elementis,

Praeterea ob peccatum omnes fere creaturae, quae prius ad nutum homini subiectae erant, deficientes ab eo arma sumpserunt contra eum: terra maledicta a Deo sterilisque facta, negat ei fructus, spinas autem et tribulos producit ei; [58] aqua eum submergit uti in diluvio; [59] ignis comburit ut in Pentapoli; [60] aer multis afficit iniuriis: frigore, ventis, pluviis, nivibus, pruinis; mundus totus factus est veluti mare magna tempestate commotum propter Ionae inobedientiam [61] ad perdendum eum. Sic *vanitati... creatura,* idest homo, *subiecta est;* [62] *Eramus* enim *servientes sub elementis mundi* [63] huius. Sed *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* [64]

sed per Christum ab hac servitute liberati sumus;

Erat etiam inimicitia inter mundum et Ecclesiam: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non*

55) Eph 6, 12-17. Vulg.: *Accipite armaturam Dei,* etc. Ordine inverso affert hos vrr.
56) Cf. Mt 4, 3-11; Lc 4, 2-13. 57) 3, 7-8. Vulg.: *Super femur,* etc. 58) Cf. Gn 3, 18. 59) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 60) Ibid. 19, 24-25. 61) Cf. Ion 1, 1 sqq. 62) Rom 8, 20. 63) Gal 4, 3. Vulg.: *Sub elementis mundi eramus servientes.*
64) Rom 8, 21.

estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.[65] Sed pacem etiam dat Christus electis suis a mundo, faciens eos mundi contemptores et victores, adeo ut saepe non audeat mundus tentare viros sanctos nec concupiscentia carnis, nec concupiscentia oculorum, nec superbia vitae,[66] eos vel ad delicias, vel ad divitias, vel dignitates invitando, ut in luxuriam, avaritiam et superbiam cadere faciat. In futuro autem saeculo perfectissima pace fruemur ab omnibus inimicis, hinc paradisus dicitur *visio pacis.*[67]

erat etiam inimicitia inter mundum et Ecclesiam, sed Christus pacem dat fidelibus faciens eos mundi contemptores.

VI. Verum omnis pax quam diximus, externa est; Christi autem passio non tantum externam, sed etiam internam nobis attulit pacem. Ex peccato enim ortum fuit bellum civile internum in homine: *Caro . . . concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur;*[68] *Sentio . . . aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati.*[69] Haec est colluctatio Iacob et Esau in ventre matris:[70] *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius ? Gratia Dei per Iesum Christum;*[71] *Dedit nobis victoriam per . . . Iesum Christum.*[72]

Tandem annunciat pacem Christus, quia ex peccato ortum est bellum inter concupiscentiam et legem,

In coelo autem perfectissima erit pax ista; in hoc autem mundo *militia est vita hominis super terram.*[73] Hinc *qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;*[74] *Si . . . spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*[75] Nonnunquam tamen viri iusti in hac etiam vita pacem habent cum carne iuxta illud: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*[76] Haec est pax quam fecit Iacob cum Esau reversus a Mesopotamia in domum patris sui.[77]

sed gratia Christi dat iustis victoriam de concupiscentia;

Aliud quoque intra nos bellum sentimus inter conscientiam et peccatum et antequam fiat et postquam factum fuerit. Nam conscientia et synderesis semper contra peccatum murmurat et latrat, veluti fidelis canis custos domus contra furem, ipsaque nos in die iudicii accusabit et in inferno damnatos acerbissime cruciabit: *Vermis* enim *eorum non moritur et ignis non extinguitur.*[78] Hoc illud bellum est de quo P a u l u s *ad Romanos: Testimonium perhibente illis*

inter conscientiam et peccatum, sed gratia Christi conservat bonam conscientiam;

65) Io 15, 19. 66) Cf. 1 Io 2, 16. 67) Sub figura Ierusalem quae interpretatur: *Visio pacis.* 68) Gal 5, 17. 69) Rom 7, 23. Vulg.: *Video . . . aliam legem,* etc. 70) Cf. Gn 25, 22. 71) Rom 7, 24. 72) 1 Cor 15, 57. 73) Iob 7, 1. 74) Gal 5, 24. 75) Rom 8, 13. 76) Ps 83, 3. 77) Cf. Gn 33, 1 sqq. 78) Mc 9, 43. 45. 47.

conscientia ipsorum et inter se . . . cogitationibus accusantibus ac etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta.[79] Gratia autem Christi aufert hoc bellum. Hinc Paulus ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae;*[80] *Nihil . . . mihi conscius sum.*[81]

Inter varias passiones animi inordinati, sed gratia Christi refrenat animi appetitus;

Aliud quoque bellum intra nos est inter varios appetitus, affectiones et passiones animi inordinati: *Impii . . . quasi mare fervens;*[82] *Non est pax impiis, dicit Dominus.*[83] Si animus sit gloriae cupidus simulque avaritia, auri illa sacra fame[84] laboret et ad libidines etiam et voluptates carnis crapulasque propensus, quale bellum gerent effrenes hi appetitus? Luxuria enim prodigum requirit animum, avaritia miserum, superbia honestum et profusum in expensis pro pompis. Sic animus inordinatus infernus sibi est. Qui autem gratia Christi donatus tollit super se iugum Christi, invenit requiem animi: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis,* etc.[85]

Inter varias cogitationes quae animum discruciant, sed gratia Christi suaves reddit tribulationes;

Aliud adhuc bellum est quod oritur ex variis cogitationibus quae animum discruciant. Oriuntur autem cogitationes a variis passionibus et affectionibus: amore et odio, spe et timore, gaudio vel dolore, dum animus aliquid vel cupit vehementer vel abominatur et fugit. Imaginatio enim et phantasia animum vehementer exagitat et profligat dum repraesentat obiecta vel tristia quae non potest effugere, ut sunt mala huius mundi, vel laeta quae non potest consequi, vel quibus necesse est privari. Pugnat autem animus contra haec obiecta et vincere non potest. Christi autem gratia efficit ut non glorietur homo nisi in tribulationibus et cruce, quoniam *virtus in infirmitate perficitur;*[86] hinc ait Paulus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.*[87]

Inter varios humores corporis nostri, sed per Christum corpus induet incorruptionem;

Sed et adhuc aliud intra nos bellum est naturale in corpore nostro ex contrariis qualitatibus et humoribus quibus constat corpus hoc nostrum; hinc mille morbi et infirmitates. Sed tandem corruptibile hoc induet incorruptionem et mortale hoc induet immortalitatem,[88] cum terrena substantia transferetur in coelestem atque solarem.

79) 2, 15-16. Vulg.: *Testimonium reddente . . . aut etiam defendentibus.* 80) 2 Cor 1, 12. 81) 1 Cor 4, 4. 82) Is 57, 20. 83) Ibid. 48, 22. 84) Ex Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57. 85) Mt 11, 29-30. 86) 2 Cor 12, 9. 87) Gal 6, 14. 88) Cf. 1 Cor 15, 53.

Tandem aliud bellum est inter vitam et mortem; iugiter enim vita haec nostra cum morte et mors contra vitam intra nos bellum gerit. Hinc pro sustentanda vita opus est cibo, potu, vestitu aliisque necessariis ad sustentandam naturam; tandem vero, debilitato naturali vitalique calore et spiritu ac primigenio humido deficiente aut corrupto, deficit vita, dum homo senio confectus ac viribus omnibus sensibusque destitutus moritur. Sed tandem mors absorpta erit in victoria: *Ubi est mors victoria tua ?* [89] *Novissime* enim *inimica destruetur mors,* [90] nam devorabit mortem in sempiternum: *O mors, ero mors tua.* [91] Est igitur pax ista veluti arbor vitae afferens fructus duodecim. [92]

Inter vitam et mortem, sed gratia Christi mortem ipsam vincit.

III. ALIA HOMILIA

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum et dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere, etc. [1]

I. In sacrosancto hodierno Evangelio ostenditur fructus passionis et mortis Christi; quid sibi meruerit Christus, quid nobis declaratur. Sibi quidem meruit vitam et gloriam sempiternam, nobis vero perfectam perpetuamque felicitatem. *Stetit in medio discipulorum* suorum. *Stetit :* verbum hoc Christi vitam ostendit et quietem; *in medio discipulorum* suorum: medius locus honoris est ac dignitatis. A Ioanne visus est Christus in *Apocalypsi* stans in medio septem candelabrorum aureorum [2] et in medio throni et quattuor animalium ac viginti quattuor seniorum multorumque Angelorum. [3] Locus honoris ac dignitatis est locus medius; hinc sol positus est in medio planetarum, in ipso coeli medio; lignum vitae in medio paradisi, [4] divinum tabernaculum in deserto in medio totius populi; [5] divinum propitiatorium in medio cherubim, [6] mare aeneum in templo Salomo-

In hodierno Evangelio declaratur quid sibi et quid nobis meruerit Christus passione sua:

sibi meruit vitam et gloriam sempiternam,

89) Ibid. vrr. 54-55. 90) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Novissima*, etc. *Novissime* lect. cod. 91) Os 13, 14. 92) Cf. Apc 22, 2.

1) Lc 24, 36. Vulg.: *Et dicit*, etc. Ex Missali Rom. hac Feria. 2) Cf. 1, 13. 3) Cf. ibid. 4, 1 sqq. 4) Cf. Gn 2, 9. 5) Cf. Nm 2, 1 sqq. 6) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7.

nis in medio duarum columnarum *Iachin* et *Bohaz.*[7] Deus visus est Isaiae in medio Seraphim, [8] et Michaeae in medio coelestium exercituum: *Vidi Dominum sedentem supra solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris.* [9] Sic Ioannes vidit thronum divinitatis in medio Angelorum: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni.*[10] Stabat Christus post resurrectionem suam *in medio,* quia magnum sibi acquisivit honorem: *Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* [11]

Stetit in medio: semper Christus reperitur in medio, in coelo et in terra.

Stetit in medio. Semper Christus reperitur in medio: in sinu Patris media est in Trinitate Persona; natus ex sinu matris, positus est inter duo animalia; [12] in transfiguratione visus est medius inter Moysen et Eliam, [13] in morte medius inter latrones, [14] in resurrectione medius inter discipulos, in mundo etiam archetypo praedestinatur *mediator* inter Deum et hominem *homo Christus Iesus.* [15] *Stetit in medio* sicut propitiatorium inter cherubim, sicut Deus in medio Seraphim.

Pax vobis: nobis meruit salutem et felicitatem aeternam.

II. *Dixit eis: Pax vobis.* Pax Hebraeis non tantum quietem a bellis et dissidiis significat inimicorum, sed etiam prosperitatem et felicitatem. Videbatur Christus in passione et morte instar arboris in profunda hieme non tantum fructibus ac foliis spoliata, sed etiam arida ob nimium frigus et gelu facta, ita ut impossibile crederetur posse amplius fructum aliquem facere. Sed tamen, adventante vere, fecunda virtute intus in radicibus ramisque servata, reviviscit ac reflorescit iterumque foliis floribusque ornata et fructibus onusta cernitur. Ipse virga est amygdalina apud Ieremiam, [16] arida virga Aaron, quae miraculo germinavit, floruit, fructificavit; [17] sibi quidem genuit decorem et pulcritudinem, nobis autem fructum vitae et salutis aeternae.

Non videatur nobis incredibilis nostra resurrectio et felicitas aeterna per Christum obtinenda. Nam etiam Christi resurrectio in-

7) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 8) Cf. Is 6, 1.
9) 3 Rg 22, 19. 10) Apc. 7, 11. 11) Phil 2, 8-9. *Donavit illi nomen,* etc.
12) Ex Liturgia Ecclesiae. Cf. Breviarium Rom. in Festo Nativitatis Domini respons. 7 ad Matutinum. 13) Cf. Mt 17, 3; Mc 9, 3; Lc 9, 30. 14) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33; Io 19, 18. 15) 1 Tim 2, 5. 16) Cf. 1, 11. 17) Cf. Nm 17, 6-9.

credibilis videbatur; hinc Christus mirabile spectaculum seipsum praebet Apostolis, quod eos tum admiratione, tum laetitia replet: *Adhuc... illis non credentibus et mirantibus prae gaudio;* spectaculum se praebet: *Ostendit eis manus et pedes;* [18] I o a n n e s ait quod etiam latus ostendit. [19] *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.* [20] Vult ostendere se illum eundem esse, idem corpus cum eadem carne quod fuit ante, sed vita beata, multa gloria donatum.

Certa est nostra resurrectio et felicitas aeterna, sicut certa est resurrectio Christi.

III. *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae,* [21] legimus de templo Salomonis a Chaldaeis destructo [22] et divinitus postmodum reparato. [23] Christus templum Dei erat: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud;* [24] multo maiori cum gloria Christus resurrexit, nam in morte amisit vitam temporariam, passibilem, mortalem; sed in resurrectione accepit vitam aeternam, immortalem, beatissimam, aeterna infinitaque felicitate donatam. In passione sua Christus gustavit quidem amarum fel, sed non bibit; [25] hodie vero non tantum gustavit, sed etiam manducavit et piscem assum et favum mellis dulcissimi ac suavissimi. [26] Maior fuit haec dulcedo mellis quam modica illa fellis amaritudo; sic maior fuit gloria resurrectionis quam ignominia et poena passionis.

Sicut maior fuit gloria resurrectionis quam ignominia passionis,

Ita etiam cum templum humanae naturae a Deo conditum et diaboli arte destructum, a Christo reparatum fuit, multo maiori cum gloria fuit reparatum. Magnum attulit damnum mundo peccatum Adami, sed multo maiorem utilitatem gratia Christi; ille meruit nobis mortem et poenas temporales, privationem vitae et felicitatis terrenae, sed Christus meruit nobis vitam et felicitatem aeternam; amisimus ob illud peccatum paradisum terrestrem, acquisivimus per Christum paradisum coelestem: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae; Stetit in medio* discipulorum suorum *et dixit eis: Pax vobis;* et *iterum dixit eis: Pax vobis.* [27]

sic gratia quam per Christum acquisivimus maior est ea quam per peccatum Adae perdidimus.

18) Lc 24, 40-41. Ordine inverso affert hos vrr. 19) Cf. 20, 20. 20) Lc 24, 39. 21) Agg 2, 10. 22) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 6-19. 23) Cf. 1 Esr 5, 1-27. 24) Io 2, 19. 25) Cf. Mt 27, 34. 26) Cf. Lc 24, 32. 27) Io 20, 19. 21. Vulg.: *Dixit... eis iterum,* etc.

DOMINICA IN ALBIS

Cum sero esset die illo una sabbatorum et fores essent clausae[1]

Fragmentum ... *venit Iesus et stetit in medio* discipulorum, etc.[2]

Stabat divinum propitiatorium in medio cherubim,[3] et Ioannes Christum vidit a mortuis suscitatum stantem in medio septem candelabrorum aureorum,[4] quae fidelium multitudinem procul dubio significant, cum ipsemet Ioannes interpretetur significare septem Ecclesias,[5] idest fidelium multitudinem, sicut etiam aureum candelabrum cum septem lucernis Ecclesiam cum multitudine fidelium designabat.[6]

1) Ms.: *Clausae* bis ponitur. 2) Pericope huius diei Io 20, 19-31. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7. 4) Cf. Apc 1, 13. 5) Cf. ibid. vr. 20. 6) Cf. Ex 25, 31-37; 37, 17-23.

Dies sancti Joseph Confessoris

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent inventa etc.
Festivus dies ab universa Ecclesia celebratur hodie in honorem beatissimi Joseph dilectissimi sponsi
Virginis sanctissimae matris Dei et salvatoris nostri Jesu Christi cum autem in hodierno evangelio veluti panegyricum
laudum ipsius proponantur nobis duo tantum capita laudum ipsius. alterum est quod fuerit verus
proprius et legitimus sponsus Virginis Deiparae. alterum vero quod fuerit vir perfectione virtutum
numeris omnibus absolutus. Joseph autem vir eius cum esset iustus. iustitia virtus legalis est quae omnia com-
plectitur virtutum genera. Joseph autem simpliciter et absolute iustus dicitur. primum quod proponitur est quod fuerit
sponsus Virginis cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. 2um quod fuerit homo iustus at
iustus veluti alter Noe iustus atque perfectus Zacharias [illegible]. iustus perfectus i. perfecta iustitia prae-
ditus omnibus virtutibus quae [illegible] atque ornatus. primum est quod fuerit sponsus et dignus sponsus
talis tantaeque Virginis. quem Deus tali tantoque matrimonio dignum existimaverit immo
effecerit. idoneos ministros nos fecit novi testamenti. o vere infinitam planeque dignitatem
magna res visa fuit David cum oblata ei fuit in uxorem filia Regis Saul Michol. dictum
fuit ei nomine Regis esto gener Regis. dixitque David. num parvum vobis videtur generum esse Regis?
ego autem sum vir pauper et tenuis. Saul vero ait. non habet Rex sponsalia [illegible]. non deest Regi divi-
tiis ad ditandum te ut sis dignus sponsus filiae Regis. sed Maria unica erat et dilectissima filia summi
Regis Dei qui Rex est Regum et Dominus dominantium imperator caeli et terrae totius universi absolutissimus Dominus et [illegible].
[illegible] voluit autem Deus viro huic unicam filiam suam in uxorem dare. an non potuit Deus
caelestibus divitiis eum ornare ut dignus esset tali tantoque matrimonio. Cum esset desponsa-
ta mater Jesu Maria Joseph. non dicit sacrum evangelium a quo fuerit desponsata. sed tamen non esset
desponsata similis haec est illi locutioni. verbum caro factum est. a quo factum est? utique a Deo. qui
post me venit ante me factus est. a quo factus est? a Deo. sic cum esset desponsata utique a Deo. nam cum
cogitaret Joseph de divortio ut matrimonium dirimeretur ob adulterii suspicionem a Deo per angelum
fuit admonitus. Joseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea na-
tum est de spiritu sancto est. Deus ergo fuit matrimonii huius auctor. nam cum Virgo Deo perpetuam virgi-
nitatem vovisset non nisi per divinam revelationem factum esse credendum est ut matrimonio
copulari vellet certior facta quod a viro ipsius virginitas nullatenus violanda esset. quare
beatissimus Joseph ad summam dignitatem ab ipsomet Deo electus ac sublimatus est ut esset legi-
timus et verus sponsus Mariae. quid amplius dici aut excogitari potest? Joseph autem vir eius. sponsus Mariae.
cum esset desponsata Maria Joseph. nec tantum sponsus Virginis dicitur in divinis literis sed etiam pater Christi.
sicut legimus. cum inducerent puerum Jesum parentes eius. erant pater eius et mater mirantes super his
quae dicebantur de eo. pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. qualis est hic titulus qui soli Deo
proprie convenit. fuit tamen Joseph vere pater Christi non quidem naturalis sed quasi legalis et per adoptionem
plus vero quam pater per affectionem et paternam sollicitudinem diligentiamque pro eius educatione.
sed et ob aliam quoque rationem dici potest pater Christi et Christus verus filius Joseph. nam si in horto alicuius nascatur
arbor fructifera licet non sit plantata a domino et possessore horti illius tamen cum ipse dominus horti erit dominus arboris
sic cum dominus virginalis horti esset beatissimus Joseph ratione legitimi matrimonii dominus dici potest caelestis huius ar-
boris licet ipse non plantaverit eam naturali generatione sed caeli [illegible] munere. amplius dicam quod ex
dono et gratia singulari ac specialissima dedit Deus unigenitum filium suum beatissimo Joseph ut esset ei tanquam
proprius filius. propterea contulit ei Deus titulum et nomen patris. immo quid dico titulum et nomen? non solum
titulum et nomen sed etiam affectum verum et sollicitudinem paternam ut eum diligentissime nutriret
et educaret. dedit ei paternam auctoritatem supra Christum. ut sicut supra Mariam habebat auctori-
tatem viri subditaque illi erat Maria tanquam viro humilis uxor sicut Abrahamo Sarah. sic pro-
fecto Christus subditus et obediens erat ipsi Joseph tanquam optimus et obedientissimus humillimusque filius.
Sic Joseph institutus fuit a Deo pater Christi. maxime cum per angelum dictum fuit ei. Joseph fili David noli
timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum est de spiritu sancto est. pariet autem filium et vocabis
nomen eius Jesum. nam patris est munus nato filio nomen imponere. hoc ipse nomen imponet

FACSIMILE SCRIPTURAE S LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DIES S. IOSEPH CONFESSORIS [1]

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent inventa, etc. [2]

I. Festivus dies ab universa Ecclesia celebratur hodie in honorem Beatissimi Ioseph, dilectissimi sponsi Virginis Sanctissimae Matris Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Cum autem in hodierno Evangelio veluti panegyricum laudum ipsius proponatur nobis, duo tamen sunt capita laudum ipsius: alterum est quod fuerit verus, proprius et legitimus sponsus Virginis Deiparae, alterum vero, quod fuerit vir perfectione virtutum numeris omnibus absolutus: *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus.* [3] Iustitia virtus legalis est, quae omnia complectitur virtutum genera. Ioseph autem simpliciter et absolute *iustus* dicitur. Primum quod proponitur est, quod fuerit sponsus Virginis: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph;* secundum, quod fuerit homo iustus et sanctus veluti alter Noe *iustus atque perfectus:* צַדִּיק תָּמִים, [4] *iustus perfectus,* idest perfecta iustitia praeditus, omni virtutum genere excultus atque ornatus.

Duo sunt capita laudum S. Ioseph: quod fuerit sponsus legitimus B. Virginis, et vir iustus.

II. Primum est, quod fuerit sponsus et dignus sponsus talis tantaeque Virginis, quem Deus tali tantoque matrimonio dignum existimaverit, imo effecerit: *Idoneos ministros nos fecit novi testamenti.* [5] O viri infinitam plane dignitatem! Magna res visa fuit David cum oblata ei fuit in uxorem filia regis Saul, Michol, dictumque fuit ei nomine regis: *Esto gener regis.* Dixit autem David: *Num parum vobis*

S. Ioseph dignus sponsus fuit Mariae;

1) Cf. Praefatio in *Quadragesimale Secundum* S. Laurentii a Br., pag. VI.
2) Pericope huius diei Mt 1, 18-21. Cf. Missale Rom. 3) Mt 1, 19. 4) Gn 6, 9. Ms.: *Zadik thamim.* 5) 2 Cor 3, 6. Vulg.: *Idoneos nos fecit ministros,* etc.

videtur generum esse regis ? Ego autem sum vir pauper et tenuis. Saul vero ait: *Non habet rex sponsalia necesse,* [6] idest non desunt regi divitiae ad ditandum te, ut sis dignus sponsus filiae regis.

nam B. Virgo est unica et dilectissima filia Dei.

Sed Maria unica erat et dilectissima filia summi regis Dei, qui *Rex* est *regum et Dominus dominantium,* [7] imperator coeli et terrae, totius universi absolutissimus dominus et monarcha. Voluit autem Deus viro huic unicam filiam suam in uxorem dare. An non potuit Deus coelestibus divitiis eum cumulare, ut dignus esset tali tantoque matrimonio?

Deus ipse fuit auctor huius matrimonii.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. Non dicit sacrum Evangelium a quo fuerit, sed tantum: *Cum esset desponsata.* Similis haec est illi locutioni: *Verbum caro factum est.* [8] A quo *factum est ?* Utique a Deo: *Qui post me venit, ante me factus est.* [9] A quo *factus est ?* A Deo. Sic: *Cum esset desponsata,* utique a Deo; nam cum cogitaret Ioseph de divortio ut matrimonium dirimeretur ob adulterii suspicionem, a Deo per Angelum fuit admonitus: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* [10] Deus ergo fuit matrimonii huius auctor; nam cum Virgo Deo perpetuam virginitatem vovisset, [11] nonnisi per divinam revelationem factum esse credendum est ut matrimonio copulari vellet, certior facta quod a viro ipsius virginitas nullatenus violanda erat. Quare Beatissimus Ioseph ad summam dignitatem ab ipsomet Deo evectus ac sublimatus est, ut esset legitimus et verus sponsus Mariae. Quid amplius dici aut excogitari potest? *Ioseph autem vir eius,* sponsus Mariae: *Cum esset desponsata . . . Maria Ioseph.*

S. Ioseph vere fuit pater Christi, non naturalis sed per adoptionem et paternam sollicitudinem.

III. Nec tantum sponsus Virginis dicitur in Divinis Litteris, sed etiam *pater Christi.* Sic enim legimus: *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ;* [12] *Erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de eo;* [13] *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* [14] Qualis est hic titulus, qui soli Deo proprie convenit! Fuit tamen Ioseph

6) 1 Rg 18, 22-25. 7) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 8) Io 1, 14. 9) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Post me venturus est,* etc. 10) Mt 1, 20. 11) Cf. S. Gregorius Nazianzenus orat. *In Theophania,* (P. G. 36, 671); S. Augustinus *De Sancta Virginitate,* cp. 4, (P. L. 40, 398); S. Anselmus *De Humanitate Christi,* ibid. 158, 217; S. Bernardus *Super Missus est,* hom. 4. ibid. 183, 750. 12) Lc 2, 27. 13) Ibid. vr. 33. Vulg.: *Erat pater eius... de illo.* 14) Ibid. vr. 48.

vere pater Christi, non quidem naturalis, sed quodammodo legalis et per adoptionem; plus vero quam pater per affectionem et paternam sollicitudinem diligentemque pro viribus educationem.

Sed et ob aliam quoque rationem dici potest pater Christi et Christus verus filius Ioseph. Nam si in horto alicuius nascatur arbor fructifera, licet non sit plantata a domino et possessore horti, illius tamen est, ipse dominus horti erit dominus arboris. Sic cum dominus virginalis horti esset Beatissimus Ioseph ratione legitimi matrimonii, dominus dici potest coelestis huius arboris, licet ipse non plantaverit eam naturali generatione, sed coeli beneficio natus sit.

et etiam quia per legitimum matrimonium verus fuit sponsus Matris Christi.

Amplius dicam quod ex dono et gratia singulari ac specialissima dedit Deus unigenitum Filium suum Beatissimo Ioseph, ut esset ei tanquam proprius filius; propterea contulit ei Deus titulum et nomen patris, imo, quid dico titulum et nomen? non solum titulum et nomen, sed etiam affectum, curam et sollicitudinem paternam, ut eum diligentissime nutriret et educaret; dedit ei paternam auctoritatem super Christum, ut sicut supra Mariam habebat auctoritatem viri subditaque illi erat Maria tanquam viro humilis uxor, sicut Abrahamo Sara, [15] sic profecto Christus subditus et obediens erat ipsi Ioseph tanquam optimus et obedientissimus humillimusque filius. Sic Ioseph institutus fuit a Deo pater Christi, maxime cum per Angelum dictum fuit ei: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum;* [16] nam patris est munus nato filio nomen imponere; hoc, inquit, nomen impones filio, qui ex tua coniuge Dei omnipotentis dono tibi nascetur; tu tanquam pater ipsius *vocabis nomen eius Iesum.*

Deus ipse dedit ei non tantum nomen patris Christi, sed et paternam auctoritatem super Christum et Mariam.

IV. O plane infinitam viri dignitatem! Constitutus a Deo caput et superior Virginis, nam P a u l u s ait quod *caput... mulieris vir,* [17] et P e t r u s iubet ut mulieres subditae sint viris suis, sicut Sara Abrahamo. [18] Sic Beata Virgo reverebatur et honorabat Ioseph tanquam virum et dominum suum eique obediebat et serviebat humili obsequio; nec tantum Beata Virgo, sed etiam Christus ipsum tanquam patrem honorabat et reverebatur: *Erat,* inquit, *subditus illis.* [19]

Maxima ergo est dignitas S. Ioseph,

15) Cf. Gn 18, 12. 16) Mt 1, 20-21. 17) 1 Cor 11, 3. 18) Cf. 1 Petr 3, 1-6.
19) Lc 2, 51.

Hinc vero aliud consequitur, quod Beata Virgo ipsum honestissimo amore diligebat tanquam dilectissimum sponsum a Deo sibi datum, et Christus etiam diligebat eum tanquam amantissimum patrem. Tenetur enim uxor diligere virum et filius patrem. Existimo autem quod singularissimus intercesserit inter Mariam et Ioseph amor, ita ut fuerint vere unum cor et anima una.[20] Ioseph quidem supra modum diligebat Mariam tanquam uxorem optimam, pulcherrimam, gratiosissimam, honestissimam et sanctissimam; ipsa vero Virgo Beata diligebat eum tanquam virum optimum, moribus sibi simillimum unicumque suum benefactorem, de cuius laboribus et sudoribus ipsa vivebat et filium nutriebat. Christus etiam a Ioseph tenerrimo affectu dilectus et summa diligentia nutritus ac educatus, non poterat non rependere amoris vicem in centuplum. Nam si in die iudicii electis dicet: *Esurivi... et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me, nudus et operuistis me,*[21] omnia haec singularissima ratione verissime dicere poterit viro huic beatissimo, patri suo dilectissimo et amantissimo.

quem B. Virgo et ipse Christus adeo honorabant et diligebant.

V. Quod si Ioseph maxima caritatis affectione [a Christo] tanquam pater dilectus fuit et a Maria tanquam dilectissimus et amantissimus sponsus, ex hoc capite necesse est ut a Deo maxima acceperit beneficia, maximam coelestium gratiarum abundantiam. Nam quid est amor nisi boni desiderium?[22] Si Maria, si Christus diligebat Ioseph et maximo caritatis affectu diligebat, maxima ergo ei divinae gratiae et gloriae desiderabat. Et quaenam mulier non maximo cum affectu, si pia sit et, ut par est, divinae dedita religioni ac devotioni, petit a Deo bona quae viro suo desiderat? Credendum pie est quod Virgo Sanctissima devotissimas ac ferventissimas orationes precesque Deo fundebat pro viro suo Ioseph. An forte exaudiri non merebatur. Vel an non pie credendum est etiam quod Christus in suis ad Patrem precibus pro viro hoc, qui sibi deputatus pater erat a Deo, non oraret? non desideraret ei divinae gratiae culmen?

Hinc apparet quantis donis Deus S. Ioseph exornaverit,

quem dignum effecit tanto amore Sanctissimae Virginis et ipsius Christi.

O virum beatissimum! Si cum desponsata fuit ei Maria iustus erat, sanctus erat, perfecta virtute praeditus, quid censendum de

20) Cf. Act 4, 32. 21) Mt 25, 35. 22) Cf. S. Thomas S. Theolog., 1ª 2ªe, q. 3, a. 4; q. 27, a. 1.

eo est post tot tantaque coelestis gratiae divinaeque sanctitatis incrementa? Bone Deus, cum quonam hominum virum hunc beatissimum comparabimus? Ioseph quidem patriarcha valde fuit a Deo dilectus, magna virtute praeditus, ad altum dignitatis gradum evectus, [23] sed non est huic comparandus.

II. ALIA HOMILIA

Ioseph fili David, noli timere, etc. [1]

Tria legimus in Divinis Litteris de S. Ioseph: generis nobilitatem, vitae sanctitatem et sublimem dignitatem.

I. Sicut de David in Divinis Litteris tria specialiter legimus: nobilitatem originis, quod descenderit per rectam lineam masculinam a sanctissimis Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob, per Iudam, [2] quae fuit tribus omnium nobilissima omniumque princeps; [3] sanctitatem vitae, qua fuit homo secundum cor Dei, [4] totus pius et religiosus, divinarum legum observantissimus; [5] ac tandem divinos erga eum favores, quibus ad sublimem dignitatis gradum evectus fuit factusque ex pastore ovium rex serenissimus simul et potentissimus maximeque fortunatus; [6] ita de Beatissimo Ioseph in hodierno Evangelio tria habemus: primo, nobilitatem ipsius: *Ioseph fili David;* secundo, sanctitatem: *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus;* [7] tertio, sublimem dignitatis auctoritatisque ex divina gratia et favore gradum, quo factus est sponsus matris Dei habitusque et vocatus pater Christi: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph;* [8] *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;* [9] et tanquam pater Christi iubetur illi nomen imponere: *Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet,* etc. [10]

S. Ioseph verus sponsus est B. Virginis.

II. O mirabilem ac plane divinam viri dignitatem auctoritatemque! Fuit Virginis Beatae verissimus sponsus, sicut verum matrimonium rite et rate contractum fuit inter eos, licet nunquam consummatum: *Antequam convenirent,* idest cum non convenissent, cum

23) Cf. Gn 39, 6-41, 1 sqq.

1) Mt 1, 20. 2) Cf. ibid. vr. 1-6; 3, 31-34. 3) Cf. Gn 49, 10. 4) Cf. 1 Rg 13, 14; Act 13, 22. 5) Cf. Eccli 47, 9-12. 6) Cf. ibid. vrr. 2-8; Ps 88, 20-30. 7) Mt 1, 19. 8) Ibid. vr. 18. 9) Ibid. vr. 20. 10) Ibid. vr. 21.

matrimonium non consummassent, *inventa est in utero habens.* [11] Sponsum autem esse Virginis Beatae, verae Matris Dei et Salvatoris mundi, dignitas est, ut Damascenus ait Oratione 3 *De Nativitate Virginis,* [12] omni sermone praestantior: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria.*

nam per legitimum matrimonium habuit veram auctoritatem supra Matrem Dei

Ut autem verus sponsus habuit supra Virginem Beatam omne ius et auctoritatem, quam habet verus sponsus supra sponsam et uxorem suam. Sic fuit caput Beatae Virginis, nam vir caput est uxoris non uxor viri, ut Paulus ait. [13] Fuit eius rector et gubernator, ita ut Virgo Beata ei subiecta esset eique pareret, sicut in laudem Sarae inquit Divus Petrus quod Abrahamo subdita erat eumque dominum suum vocabat. [14]

ipsumque Filium Dei, cuius pater putabatur;

Praeterea, licet Ioseph non fuerit verus et naturalis pater Christi quoad effectum generationis, sed putativus: *Ut putabatur filius Ioseph,* ait Lucas, [15] homines enim, qui divinae incarnationis mysterium ignorabant, existimabant eum solito more atque communi conceptum et natum, unde dicebant: *Nonne hic est fabri filius?* [16] et: *Nonne hic est filius Ioseph?* [17] tamen Deus ipse, qui verus et naturalis Christi Pater est, communicavit ei titulum hunc summi honoris, ut Christi pater diceretur. Sic legimus: *Erant pater et mater eius mirantes super his quae dicebantur;* [18] itemque: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* [19] Sicut autem Christus in cruce Ioannem filium Virginis instituit ac veluti suo loco subrogavit, [20] ita Deus Pater Ioseph patrem Christi effecit, singulari privilegio ac plane divino, ut pater eius diceretur cui Angeli serviunt.

omnia enim munera patris erga ipsum exercuit et dilectione vere paterna eum prosecutus est.

Nec tamen vanum ei nomen tribuit Deus inanemque titulum sine re, sed una cum nomine tribuit ei viscera affectumque paternum, curam et sollicitudinem paternam et, quod maius est, paternam etiam auctoritatem. Sic enim legimus quod *erat subditus illis.* [21] Sicut autem Christus Virginem Beatam elegit sibi in Matrem, ita Beatum Ioseph elegit sibi in patrem fuitque Christus Dei quidem Filius naturalis,

11) Ibid. vr. 18. 12) Oratio 3 *De Beatae Mariae Nativitate* invenitur tantum in nonnullis antiquis editionibus S. Io. Damasceni v. g. Parisiis 1603, f. 345b, Iac. Billio interprete; ponitur etiam in Breviario Rom. die 7 infra octavam Patrocinii S. Ioseph, hom. 3. nocturni. At in Migne de ea ne verbum quidem fit. 13) Cf. 1 Cor 11, 3; Eph 5, 23. 14) Cf. 1 Petr 3, 6. 15) 3, 23. 16) Mt 13, 55. 17) Io 6, 42. 18) Lc 2, 23. Vulg.: *Erat pater eius et mater mirantes*, etc. 19) Ibid. vr. 48. 20) Cf. Io 19, 26-27. 21) Lc 2, 51.

Beati autem Ioseph filius adoptivus, sed magis dilectus quam filius naturalis.

Sic fuit Beatus Ioseph a Deo in summo dignitatis gradu constitutus et gradu quidem dignitatis proximus Christo post Mariam. Hinc in hodierno Evangelio ordinate ponuntur Iesus, Maria, Ioseph, et paulo ante idem Evangelista; *Genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* [22] Ibi descenditur: Iesus, Maria, Ioseph; hic ascenditur: Ioseph, Maria, Christus. Posuit autem haec verba Sanctus Evangelista in fine genealogiae Christi, [23] quae veluti scala illa Iacob est, in cuius cacumine innixus Deus erat, [24] sed visibili humanitatis specie indutus. Sic Deus homo innixus supremo scalae huius gradui, nempe Mariae Virgini tanquam filius matri; proximo autem gradu Ioseph invenitur, cui etiam innixus Christus est tanquam pupillus tutori et filius patri.

Haec summa est dignitas tanti Viri, adeo proximum esse Matri Dei ipsique Filio Dei.

III. Sicut autem Ioseph summo amoris affectu prosequebatur Beatam Virginem tanquam dilectissimam sponsam et Christum tanquam carissimum et dilectissimum filium, ita ipse quoque diligebatur a Virgine tanquam sponsus amantissimus et a Christo tanquam pater optimus. Cumque verum sit quod ille ait, quod

« Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Maiestas et amor », [25]

beatissimus hic vir cum summo amore prosequeretur et Virginem et Christum, summa etiam cum familiaritate cum eis agebat et conversabatur.

et ab illis tanquam sponsum et patrem diligi.

O magnum miraculum! o divinissimum privilegium! *Ne appropies . . . huc,* dictum fuit Moysi, *locus enim, in quo stas, terra sancta est;* [26] quoniam ibi apparuerat ei Deus, imo non Deus, sed Angelus Dei, quare nec ausus fuit Moyses aspicere in rubum apparitionis. Vir autem iste beatissimus cum vero Filio Dei, qui verus erat et est Deus, tanta cum familiaritate agebat quanta pater amantissimus cum dilectissimo filio quem tenerrime diligit.

Hoc singulare illius privilegium fuit, ipsum Deum tanta familiaritate tractare.

22) Mt 1, 16. 23) Cf. ibid. 1, 1-16. 24) Cf. Gn 28, 12-13. 25) Ovid. *Metamorph.*, lib. 2, vrr. 846-847. 26) Ex 3, 5.

Hinc apparet summa gloria S. Ioseph respondens eius perfectae iustitiae.

IV. Quis autem capere possit quanta sit gloria beati huius viri in coelo? Si enim Christus dicet electis in iudicio: *Venite, benedicti,* etc., *esurivi enim,* etc., [27] quid dicet Beato Ioseph, qui non in pauperibus, sed in persona propria haec praestitit Christo? Et si quisquis dederit calicem aquae frigidae in nomine Christi, non perdet mercedem suam, [28] quamnam mercedem acceperit beatus iste vir, qui talia tantaque obsequia praestitit Christo? Sicut autem simpliciter *iustus* appellatur ob iustitiam numeris omnibus absolutam, ita beatus necesse est ut sit in coelis, nam gloria respondet virtuti sicut merces et praemium merito.

Ostenditur etiam hodie quaenam sit perfecta iustitia.

Elucent autem in hodierno Evangelio castitas, moderatio animi: *Eo cogitante,* [29] odium mali, fides dictis Angeli, obedientia divinis mandatis. Ille autem perfectus est iustus qui fidem cum habeat, declinat a malo et facit bonum, [30] sicut de Iob legimus; [31] sic Sanctus Ioseph.

III. ALIA HOMILIA [1]

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. [2]

Magna est dignitas matrimonii, cum ab ipso Deo institutum et honoratum fuerit.

I. Magna profecto res matrimonium est, sanctum Sacramentum a Deo a mundi initio in paradiso institutum inter Adam et Evam, primos homines Dei manu formatos. [3] Quod si statua quaedam vel pictura admirabilis redditur ab auctore, ab antiquitate, a loco in quo facta et posita, a subiecto, a pulcritudine, plane hoc Sacramentum ob haec omnia nobilissimum est: institutum a Deo in paradiso ab initio inter Adam et Evam excellentissimas creaturas; Sacramentum amoris et gratiae, quae summa est pulcritudo. Hinc Deus Sacramentum hoc honorare voluit in omnibus Patriarchis: Noe, Abraham, Isaac, Iacob, regibus, Prophetis, summis etiam sacerdotibus Antiquae

27) Mt 25, 34-35. 28) Cf. ibid. 10, 42. 29) Ibid. 1, 20. 30) Cf. Ps 36, 27; 1 Petr 3, 11. 31) Cf. Iob 1, 1. 8; 2, 3.

1) Haec homilia invenitur in folio avulso, quam, cum idem argumentum pertractet, hic inseruimus. 2) Mt 1, 18. 3) Cf. Gn 2, 7. 21 sqq.; Mt 19, 4-6; Mc 10, 6-9; 5, 31-32.

Legis, et tandem in Filii sui incarnatione, volens a desponsata concipi virgine. Et sicut Christus dictus est *sponsus Ecclesiae*, [4] ita et Deus ipse saepissime in Scripturis. [5]

In matrimonio sanctitas possibilis est.

Nec putetis, carissimi, quod viri matrimonio coniuncti non possint sanctam ac Deo placentem vitam ducere, siquidem matrimonio coniunctus fuit Noe, [6] Abraham, [7] Isaac, [8] Iacob, [9] omnes Patriarchae, Moyses, [10] Aaron, [11] David, [12] Ezechias et alii sanctissimi viri, tandem Ioseph cum Maria Virgine.

Coniuges oportet orationi vacare,

II. Ut autem coniuges sanctam vitam ducant, debent orationi et spiritui operam dare, super omnia curantes ut legem Dei observent. Sic enim faciebant Beata Virgo et Sanctus Ioseph, qui non carni sed spiritui operam dabant. Sic coniuges debent aliquando abstinere a carnis voluptatibus et orationi vacare, ut Dominus illis benedicat; debent amare se invicem et magna cum pace simul vivere; uxor viro obedientiam et reverentiam exhibere, vir mulieri benignitatem et dilectionem. Sic enim Sara obediebat reverentiamque exhibebat Abrahae, [13] ipse vero in eam benignus erat. Vir non debet complacere mulieri in his quae sunt contra Deum, uti in pompis et vanitatibus, ut fecit Adam Evae, unde orta est mundi ruina. [14] Sic oritur ruina familiarum ex hac nimia complacentia, qua volunt viri mulieribus complacere in his, in quibus non debent, sed mulierem suam quisque, etc.

se invicem diligere et honorare.

mutuam fidelitatem servare.

Debent sibi invicem fidelitatem servare, uxor viro et vir uxori, hinc enim miratus valde est Beatus Ioseph videns Beatam Virginem gravidam, cum ipse non tetigisset eam; nec tanquam servam, nec tanquam dominam tenere debet, sed tanquam sociam, hinc enim Eva nec de capite nec pedibus formata est. [15] Debet vir non nimium esse zelotypus, sed cum moderatione; multoties enim uxores sunt innocentes, uti fuit Beata Virgo. Quod si mulier videat virum suum zelotypiam habere, debet patienter ferre et causam suam Domino commendare; sic enim faciebat Beata Virgo, unde Dominus misit Angelum suum et Beatae Virginis innocentiam ostendit. [16]

4) Cf. Apc 18, 23; 21, 9. 5) Cf. Ps 18, 6; Ct 4, 8-14; 5, 1; Sap 8, 2; Is 62, 5; Os 2, 19-20. 6) Cf. Gn 5, 31. 7) Cf. ibid. 11, 29. 8) Cf. ibid. 24, 64 sqq. 9) Cf. ibid. 29, 16-28. 10) Cf. Ex 2, 21. 11) Cf. ibid. 6, 23. 12) Cf. 1 Rg 18, 27-28 13) Cf. Gn 18, 12; 1 Petr 3, 6. 14) Cf. Gn 3, 6 sqq. 15) Cf. ibid. 2, 21. 16) Cf. Mt 1, 20.

In timore Domini ambulare.

Homo de vino proprii dolii potest inebriari et in aqua propriae cisternae se se praefocare; sic cum propria uxore quisque potest peccare, si ea abutatur aut rectam intentionem non habeat.

Voluntas animae fidelis dicitur mater Christi et intellectus pater, quia ex cognitione oritur amor Dei.

III. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Anima fidelis et sancta mater dicitur Christi: *Qui fecerit voluntatem Patris mei,* etc.[17] Voluntas est mater; desponsatur intellectui, qui est veluti Ioseph *accrescens*[18] quotidie in cognitione; ex cognitione vero boni nascitur amor, ex cognitione Dei amor Dei. Hic est tanquam pater Christi ac nutritius eius in cordibus nostris; cognitione enim Dei ac divinorum contemplatione nutritur spiritus Christi in nobis. Item Ioseph iste certa cognitio est quod oportet semper in via Dei procedere *de virtute in virtutem*[19] et ascendere per scalam Iacob in coelum cum sanctis Angelis.[20]

17) Ibid. 18, 50; Mc 3, 35. 18) Gn 49, 22. 19) Ps 83, 8. 20) Cf. Gn 28, 12.

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS

QUADRAGESIMALIS SECUNDI

DOMINICA PASSIONIS

I. Iudaei Christum oderant eorum vitia arguentem. — II. Impossibile est in Christo reperire peccatum, quia homo Deus sanctissimus. — III. Christus peccare non potest, quia infinita potentia, sapientia et bonitate praeditus omnibusque virtutibus ornatus. — IV. Ostenditur hodie Christus verus propheta, sanctissimus vita, veracissimus doctrina et miraculis gloriosissimus. — V. Iudaei illum persequuntur ex solo veritatis odio. — VI. Ostenditur etiam infinita Christi innocentia et summa Iudaeorum iniustitia. — VII. Omnia Christus voluntarie passus est pro peccatis nostris. — VIII. Iudaei Christum lapidare volebant quia maximum prophetam et verum Deum se faciebat, — IX. ideo eum accusabant de impietate, de mendacio et de blasfemia; sed Deus Christi iniurias vindicavit et ultor extitit in hunc usque diem . . . . Pag. 1-13

II. Alia homilia

I. Ignorantia causa fuit passionis et mortis Christi. — II. Iudaei Christum persequebantur quia divinitatem eius absconditam non agnoscebant. — III. Deus ubique latet absconditus, in mundo, in Ecclesia, in Sacramentis, in Scripturis et in nominibus quibus saepe appellatur. — IV. Deus abscondit se ad probandam fidem nostram; — V. sed absconsio haec occasio fuit omnium malorum in mundo . . . . Pag. 13-18

III. Alia homilia

I. Inimicis calumniantibus Christus hodie ostendit innocentiam suam, — II. probans se in omnibus perfectissimum et verum Deum esse, cui obediendum et credendum est. — III. Ostenditur Christus typus absolutus omnium virtutum. — IV. Christo credendum est quia verus Messias, Deus factus homo, — V. homo innocentissimus, propheta veracissimus, Messias promissus et verus Deus, quamvis absconditus. — VI. Mundi aeternitatem a multis propugnatam sacra theologia et vetus philosophia respuunt. — VII. Principium praesuppositum est in sacra theologia Deum primam substantiam esse, causam omnium creaturarum. — VIII. Deus ubique est et operatur in mundo, sed absconditus; sic latet in Scripturis, in Ecclesia, in cordibus fidelium; in coelesti paradiso manifestus erit . . . . Pag. 19-23

IV. Alia homilia

I. Christus ab inimicorum calumniis se defendit ostendens innocentiam suam. — II. Gloria Christi revelata fuit Ezechieli et Zachariae. — III. In hodierno Evangelio causa proponitur cur Iudaei mortali odio Christum persequerentur. — IV. Iniquis virtus et veritas semper displicent. — V. Christus duplicem veritatem praedicabat: de vero cultu Dei et de recta institutione vitae. Ad salutem necesse est credere veritates tum speculativas tum eas quae praxim respiciunt. — VI. In Liturgia Missae huius Dominicae Christus ostenditur magnus sacerdos, seipsum Deo hostiam offerens . . . . Pag. 28-34

FERIA SECUNDA DOMINICAE PASSIONIS

I. Christus in mundum venit ad salvandos non tantum iustos sed etiam peccatores. — II. Iudaei non credentes quod Christus posset illos salvare, eum occidere voluerunt, sed Christus, quia occisus, factus est fons omnium bonorum. — III. Fons est Christus quoniam verus Deus. — IV. Aqua Christi est gratia Spiritus Sancti quae concupiscentiam extinguit, vigorem confert, infirmitates sanat, sordes lavat, ipsos quoque mortuos vivificat. — V. Haec divina aqua semen fecundissimum est. — VI. Sacramentis et sacra Ordinatione conferuntur dona Spiritus Sancti et divinae virtutes. — VII. Saepissime Divinae Litterae de aquis loquuntur, quia significant Spiritum Sanctum fontem gratiae. — VIII. Christus fons est omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae et ipsius Spiritus Sancti. — IX. Cum Spiritus Sanctus sit potentia, sapientia et bonitas, his perfectionibus elucent qui Spiritu Sancto donantur . . . . Pag. 35-46

II. Alia homilia

I. Principes et Pharisaei impie quaerunt Christum apprehendere. — II. Principes in mundo positi sunt ad regendum populum sapientia, iustitia et pietate. — III. Principes et Pharisaei ministros mittunt ad apprehendendum Iesum, Christus autem divina mysteria eos edocet . . . Pag. 46-50

III. Alia homilia

I. Principes isti contra Christum insurgentes imagines sunt peccatorum hominum. — II. Ex malis principibus omnia mala in mundo oriuntur. — III. Principes oportet primos esse in bonis operibus et in virtutum exercitio, ut recte vitam populi moderentur. — IV. Salus vel ruina populi a principibus et viris Religiosis dependent. Princeps malus lupus est . . . . . Pag. 50-55

IV. Alia homilia

I. Christus hodie se fontem ostendit qui explere potest omnem animi humani sitim. — II. Ad aquam Christi hauriendam requiritur bonum desiderium et bona voluntas. — III. Christus fons copiosissimus est, cuius aquae fecundissimae mundum bonis replent. — IV. Fons est beatificus quia dat omnia bona quae perfectam felicitatem constituunt; — V. Ipse enim est auctor bonorum naturae, fortunae, gratiae et gloriae; mundus autem cisterna est dissipata. — VI. Spiritus Sanctus aqua est extinguens concupiscentiam, ignis accendens divinum amorem. — VII. Etiam diabolus fons est, sed aquarum mortis. — VIII. Magna stultitia est in hominibus magis confidere quam in Deo. — IX. Multa mirabilia Deus in aquis operatus fuit, quia per aquam mystice designatur Spiritus Sanctus . . . . Pag. 55-64

FERIA TERTIA DOMINICAE PASSIONIS

I. Christus, ut ostenderet humanae suae naturae veritatem, hodie mortem fugit. — II. Tria consideranda sunt: quis odit Christum, quis odio habetur et ratio ob quam Deus ex toto corde diligendus est. — III. Iure naturali homo tenetur Deum diligere, et tamen hodie Christus odio habetur cum sit infinita bonitas et pulcritudo, auctor omnium bonorum naturae, gratiae, gloriae et deitatis. — IV. Causa huius odii fuit mala Iudaeorum voluntas a diabolo concitata contra Deum. — V. Hoc odium diabolicum Christus cernens, persecutionem fugit. Multae figurae huius impiae persecutionis exhibentur in Sacra Scriptura. — VI. Qui Deum vere non diligit, necesse est ut eum odio habeat. — VII. Solus Deus implere potest animam nostram. — VIII. Mundus odit omnia quae Deus diligit, quia regitur spiritu satanae et carnis; propterea Ecclesia semper in mundo persecutiones patitur . . . . Pag. 65-75

II. Alia homilia

I. Servanda est vita naturalis, etiam lege divina positiva postposita, eo magis vita spiritualis. — II. Hodie Christus verum hominem se ostendit ut eius imitemur humanam vitam. — III. Docet Christus otium et mundum fugere, adversa patienter ferre, pericula salutis vitare et bona opera facere. — IV. Tempore huius vitae aeternitati operari debemus . . . . Pag. 75-81

III. Alia homilia

I. Odio habetur Christus in Iudaea figura synagogae reprobatae, non in Galilaea figura Ecclesiae electae. — II. Passio Christi profutura erat non Iudaeis sed Gentilibus. — III. Docet Christus magnifacere tempus, quia res summi momenti est. — IV. Non totum tempus expendendum est pro vita animali, sed aliquod etiam pro spirituali. — V. Ecclesia figuratur per Galilaeam quae perfectionem significat, haec autem maxime consistit in virtutibus theologalibus. Qui aliquid amat plusquam Christum, Christum odit. — VI. Docet Christus prudenter declinandam esse persecutionem temporalem et spiritualem. Persecutiones utiles sunt quia iustos purgant, illuminant et perficiunt . . . . Pag. 81-89

IV. Alia homilia

I. Hodiernam persecutionem Iudaeorum contra Christum praevidit Regius Vates et valde admiratus fuit. — II. Multi mirantur cur Deus in hoc mundo bonis mala permittat, malis autem bona concedat; sed Christus docet Deum duo tempora statuisse consolationis et afflictionis. — III. Voluptas occasio peccatorum est et facile inducit ad oblivionem Dei; tribulatio autem ab amore mundi avertit et ad Deum accedere compellit. Praesens tempus est poenitentiae, futurum felicitatis. — IV. Voluit Deus Christum multa pati in mundo ut illius exemplo leviores nobis fierent tribulationes. — V. Permittit etiam iustis semper maiores tribulationes evenire ad probandam omni ex parte virtutem et merita augenda. — VI. Tribulationes Christi et Sanctorum ostendunt magnitudinem coelestis gloriae . . . . Pag. 89-98

FERIA QUARTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Festum encaeniorum significat renovationem spiritus. — II. Homo in Baptismo templum Dei constituitur per gratiam Spiritus Sancti; sed per peccatum templum istud destruitur, renovatur autem per poenitentiam. — III. Huius festi encaeniorum mysterium requirendum est. — IV. Vetustas a qua renovari oportet peccatum est, renovatio autem vera poenitentia. — V. Christus creator, reparator et sanctificator est generis humani. — VI. Ostenditur hodie quaenam sit vetustas exuenda et novitas induenda . . . . Pag. 99-108

II. Alia homilia

I. Christus ut probaret se verum esse Messiam innumerabilia operatus fuit miracula et multis modis. — II. Ostenduntur hodie actiones divinae Christi, eius potentia divina et divina natura. — III. Ostenditur esse, posse et operari Christi et fidelium electorum, — IV. esse, posse et operari reproborum. — V. Divinae praedestinationis principium est divina bonitas, medium divina gratia antecedens et subsequens, finis divina gloria; tria haec expressit Christus in hodierno Evangelio. — VI. Dat etiam signa ad cognoscendos praedestinatos et praescitos . . . . Pag. 108-118

III. Alia homilia

I. Christus venit in mundum ut eum renovaret per poenitentiam; renovari ergo oportet fugiendo frigus iniquitatis et quaerendo calorem caritatis. — II. De hoc agit etiam Regius Vates ostendens peccatum causam esse ruinae, poenitentiam vero medium renovationis. — III. David persecutus a Saul figura Christi a Iudaeis persecuti. — IV. In primo suo adventu Christus mundum renovavit per gratiam, in secundo renovabit per gloriam. — V. Templum mysticum dirutum a peccato renovatur fide, spe et caritate. — VI. Huius renovationis symbolum fuit festum encaeniorum. — VII. Loquitur Christus hodie de mysterio praedestinationis, de quo saepe agit etiam Divus Paulus. — VIII. Deus omnibus confert media salutis sufficientia, sed peccatum causa est perditionis. — IX. Christi oves ipsum audiunt et sequuntur, oves satanae Christum contemnunt et odio habent . . . . Pag. 118-128

FERIA QUINTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Exhibetur hodie anima prius peccatrix et postea conversa. — II. Duas Marias legimus in Evangelio: unam speculum virginum, alteram poenitentium. Mulier in multis inferior est homine. — III. Difficile est habitum peccandi relinquere, sed non impossibile, sicut ostenditur hodie in conversione Magdalenae. — IV. Mirabilissima conversio huius mulieris orta fuit ex cognitione propriae infelicitatis et infinitae bonitatis et misericordiae Christi. — V. Exponuntur singula verba: *Ecce mulier... ut cognovit... stans retro secus pedes eius.* — VI. Haec mulier peccatrix facta fuerat diabolo obediendo, conversa est Christum amando . . . . Pag. 129-139

II. Alia homilia

I. Christus benigne peccatricem hodie recipiens ostendit divinae misericordiae magnitudinem. — II. Magdalena praefertur pharisaeo, qui cum plura beneficia a Deo accepisset, minus Deum diligebat. Saepe maior est gloria animae poenitentis quam innocentis. — III. Ostenditur hodie conversio animae a terrena in coelestem. — IV. Mirabilis utique haec conversio a peccato ad sanctitatem per poenitentiam. — V. Lacrimae fuerunt Magdalenae alter baptismus per fidem et caritatem. — VI. Trium personarum actiones proponuntur in hodierno Evangelio: Christi, pharisaei et mulieris peccatricis; in pharisaeo ostenditur falsa iustitia, in Christo potentia, misericordia et iustitia, in Magdalena perfecta conversio . . . . Pag. 139-146

III. Alia homilia

I. Proponitur hodie Magdalena speculum poenitentiae. Ad conversionem fide opus est. — II. Vera poenitentia est perfecta animae conversio a mundo ad Deum corde contrito et humiliato. — III. Scopus hodierni Evangelii est ostendere bonitatem et misericordiam Dei. — IV. Ostenditur hodie Christus pauper egens eleemosyna, dives tribuens non rogatus spiritualia dona. — V. In iustificatione sese mutuo consequuntur peccati remissio et gratiae collatio; cor tamen melius per poenitentiam dispo-

situm, maiorem recipit gratiam. — VI. In parabola feneratoris ostenduntur beneficia Dei, debita hominum erga Deum et divina misericordia in beneficio redemptionis. — VII. Alia consideranda sunt in Magdalena ad pedes Christi stante, alia in Christo Magdalenam suscipiente. — VIII. Magnum miraculum fuit conversio Magdalenae, in qua elucet infinita clementia Christi. — IX. Ostenditur in hac conversione magna misericordia et magnum desiderium Dei salutis peccatorum, magna quoque gratia Spiritus Sancti, — X. et magna virtus poenitentiae quae magnam peccatricem perpetuo sanctificat. — XI. Exemplo suo Magdalena ad conversionem peccatores excitat. Ex vera poenitentia oritur vera cordis laetitia . . . . Pag. 147-159

FERIA SEXTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Ostenditur hodie infinita Dei bonitas et summa hominum perfidia. — II. Horrendum concilium collegerunt Pontifices et Pharisaei contra Christum, sed tamen divina dispensatione. — III. Duo concilia videmus hodie: unum humanum in terra, aliud divinum in coelo. — IV. Christus *unus homo* dicitur, quia homo singularissimus, immortalis et mortalis, qui pro omnibus meruit gratiam et vitam aeternam. — V. Patet quantum differat utrunque concilium: divinum plenum est caritate et sapientia, humanum autem infinita malignitate et innumeris erroribus. — VI. Sententia Caiphae impiissima fuit, iniustissima et imprudentissima; — VII. decreta enim fuit Christi mors ut respublica salva fieret, sed ob mortem Christi haec funditus eversa est. — VIII. Expediebat Christum mori ad satisfaciendum divinae iustitiae pro nobis et exemplo suo ad virtutem nos excitandos . . . . Pag. 160-169

II. Alia homilia

I. Utilitas quae ex peccato speratur in damnum semper convertitur, sicut cernitur in Iudaeis qui Christum occiderunt. — II. Amor propriae utilitatis excaecat homines etiam prudentes, sicut clare cernitur in hodierno concilio. — III. Ad congregandum concilium requiruntur auctoritas, sapientia et iustitia; sed in hoc iustitia defuit. — IV. Duo consideranda sunt: odium Iudaeorum ortum ex bonitate Christi, et salus mundi orta ex eorum odio. — V. Mala consilia causa sunt omnium malorum reipublicae, saepe enim rationes status legibus humanis et divinis praeferuntur. — VI. Multae sunt causae hodierni concilii, quae ostendunt quam imprudens sit et caeca humana prudentia. — VII. Monemur ut a vitiis nobis caveamus, docemur autem fidem et religionem fundamentum esse ipsius terrenae felicitatis. — VIII. Mysteria hodierni concilii vaticinatus est David. Ex depravata voluntate omnes oriuntur errores . . . . Pag. 169-180

III. Alia homilia

I. Hodiernum concilium quatenus humanum pessimum est, quatenus divinum optimum, utriusque autem eadem sententia, sed non idem animus et finis. — II. Quatenus humanum plenum est mentis caecitate, perversitate et impietate, quatenus divinum plenum est bonitate et sapientia, factum enim fuit ad ostensionem misericordiae et iustitiae Dei. — III. In rectoribus reipublicae requiruntur auctoritas, scientia et zelus iustitiae. Duos habemus magnos consiliarios: Christum et satanam. Pag. 181-187

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

I. Christus, morte devicta, regali cum triumpho Ierosolymam ingreditur. — II. Huius triumphi figura fuit triumphus David, gigante prostrato. Christus unctus fuit rex, quia essentialiter rex est universalis. — III. Triumphat Christus non cum superbia sed cum humilitate, a pauperibus acclamatus. — IV. Christus rex coelestis est quia verus Messias, omnes iustificans et salvans — V. Circumstantiae huius triumphi attentius considerantur: locus, tempus, causa, personae, modus, mysterium. — VI. Ostenditur Christi regis scientia prophetica, omnipotentia et infinita mansuetudo. — VII. Christo debetur infinita gloria . . . . Pag. 188-196

II. ALIA HOMILIA —

I. Discipuli missi ad solvenda animalia figurant sacerdotes cum potestate solvendi atque ligandi. Ad hoc munus necessaria est potestas, diligens officii executio, scientia et vita exemplaris. — II. Multa mysteria significantur per montem Oliveti et Bethphage, per duos discipulos et turbas acclamantes. — III. Perfecta caritas est Christum diligere ipsumque imitari . . . . Pag. 196-200

III. ALIA HOMILIA

I. Propheta Zacharias hodie exultare iubet quia venit Messias, rex gloriosus et humilis, iustificans et salvans. — II. Verba Prophetae ostendunt Christi caritatem et gratiam quam nobis meruit. — III. Christus rex aeternus est, infinitae maiestatis, potentiae et iustitiae. — IV. Quattuor mysteria proponuntur consideranda: historiae, allegoriae, tropologiae et anagogiae. — V. Verbis etiam Isaiae designatur Christi imperium divinum, aeternum atque perfectissimum. Pag. 200-208

IV. ALIA HOMILIA

I. Proponitur hodie Christi triumphus undequaque mirabilis. — II. Christus absolute *rex* dicitur, quia vere dat iustitiam, copiam bonorum et pacem. — III. Tria consideranda proponuntur in hodierno Evangelio: historia, mysterium, vaticinium. Magni amoris signa erga nos Christus ostendit qui exultans pergit ad mortem. — IV. Deus voluit hodie Christum sic honorari ad ostendendum praemium virtutis . . . . Pag. 208-215

FERIA SECUNDA PALMARUM

I. Memores beneficii accepti in Lazari suscitatione, Martha et Maria coenam Christo fecerunt. — II. Ostenditur magna devotio Marthae et Mariae erga Christum. Deus strictissimus est in exigenda beneficiorum suorum grata memoria. — III. Omnes Sancti gratissimos se Deo semper exhibuerunt. — IV. Qui divina beneficia cognoscunt nunquam contra Deum aliquid admittunt. — V. Pro multis beneficiis a Christo acceptis naturae, gratiae et gloriae triplicatum obsequium ei reddere debemus, idest fidem, observantiam divinorum mandatorum et caritatem. Iusti pro ipsis malis Deo gratias agunt . . . . Pag. 216-223

II. ALIA HOMILIA

I. Sex hisce diebus ante pascha Christus omnia operatus est quae necessaria erant ad salutem animae. — II. Sex praecipue opera Christi hodie recensentur. — III. Triplicem coenam electis suis Christus paravit: ex bonis naturalibus, spiritualibus, aeternis; electi unam Christo parare possunt: virtutem quae cibus eius est. — IV. In operibus pietatis sequi oportet recte conscientiae dictamen et divinam inspirationem; sed opus caritatis erga Deum potius est quam erga proximum. Pag. 223-227

III. ALIA HOMILIA

I. Lazarus, sorores eius et Iudas repraesentant iustos et peccatores qui in Ecclesia reperiuntur. — II. Maria supra omnes hodie commendatur, quia caritas eius erga Christum perfecta erat. — III. Maria exemplar est vitae contemplativae; — IV. Martha vitae activae, quae operibus misericordiae incumbit; — V. Lazarus exemplar poenitentium . . . . . . Pag. 227-231

IV. Alia homilia

I. In suscitatione Lazari Christus veluti instituit sacramentum Poenitentiae. — II. Ad obtinendam veniam necessaria sunt cognitio peccati, confessio auricularis, animi dolor et ardens desiderium salutis. — III. In Poenitentia alia requiruntur ex parte peccatoris, alia ex parte sacerdotis, alia ex parte Christi. — IV. Vera contritio cordis cum confessione orali hominem iustificat et salvat. — V. Ad peccatorum confessionem devenire oportet, vel secreto ut absolvamur, vel publice in iudicio ut condemnemur. — VI. Poenitentia est conversio a mundo ad Deum, sicut peccatum est aversio a Deo ad mundum . . . . Pag. 231-236

V. Alia homilia

I. Poenitentia peccatores salvat, hinc maxime commendatur in S. Scriptura. — II. Isaias ostendit facilitatem poenitentiae, virtutem et efficaciam. — III. Poenitentia in synagoga virtus moralis erat, in Ecclesia autem Sacramentum est. — IV. In sacerdote praeter auctoritatem requiritur scientia, iustitia, prudentia et sanctitas. — V. Magna virtus Poenitentiae et magnum beneficium hominibus tantum concessum. — VI. Non omnis poenitentia est Deo grata, sed quae stabilis est et ex corde vere contrito elicita . . . . Pag. 237-242

FERIA TERTIA PALMARUM

I. Felicitas hominis consistit in remissione peccatorum, quae obtinetur humili eorum confessione. — II. Hanc Deus ab homine semper requisivit. — III. Christus sacramentum Poenitentiae instituit ut certitudinem remissionis habere possimus. — IV. Partes Poenitentiae sunt contritio cordialis et totalis, confessio omnium peccatorum et eorum satisfactio. Ad contritionem perfectam homo a Deo adiuvatur tribulationibus internis et externis. — V. Cognoscenda sunt peccata in particulari, ut condigno dolore ad integram eorum confessionem peccator deveniat . . . Pag. 243-249

FERIA QUARTA PALMARUM

I. Panis propositionis typus erat panis eucharistici. — II. Figurae Eucharistiae fuerunt antiqua sacrificia panis et carnis. — III. Divina Eucharistia maximum miraculum est divinae potentiae, nam in ea plenituto divinitatis corporatiter invenitur. — IV. Est etiam maximum argumentum divinae caritatis et sapientiae infinitae. Bis Christus seipsum coarctavit super hominem: in incarnatione et in Eucharistia . . . . Pag. 250-253

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

I. In septem locis hodie Christus passus est. — II. In horto passus est maximam angustiam. Dies passionis dies fuit maximi doloris etiam Deo, Angelis et Divinae Matris. — III. In domo Annae et Caiphae Christus pati voluit pro peccatis praelatorum; — IV. in domo Pilati et Herodis pro peccatis principum. — V. In monte Calvariae opus redemptionis mundi consummavit. Pag. 254-257

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

II. Alia homilia

I. Hodie natura universa contremiscit quia Deus patitur et moritur. — II. Multae sunt causae tristitiae Christi: in principio itineris locus unde egreditur; — III. in medio itineris torrens Cedron, discipulorum comitatus; — IV. in fine itineris hortus quo pergit passurus pro omnibus mundi peccatis. — V. Venit in hortum, orat et sanguinem sudat ut doceat imminente passione petendum esse auxilium a Deo. — VI. Abraham de terra sua eductus et sacrificare iussus figura Christi. — VII. Causa maximi doloris eius amor intensissimus erga discipulos et Patrem. Angelus ipse eum confortans maiori dolore eum affecit. — VIII. Sudor sanguineus Christi supernaturalis fuit, prae nimio peccatorum pondere, ex praevisione poenarum et genere mortis et ex immensa eius caritate. — IX. Hucusque Christus passus est in anima, nunc incipit passio corporalis. Non vi sed voluntarie se comprehendi permisit, quia amor eum comprehensum tenebat. — X. Christus ducitur ad Annam, ubi multa passus fuit. — XI. Maiora patitur in domo Caiphae ob primam Petri negationem, — XII. ob examen iniustum ab iniquo iudice et sacrilegam ministri alapam, — XIII. ob secundam et tertiam Petri negationem, qui tamen a Christo respectus, statim conversus est. — XIV. Falso accusatus Christus nil respondet, sed a pontifice adiuratus clarissime declarat se Filium Dei esse et iudicem mundi supremum. Pontifex autem ex hac responsione causam mortis invenisse arbitratur. — XV. Sic contra omnem iuris ordinem Christus condemnatur et satellitibus traditur ad affligendum et illudendum. — XVI. Christus passus est in domo Caiphae in corpore et anima, contra vitam et contra honores, ut nobis corporis et animae felicitatem mereretur. — XVII. Iudas a diabolo excaecatus Christum tradit, sed postea, audita mortis sententia in Christum lata, laqueo se suspendit. — XVIII. Christus adducitur a Caipha ad Pilatum, qui causam accusationis quaerit nolens eum condamnare nisi probata causa. — XIX. Miranda Iudaeorum hypocrisis, qui domum pagani hominis ingredi nolunt ne contaminarentur et Pilatum urgent ut mortis sententiam contra innocentem ferat. — XX. Sed divina dispensatione omnia facta sunt, ut opus salutis nostrae perficeretur et perfidia synagogae clarius cognosceretur. — XXI. Pilato interroganti Christus statim non respondet, sed postea, ne videretur iudici obedientiam recusare, affirmat se regem esse et qualis rex sit declarat. — XXII. Pilatus innocentiam Christi iterum testatur; Iudaei elevatis vocibus Christum accusant in multis; Christus vero patientissime tacet. — XXIII. Christus mittitur ad Herodem. — XXIV. Christus passus est in tribunalibus ecclesiasticis et saecularibus, sed multo maiora passus est in illis quam in istis. — XXV. Multis interrogationibus Herodis Christus nil respondet, unde illusus remittitur ad Pilatum, qui Herodi reconciliatur. — XXVI. Pilatus innocentiam Christi iterum declarat et eum liberare conatur; turbae autem petunt dimitti Barabbam, Iesum vero crucifigi. — XXVII. Stulta et impia electio, qua synagoga interitum sibi acquisivit. — XXVIII. Summam hanc iniuriam Christus tulit ut nos in ipso iustificaremur. — XXIX. Filius Dei flagellis crudelissime caeditur; — XXX. spinis etiam coronatur, diabolo Iudaeos sic impellente, sed etiam divina dispositione, ad satisfaciendum pro peccatis nostris et ad nostrum exemplum. — XXXI. Veste purpurea circumdatur ad significandum eius martyrium et per martyrium triumphum passione sua reportatum. — XXXII. Flagellis caeditur. Sicut Iob Christus afflictus crudelissime fuit in corpore et in spiritu, sed omnia constantissime pertulit. Passio Christi a Deo et a diabolo fuit. — XXXIII. *Ecce homo!* Christus homo vere singularis, qui omnes excedit gratia et gloria, passione et poenis, nobis inspiciendus hodie proponitur. — XXXIV. Videndum est quis patitur, quaenam patitur, a quibus, quomodo, ad quid, pro quibus, quo loco, quo tempore. — XXXV. Turbae magis clamant petentes ut, Barabba dimisso, Iesus crucifigatur, quia Filium Dei se fecerat. — XXXVI. Pilatus magis timens Christum interrogat, sed Christus non respondet. — XXXVII. Tacet Christus ne videatur mortem fugere velle, sed postea mansuete respondet ad reprimendam Pilati ignorantiam. — XXXVIII. Pilatus rursus quaerit dimittere innocentem, sed Iudaeorum furori tandem cedit et ut tibi consulat, Christum crucifigi decernit, — XXXIX. et lavat manus suas iterum Iudaeis illum ostendens non ut eos ad pietatem commoveat, sed ut eorum calumniam irrideat. — XL. Iniquissimae huius sententiae contra Innocentem causa fuit

malitia pontificum, populi ignorantia, Pilati fragilitas. — XLI. In damnatione Christi nulla servatur iustitiae et caritatis lex, nullus ordo iuris. — XLII. Duo genera inimicorum Christus habuit: visibilium Iudaeorum et invisibilium daemonum, Dei autem permissione, ad sumendam de peccato vindictam. — XLIII. *Et baiulans sibi crucem.* Plurimi sunt fructus ex ligno crucis orti. — XLIV. Exit Christus in Calvariae locum pro peccatis mundi immolandus, patiens maximum improperium et maximam poenam. — XLV. Sed haec pati voluit ut satisfaceret pro peccatis nostris. Hoc significavit loquens mulieribus quae lamentabantur eum, — XLVI. vaticinans excidium Iudaeorum temporale et aeternum, nobis quoque valde formidandum. — XLVII. Per cyrenensem angariatum ad portandam crucem multa significantur. Cum cruce datur omne bonum naturae, gratiae et gloriae. — XLVIII. Christus per crucem deificavit omnes poenas, ab ea abstulit omnem ignominiam, ei contulit omnem honorem. — XLIX. Ad maiorem Christi ignominiam alii duo nequam ducuntur cum ipso crucifigendi. — L. *Ubi crucifixerunt eum.* Multae figurae Christi in cruce pendentis. — LI. Mors Christi fuit humiliatio quoad passionem corporis, exaltatio quoad meritum animae. — LII. In cruce omnia exaltata sunt; merito igitur Christus mortem suam exaltationem appellavit. — LIII. Nudus cruci affigitur, vino myrrhato potatur, in aere suspenditur inter duos latrones ad multa mysteria significanda. — LIV. Crucifigitur in Calvaria ut ostenderet se mori pro salute totius mundi peccatoris. — LV. Multa divina mysteria significantur per quattuor partes crucis, — LVI. et per titulum a Pilato scriptum et super crucem positum. — LVII. Dicitur *Iesus* quia vere Salvator et Deus homo; — LVIII. *Nazarenus*, quia vere plenus gratia et sanctitate; — LIX. *Rex* quia absoluta et universali potestate praeditus; — LX. *Rex Iudaeorum*, idest electorum. — LXI. Alia fuit mens Pilati qui hunc titulum scripsit, et alia mens Spiritus S. qui illum dictavit. — LXII. Tribus linguis scriptus fuit, ad significandum triplicem Christi triumphum et eius divinitatem et dignitatem regiam ac sacerdotalem. — LXIII. *Iesus autem dicebat.* Septem verba Christus protulit in cruce, quibus exprimitur multiplex fructus passionis. — LXIV. *Pater, dimitte illis.* Hoc testamentum est Christi morientis et oratio efficacissima. — LXV. *Obscuratus est sol.* In morte Christi omnes radii divinitatis eius obscurati sunt, — LXVI. solus resplendet radius amoris. Pag. 258-378

III. Alia homilia

I. Mirabilis visio Ezechielis describitur Christum Deum hominem designans, morte crudelissima condemnatum. — II. In horto ostenditur homo patiens maximam agoniam ad nostram satisfactionem et eruditionem. — III. In domo Annae et Caiphae illuditur, colaphis caeditur et a Petro negatur. — IV. Christi martyrium internum et externum maximum omnium fuit, nam passus est omnia tormenta simul maxima patientia et fortitudine. — V. Passio Christi opus fuit infinitae caritatis, nam vitam suam voluntarie postposuit saluti nostrae, — VI. omnia sustinens libentissime et hilariter. — VII. Christus contra infernum pugnavit et vicit oratione tantum et virtute armatus, docens nos iisdem armis pugnare debere. — VIII. Septem virtutes praecipue elucent in passione Christi, sed maxime caritas et patientia, — IX. nam passio Christi sacrificium est in quo ipse sacerdos fuit, victima eius caro, altare crux, ignis caritas eius et impietas hominum. — X. Elucent etiam infinita Christi innocentia et severitas divinae iustitiae. — XI. Passio Christi salvat a morte aeterna, liberat a peccatis, peccatores iustificat et coelum aperit. — XII. Inter omnia mirabilia Dei opus passionis Christi mirabilissimum est. — XIII. Qui hodie turpissima et crudelissima morte damnatur rex est, summus Prophetarum, Deus verus, damnatus ex caritate Patris pro mundi salute . . . . Pag. 378-405

IN DIE SANCTO PASCHAE

I. Resurrectio Christi causa est infinitae exultationis universae Ecclesiae. — II. Christus suscitavit seipsum. quia verus Deus. — III. Resurrexit immortalis et gloriosus; — IV. resurrexit tertia die post mortem, prima die hebdomadae qua creatus est mundus, ut eadem die mundum recrearet. — V. Resurrexit ut homo, ut leo, ut victima quotidie in Ecclesia immolanda, ut aquila ascensurus in coelum. — VI. Angelus annuncians Christi resurrectionem figurat statum electorum in coelo. — VII. Christus resurgens ex mortuis elegit Ecclesiam et synagogam reprobavit. — VIII. In tribus mulieribus ad sepulcrum accurrentibus cernitur mira dilectio et devotio erga Christum, qua vincendae sunt omnes difficultates ad divinam legem servandam. — IX. Primo omnium Christus Matri apparuisse creditur, quia ipsa plus omnibus eum diligebat . . . . Pag. 406-416

II. Alia homilia

I. Sicut singulis annis celebrabantur festa a Lege praescripta; sic in Ecclesia quotannis celebratur festum resurrectionis Christi. — II. Haec dies est infinitae exultationis Deo, Angelis, Christo, Beatae Virgini, Apostolis. — III. Christi resurrectio exemplar est resurrectionis nostrae corporalis et spiritualis . . . . Pag. 417-421

FERIA SECUNDA PASCHAE

I. Christus resuscitatus se occultat hodie sub specie peregrini, — II. sicut prius occultaverat seipsum sub specie hortulani, et reserat Divinarum Scripturarum mysteria. — III. Divina Scriptura de septem mysteriis praecipue loquitur, quae hodie Christus aperit. — IV. Docet hodiernum Evangelium fidem necessariam esse ad salutem, sed vera fides integra esse debet; — V. necessariam esse doctrinam puram, — VI. et bona opera ex caritate facta. — VII. Docet etiam oportere nos hortulanos esse quoad bona naturalia, peregrinos quoad temporalia, mercatores quoad aeterna. — VIII. Quaerenda est bonorum societas, sed fugienda societas malorum . . Pag. 422-430

II. Alia homilia

I. Hodiernum Evangelium demonstrat veritatem resurrectionis Christi et conversionem discipulorum — II. Christus resurrexit nemine vidente et non agnoscebatur. — III. Cum discipulis suis medicum et praedicatorem agit, ut eos ab incredulitate curet. — IV. Necessarium fuit Christum pati secundum determinationem divinae voluntatis. — V. Venit Christus tanquam mercator, hortulanus et peregrinus ut hominem salvaret. — VI. Mirabilis peregrinus Christus est in sinu Patris, in mundo archetypo, in mundo naturae, gratiae et gloriae, in miraculis et in sapientia . Pag. 430-437

FERIA TERTIA PASCHAE

I. Hodie Christus ad Ecclesiam suam revertitur, a qua discesserat moriendo. — II. Magnum fuit opus creationis, sed multo maius opus recreationis, quod Christus in incarnatione incepit, in passione prosecutus est et in resurrectione perfecit dans pacem. — III. Pax, quam Christus dat, fructus est passionis, mortis et resurrectionis eius. — IV. Per Christum restituta nobis fuit perfectio multo maior ea quam per Adae peccatum amisimus. — V. Ostendens manus, pedes et latus vult ut consideremus caritatem Cordis sui, divina beneficia et passiones pro nobis latas. — VI. Pax omnia optimo ordine conciliat . . . . Pag. 438-445

II. Alia homilia

I. Dantur documenta ut pacem a Christo hodie datam consequamur. — II. Ad sancte vivendum cogitare oportet Deum semper et ubique stare in medio nostri. — III. Christus tranquillos facit animos Apostolorum, ut intelligere possent mysteria Scripturarum. — IV. Annunciat pacem ut significet se vere esse auctorem pacis, quia totus amor est; — V. insuper ut ostendat hanc esse fructum passionis suae, qua omnia pacificavit in coelo et in terra, — VI. et in ipso homine interiore. Pag. 446-455

III. Alia homilia

I. Christus passione sua sibi meruit gloriam sempiternam, — II. nobis autem salutem et felicitatem aeternam. — III. Gratia, quam per Christum acquisivimus, maior est ea quam per peccatum Adae perdidimus . . . . Pag. 455-457

DOMINICA IN ALBIS

Fragmentum . . . . Pag. 458

DIES S. IOSEPH CONFESSORIS

I. Duo sunt capita laudum S. Ioseph: quod fuerit verus sponsus B. Mariae Virginis, et vir iustus. — II. S. Ioseph verus et dignus fuit sponsus B. Mariae Virginis ab ipso Deo electus. — III. Ideo vere dicitur pater Christi, non naturalis sed adoptivus, cum vera tamen auctoritate super Christum et Mariam. — IV. Maxima ergo est dignitas S. Ioseph, quem B. Virgo et ipse Christus honorabant et diligebant. — V. Hinc apparet quantis donis Deus ipsum exornaverit quem dignum effecit tanto amore SS. Virginis et ipsius Christi . . . . Pag. 459-463

II. Alia homilia

I. In Divinis Litteris tria legimus de S. Ioseph: generis nobilitatem, vitae sanctitatem, sublimem dignitatem. — II. S. Ioseph est verus sponsus B. Virginis et habuit veram auctoritatem supra Matrem Dei et ipsum Filium Dei, — III. a quibus tanquam sponsus et pater diligebatur. — IV. Hinc apparet summa illius gloria respondens eius perfectae iustitiae . . . . . . Pag. 463-466

III. Alia homilia

I. Magna est dignitas matrimonii. — II. Coniuges oportet orationi vacare, se invicem diligere, mutuam fidelitatem servare. — III. Anima fidelis dicitur mater Christi . . . . . . Pag. 466-468

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Numerus romanus voluminis quinti partem indicat, arabicus paginas

A

Aaron ad sacerdotium divinitus vocatus I, 12; III, 197; ob virtutem hierarcha synagogae constitutus I, 154. 453. 522; II, 245; III, 36; singulis diebus concinnabat lucernam templi II, 158; saepe pro populo oravit II, 135; stetit inter mortuos et vivos ad placandum Deum III, 355; supra pectus sapphiros et lapides pretiosos portabat I, 320-321; imponebat manus super caput vituli sacrificandi III, 285, et cum virga offerebat sacrificium III, 333; Deum vidit I, 453. 560; peccavit et Deum discedere fecit a tabernaculo II, 156; non corripuit populum idololatram I, 176; conflavit vitulum aureum II, 330; III, 170. 279; a Moyse correptus poenitentiam egit III, 282; propter inobedientiam privatus ingressu in terram promissionis I, 529, quia bis petram percussit III, 37. Mortuus est in monte Hor III, 346.

Abdemelech eius stratagema ut extraheret Ieremiam de lacu III, 149.

Abel vanitas interpretatur III, 420; frater Cain I, 68. 137, et illi praepositus I, 6; adolescens iustus II, 420; eius sacrificium Deo gratum I, 400. 510; II, 345; III, 218. 241; fide sanctus I, 140; a Cain occisus II, 393; III, 336. 346. 383.

Aben Ezra Rabbinus interpretatur Ps. 2 de Christo I, 471.

Abigail prudentissima facta uxor David I, 367; eum placavit precibus suis I, 381, et universam familiam suam ab excidio liberavit I, 390.

Abimelech filius Gedeon funditus evertit Sichar II, 256; per rhamnum figuratus, ambitio causa illi fuit infelicissimae mortis I, 589.

— rex Geraris a Deo correptus II, 135; divinitus sanatus II, 251.

Abiron a Deo percussus cum aliis ob ambitionem pontificatus I, 252.

Abisag error patris mei interpretatur I, 568.

Abisai filius Sarviae occidere volebat Semei David iniuriantem I, 176; lancea trecentos viros occidit II, 108.

Abiu magnus synagogae sacerdos I, 453; Deum vidit I, 452. 560; divino igne combustus I, 529; II, 159, quia alienum ignem ad altare adhibuit I, 284. 585.

Abner traditus a Ioab III, 273.

Abraham sanctissimus I, 132; pater excelsus interpretatur II, 16. 259, et pater multitudinis II, 319; primus pater Hebraeorum III, 27; filius Thare, frater Nachor II, 126; habitavit in Sichar II, 256; duas uxores habuit II, 355; virtute constitutus pater fidei et summus patriarcha I, 154, et pater innumerabilis populi II, 271; credidit Deo I, 492; egressus est de terra sua I, 364. 395, a Deo iussus III, 436; primo altare construxit ad sacrificia offerenda I, 110; aedificavit altare inter Bethel et Hai III, 355; ubique altaria erigebat III, 218; offerens sacrificium nocturnas aves abigebat I, 120. 126; petiit a Deo signum in quo sciret se possessurum terram promissionis I, 333; III, 266-267. 340, et vix credidit III, 401; optionem dedit Loth ut regionem inhabitandam

eligeret I, 122; pro eo seipsum vitae periculo exposuit I, 186; pugnavit contra quattuor reges et vicit I, 96; et liberavit Loth a captivitate II, 180; ob partam victoriam dedit decimas Melchisedech III, 218-219; visionem Angelorum habuit I, 245; III, 269, et lavit pedes eorum II, 205; sub figura Angelorum Trinitas ei apparuit III, 3; cognovit mysterium Incarnationis III, 8; septem agnas dedit Abimelech I, 116. 404; II, 260, et eum corripuit II, 164; ab eo et a rege Aegypti, munera acceptavit non a rege Sedom III, 150; prius pauper, postea dives I, 366; III, 407. 414; divitias suas pauperibus dispensabat I, 310; pater Isaac et Ismael utrunque diligebat II, 73. 143. 319; III, 227; vitam petiit pro filio suo Ismaele I, 570; convivium fecit in die quo Isaac ablactatus est I, 384; III, 93; separavit filium Isaac a filiis concubinarum I, 584, et costituit heredem domus suae II, 25. 313; valde diligebat filium, sed citra Deum II, 214; a Deo iussus filium sacrificare prompto animo obedivit I, 360; II, 458; III, 37. 164. 174. 249, pergens cum gladio et igne III, 337; immolavit hircum pro filio III, 307; licet re filium non sacrificaverit, multa tamen a Deo meruit I, 40. 111; ob suam in Deum caritatem magnam sibi et posteris meruit benedictionem I, 417; III, 164; propter suam obedientiam valde exaltatus I, 530; iussus fuit eicere ancillam et filium eius I, 131. 331; II, 139. 212. 313. 331, quod ei valde displicuit II, 143; expellens Agar dedit ei aquam in utre II, 285; ante mortem omnibus filiis providit II, 215; humiliter Domino loquebatur I, 102.

Absalom pater pacis interpretatur II, 439, et pax patris III, 29; corpore pulcherrimus prae filiis David, anima vero turpissima I, 94. 470; II, 439; III, 255; praecepit servis suis ut occiderent Amnon fratrem suum I, 178, sed veniam a patre obtinuit III, 241; mandavit comburi segetes Ioab III, 89; sollicitabat corda populi motus ambitione regnandi II, 439; patrem persequebatur et consilium iniit ut eum regno et vita privaret I, 203; II, 207. 210; III, 168. 172. 176; sed ipse periit III, 170; arbori capillis suspensus II, 34; III, 135. 288, tribus lanceis confossus I, 123. 205. 282; II, 33.

Achab odio habebat Michaeam quia vera ei nunciabat II, 131. 168; III, 23. 31. 74. 77; petiit vineam a Naboth I, 58. 65; fovit idololatriam II, 145; dure ab Elia correptus sed non emendatus II, 167; III, 242; mutato habitu descendit in pugnam sed vulneratus interiit III, 301. 365.

Achan sorte divinatoria reus reprehensus I, 7, cum universa familia lapidatus et combustus fuit, quia tulit de anathemate Iericho I, 89. 529; II, 10; III, 235. 248; peccatum eius nocuit universo Israeli II, 164.

Achaz rex posuit idolum in templo I, 306; II, 94; restitit Isaiae II, 288.

Achilles fortissimus II, 180.

Achimelech a Saul interemptus III, 328. 346.

Achitophel consilium dedit contra David III, 168. 172; laqueo se suspendit III, 287-288.

Adam nomen quo homo vocatur in Sacris Litteris I, 136; est etiam nomen speciei III, 356; Adam et Edom hebraice idem est I, 208; fuit primus homo I, 434; II, 438; creatus innocens sed nudus I, 238; III, 353, et princeps mundi II, 89; formatus fuit sexta die de limo terrae extra paradisum I, 368. 388; perfectus in natura et in scientia naturalium rerum II, 354; mox ut formatus ductus fuit in paradisum I, 218; II, 100. 318; evigilans a somno invenit Evam III, 407, et cognovit divinitus magnum donum Dei esse mulierem I, 368; gaudebat immortalitate et omni felicitate I, 416; gloria et honore coronatus I, 237. 433; forma et imago Christi I, 430; III, 407; factus totius mundi dominus adhuc ascendere voluit I, 556; tentatus et victus a diabolo fuit I, 217. 468; III, 88; ex amore mulieris III, 277; peccavit ambitione et superbia I, 245. 568; III, 51. 55, et fragilitate III, 329, omnibus sensibus II, 239. 370; III, 338-339, quia abundavit temporalibus bonis I, 242. 298; amisit gratiam III, 105, et omnia dona II, 70, et humanum genus damnavit II, 420, et sub diaboli potestate cecidit post peccatum se nudum esse cognovit II, 98, et timuit III, 17; peccatum suum excusare conatus est I, 152 et in Evam detorsit II, 197, imo in ipsum Deum II, 122; III, 122; lunae comparatur quia defecit I, 237. 298; ob peccatum de paradiso pulsus fuit I, 415; II, 138. 197. 330. 419; III, 201. 314, indutus pelle animalis III, 314, sibi et nobis illum amittens I, 219. 254, cum universa gloria I, 237; uno actu Deum offendit et mundum perdidit III, 169-170. 185. 309; ex quo peccavit mundus coepit laborare febribus vitiorum II, 244; si non peccasset, peccantibus filiis, potuisset merito suae fidei eis mereri de con-

gruo I, 137; si filios ante lapsum genuisset, peccatum eius illis non nocuisset II, 420; primo docuit filios suos sacrificia Deo offerre II, 212, dein diversas artes II, 213. Vide *Homo*.

Adonias petiit a Salomone reginam Abisag in uxorem I, 232, sed morte damnatus fuit I, 567.

Adulator corvis peior II, 181.

Adura lapidatus a populo III, 7.

Aegyptus regio fertilissima, I, 49, in qua nunquam pluit III, 57; post septem annos abundantiae, totidem postea caritate laboravit II, 10. 307; decem plagis flagellata III, 304; figura huius mundi I, 75. — Aegyptii animalia tanquam deos colebant I, 90; aeternitatem designabant hieroglyphico serpentis III, 207, et hominem per Centaurum III, 271; Hebraeos persequebantur II, 41. 84; III, 74. 305; multis plagis percussi I, 258. 519; nec visis miraculis Moysi crediderunt I, 335; II, 150; in mari Rubro submersi fuerunt I, 80; dum mergerentur Dominum agnoverunt I, 220.

Aer aliqua potentia praeditus est II, 106; quam maxime necessarius respirationi III, 222.

Aeternitas non est maior et minor I, 32; quod corrumpitur et patitur a contrario, aeternum suapte natura esse nequit II, 260.

Africa eius campi fertilissimi I, 49.

Agar concubina Abrahae II, 190, et serva III, 72; ab Angelo confortata III, 268; figura synagogae II, 152.

Agatha S. dixit praestantiorem esse humilitatem christianam regum superbia I, 246.

Aggaeus propheta ait tactu rei sanctae non sanctificari immundum, sed tactu immundae inquinari mundum I, 73; II, 347; III, 139; vaticinatus gloriam templi III, 100. 141; exprobrabat neglectam religionem populi II, 343.

Agricultura etiam principes delectat II, 39.

Ahias silonites pallium suum scidit I, 443; agnovit uxorem Roboam mutato habitu ad eum venientem II, 134.

Ailath divina fortitudo interpretatur I, 209.

Alcuinus tenet festum encaeniorum fuisse tertiae dedicationis templi III, 103.

Alexander Magnus Tyrum a fundamentis evertit I, 397; suspiravit cum audivit extra hunc mundum alios esse I, 477. 556; nonnisi ab Apelle pingi voluit II, 181.

